

20 quis es qui reſpōdeas Deo?
f.26 erit,in loco vbi dictū eſt eis
27 ſi fuerit numerus filiorū Iſ.
g.29 ſicut Go.ſimiles fuiſſem⁹
30 iuſtitiam a.quæ ex fide eſt
10.a.3 iuſt.Dei non ſunt ſubiecti
5 iuſtitiam quæ ex Lege eſt
6 quæ autē ex fide eſt iuſtitia
id eſt Chriſtum deducere
b.7 hoc eſt Chriſtū à mort.re.
8 propè eſt verbum in ore t.
9 in corde t.cre.&c.ſalu⁹eris
12 non enim eſt diſtinctio
c.13 qui inuo.no.Do.ſaluuserit
11.a.1 ego Iſraelita ſum ex ſemi.
6 gratia iam non eſt gratia
b.11 illorū del.ſalus eſt Gētibus
12 deli.il.diuitiæ ſunt mundi
15 ego ſum Gentium Apoſto.
15 amiſſio eo.recōcil.eſt mūdi
16 ſi delibatio ſācta eſt,& m.
17 quū oleaſter eſſes,inſertus
c.23 potens eſt enim Deus ite.
25 non ſitis vobiſipſis ſapien.
d.29 ſine pœnitētia e.ſunt dona
33 incompreh.ſunt iudicia e.
34 quis conſiliarius eius fuit?
36 ꝑ ip.& in ipſo ſunt omnia
12.a.2 vt probetis quæ ſit vol.Dei
3 omnib⁹ qui ſunt inter vos
b.5 vnū corpus ſumus in Chr.
c.16 nolite eſſe prudentes apud
d.18 quod ex vobis eſt,cū omn.
13.a.1 omnis ani.&c.ſubdita ſit
nō eſt e.poteſtas niſi à D.
quæ autem ſunt, à Deo
3 principes non ſunt timori
4 Dei e.miniſter eſt tibi in
b.5 neceſſitate ſubditi eſtote
6 miniſtri e.Dei ſunt in bo.
c.10 plen.ergo Legis eſt dilect.
11 hora eſt iam nos de ſomno
14.a.2 qui autē infirmus eſt,olus
4 potens eſt e.Deus ſtatuere
qs es qui iudicas alienū ſer.
b.8 ſiue morimur,Do.ſumus
c.14 qui exiſt.quidcōmune eſſe,
illi commune eſt
17 non eſt e.regnum Dei eſca
d.19 quæ pacis ſunt ſectemur
20 omnia quidem ſunt mūda
malum eſt homini qui per
23 quod nō eſt ex fide,pecc.eſt
15.b.8 miniſtrum fuiſſe circunc.
c.12 erit radix Ieſſæ,&qui exu.
14 pleni eſtis dilectione
certus ſum autē,&c.de vo.
d.16 vt ſim miniſter Chriſti Ie.
f.26 Sanctorū,qui ſunt in Ieru.
27 debitores ſunt eorum
g.31 ab infidel qui ſūt in Iudæa
33 Deus,&c.ſit cū om.vobis
16.a.1 quæ eſt in miniſterio Ecc.
5 qui eſt primitiuus Aſiæ
b.7 qui ſunt nobiles in Apoſt.
ante me fuerūt in Chriſto
10 ſalu.eos qui ſunt ex Ariſt.
11 ſalutate eos qui ſunt ex N.
14 qui cum eis ſunt fratres
c.15 o.qui cum eis ſunt,Sāctos
19 volo vos ſapientes eſſe
d.25 qui potens eſt vos cōfirm.
1.Cor. 1.a.2 Eccl.Dei quæ eſt Corin.
b.10 ſitis autem perfecti in
non ſint in vobis ſchiſma.
11 ab iis qui ſunt Chloes
12 ego quidem ſum Pauli
c.18 pereunt.quidē ſtultitia eſt
d.27 quæ ſtulta ſunt mundi ele.
28 ele Deus,& ea quæ nō ſūt,
vt ea quæ ſunt deſtrueret
30 ex ipſo autem vos eſtis
2.a.3 tremo.multo fui apud vos
5 fides veſtra non ſit in ſapi.
c.11 quis e.ho.ſcit quæ ſūt ho.
ſpiritus hom.qui in ipſo eſt
12 Spiritum qui ex Deo eſt
d.14 perci ea quæ ſunt Spiritus
ſtultitia enim eſt illi
3.a.3 adhuc enim carnales eſtis
quū enim ſit inter vos ze.
4 ego quidem ſum Pauli
nónne carnales eſtis?
5 quid igitur eſt Apollo?
b.7 neque qui plātat eſt aliquid
8 & qui rigat,vnum ſunt
9 Dei enim adiutores ſumus
Dei agricultura eſtis
Dei ædificatio eſtis
c.11 qui eſt Chriſtus Ieſus
13 opus quale ſit,ignis prob.
vniuſc.opus manifeſtū erit
16 quia templum Dei eſtis

d.17 templū,&c.quod eſtis vos
18 vide.inter vos ſapiens eſſe
ſtultus fiat,vt ſit ſapiens
20 cog.hom.quoniā vanæ ſūt
21 omnia enim veſtra ſunt
4.a.3 pro minimo eſt vt à vobis
4 qui a.iudicat me,Dom.eſt
nihil enim mihi cōſcius ſū
5 laus erit vnicuique à Deo
c.11 nudi ſumus,& colaphis cæ.
& inſtabiles ſumus
d.16 imitatores mei eſtote
17 qui eſt filius meus chariſſi.
vias m.quæ ſunt in Chri.
20 nō e.in ſerm.eſt regnū Dei
5.b.5 vt ſpiritus ſaluus ſit in die
6 non eſt bona gloriatio ve.
c.7 vt ſitis noua conſperſio
ſicut eſtis azymi
d.11 ſi frater,&c.eſt fornicator
12 de iis qui foris ſunt iudica.
13 eos qui foris ſunt Deus iu.
6.a.2 indigni eſtis qui de mini.
4 contē.qui ſunt in Eccleſia
5 non eſt inter vos ſapiens
b.7 omn.delictum eſt in vobis
11 & hæc q
c.15 corp.ve
d.16 erunt er
17 adhæret
18 fecerit h
19 mē.ve.t
& non e
7.a.1 bonum
b.7 homine
8 bonum
9 melius e
c.14 filii veſt
nunc au
d.19 Circunc
21 ſeruus vo
22 qui,&c.libertus eſt Domi.
e.25 cōſeq.à Dom.vt ſim fidelis
26 bonum eſt homini ſic eſſe
exiſt.ergo hoc bonu
29 fratres,tempus bre
tanquam nō habent
f.32 qui ſine vxore eſt,
ſolicitus eſt quæ Do
volo vos ſine ſolicit
33 qui a cū vxore eſt,ſo
34 cogitat quæ Domin
vt ſit ſancta,& corp
35 ad id quod honeſtu
36 quòd ſit ſuperadulta
g.40 beatior autē erit ſi
8.a.4 nullus eſt Deus niſi
b.5 etſi ſunt qui dicantu
c.7.10 conſ.ipſorū quū ſit in
7 non in omnibus eſt ſc
9.a.1 nō ſum liber?non ſum A
nónne opus meū vos eſtis?
2 ſi aliis non ſum Apoſtolus
ſed tamen vobis ſum:nam
ſignac Apoſt.mei vos eſtis
3 mea defenſio,&c.hæc eſt
b.9 de bobus cura eſt Deo?
11 magnum eſt ſi nos carna.
12 alii pot.veſt.participes ſūt
13 quæ de ſacrario ſunt,edunt
c.16 ſi euang.nō eſt mihi gloria
18 quæ eſt ergo merces mea?
19 quū liber eſſem ex omnib⁹
20 iis qui ſub Lege ſunt,
quaſi ſub Lege eſſem
eos qui ſub Lege erant,luc.
21 qui ſine Lege erant,tanquā
luc.eos qui ſine Lege erāt
10.a.1 omnes ſub nube fuerunt
4 petra autem erat Chriſtus
6 non ſimus concupiſ.malo.
c.13 fidelis autem Deus eſt qui
d.17 vnum corpus multi ſumus
18 participes ſunt altaris
cōm.ſanguinis Chriſti eſt
e.21 menſæ Do.participes eſſe
22 nūquid fortior.illo ſumus?
24 nemo quod ſuum eſt quær.
f.26 Domini enim eſt terra
g.32 ſine offenſione eſtote
11.a.1 imitatores mei eſtote
2 per om.mei memores eſtis
3 viri caput Chriſtus eſt
5 vnum enim eſt ac ſi decal.
b.7 imago & gloria Dei eſt
c.14 nutriat,ignominia eſt illi
16 ſiq.a.videtur content.eſſe
d.18 aud.ſciſſuras eſſe inter vos
19 oportet & hæreſes eſſe
20 non eſt Dominicā cœnā
21 alius eſu.alius a.ebrius eſt
e.24 hoc eſt corpus meum quod
25 hic calix,nouū teſtamē.eſt

f.27 reus erit corporis & ſang.
12.a.2 quum Gentes eſſetis,ad ſi.
4 diuiſi.verò gratiarum ſunt
b.12 mēbra corp.quū ſint mul.
vnum tamen corpus ſunt
14 corpus non eſt vnū mem.
15 quoniam non ſum manus
16 quoniam non ſum oculus
non ideo non eſt de corp.
c.19 ſi eſſent omnia vnum mē.
21 non eſtis mihi neceſſarii
22 mēbra cor.infirmiora eſſe
mēbra,&c.neceſſariora ſūt
23 ignobil.mēbra eſſe corpo.
quæ inhoneſta ſunt noſtra
25 non ſit ſchiſma in corpo.
d.25 ꝑ inuicē ſolicita ſint mē.
27 eſtis corpus Chriſti
13.a.2 non habuero,nihil ſum
b.4 charitas patiens eſt,beni.
5 non eſt ambitioſa,
non quærit quæ ſua ſunt
d.11 quum eſſem paruulus,loq.
euacuaui quæ erāt paruuli
13 maior autem his eſt char.
14.a.5 maior eſt qui prophetat
nt vocē
loquē.
n mun.
arbarus
pirituū
uctu eſt
ſpiritu
ote
t,nō fid.
bis ſit
es?
erpres
is Deus
g.34 cut &
35 turpe eſt enim mulieri
37 quia Domi.ſunt mandata
ſiquis videt propheta eſſe
m minimus Apo.
Dei ſū id quod ſū
in me vac.nō fuit
nortuorum nō eſt
t ergo prædicatio
fides veſtra
tis in peccatis ve.
Chriſto ſpe.ſumus
qui ſunt Chriſti
us omnia in om.
d futurū eſt ſemi.
pus ani eſt & ſpi.
is qd ſpirituale eſt
ors victoria tua?
ter non eſt inanis
ſtote & immobi
tē præſens fuero
4 ſi dignum fuerit vt & ego
b.10 ſine timore ſit apud vos
c.12 quum ei vacuum fuerit
non fuit voluntas eius vt
15 quoniā ſunt primitiæ Ach.
d.18 cogn.er.qui eiuſmodi ſunt
22 ſit anathema,Maran atha
2.Cor. 1.a.1 Eccleſiæ Dei quæ eſt Cor.
ſanctis qui ſunt in vniuer.
4 eos qui in ōni preſſura ſūt
b.7 ſpes noſtra firma eſt pro v.
paſſionū eſtis,eritis & cōſ.
9 non ſimus fidētes in nobis
c.11 eius quæ in nobis eſt dona.
12 gloria noſtra hæc eſt
14 quòd gloria veſtra ſumus
17 vt ſit apud me Eſt & non
d.18 non eſt in illo Eſt & non
19 non fuit Eſt & Non
ſed Eſt in illo fuit
20 promiſſ.Dei ſūt in illo Eſt
24 adiutores ſumus gaudii v.
2.a.2 quis eſt qui me lætificet
b.6.7 ſufficit illi qui eiuſmodi eſt
c.9 an in ōnibus obediētes ſitis
d.15 Chriſti bon⁹ odor ſum⁹D.
17 non enim ſumus ſicut plu.
3.a.2.3 epiſtola noſtra vos eſtis
b.5 nō ꝙ ſuffici.ſimus cogitare
ſufficiē.noſtra ex Deo eſt
7 miniſt.m.&c.fuit in gloria
8 miniſtr.Spir.erit in gloria
c.9 miniſtrat.dānati.gloria eſt
11 quod euacua.per gloriā eſt
d.14 obtuſi ſunt ſenſus eorum
17 Dominus autē Spiritus eſt
4.a.1 miſericordiā cōſeq.ſumus
4 Chriſti,qui eſt imago Dei
b.7 vt ſublimitas ſit virtutis
d.16 is qui foris eſt noſter homo
17 quod in præſenti eſt mom.
18 quæ en.vidētur,tēporal.ſūt


5.a.2 habit.noſt.quæ de cælo eſt
4 qui ſumus in hoc tabernac
abſorbea.quod mortale eſt
b.6 dum ſumus in corpore per.
8 præſentes eſſe ad Dominū
11 in cōſ.veſt.manife.nos eſſe
Deo autē manifeſti ſumus
c.13 ſiue ſobrii ſumus,vobis
d.19 Deus erat in Chriſto mūdū
6.d.16 vos enim eſtis templū Dei
ero illorum Deus
& ipſi erunt mihi populus
18 ego ero vobis in patrem
vos eritis mihi in filios &
7.a.3 in cordibus noſtris eſtis
4 mihi fiducia eſt apud vos
c.10 ſecundum Deū triſtitia eſt
11 incōtaminatos eſſe negot.
d.14 gloria noſt.quæ fuit ad T.
15 abundantius in vobis ſunt
8.a.2 abūdātia gaud.ipſorū fuit
3 ſupra vir.volūtarii fuerunt
b.9 eg.factus eſt,quū eſſet diues
illi⁹ ino.vos diuites eſſetis
10 hoc enim vobis vtile eſt
11 ita ſit & perficiendi
12 ſi enim voluntas prōpta eſt
c.13 non vt aliis ſit remiſſio
14 veſtræ inopiæ ſit ſupplem.
17 quū ſolicitior eſſet,ſua vol.
18 fratrem,cui⁹ laus eſt in E.
d.22 in multis ſæpe ſolicitū eſſe
23 pro Tito qui eſt ſocius m.
24 oſtē.ergo quæ eſt charitatis
9.a.1 ex abūdāti eſt mihi ſcribe.
b.8 potēs eſt autē Deus omnē
10.a.1 in facie quidē humilis ſum
4 non carnalia ſunt,ſed pot.
b.7 quæ ſecundū faciē ſūt vid.
confidit ſibi Chriſti ſe eſſe
ſicut ipſe Chriſti eſt,ita &
c.10 epiſtolæ,inquiūt,graues ſūt
11 hoc cogitet qui eiuſmo.eſt
quia quales ſum⁹ verbo,ta.
d.16 in illa q vltrà vos ſūt euāg.
11.a.3 à ſimplicitate quæ eſt in
b.9 quum eſſem apud vos,&e.
nulli oneroſus fui:nā quod
c.10 eſt veritas Chriſti in me
13 ſunt operarii ſubdoli
d.15 non eſt ergo magnum ſi
finis erit ſecundū opera ip.
16 neqs me put.inſipiētē eſſe
e.19 quum ſitis ipſi ſapientes
21 nos infirmi fuerimus in h.
22 Hebræi ſūt,& ego:Iſraeli.
ſemen Abrahæ ſunt,& ego
f.25 in profundo maris fui
g.31 qui eſt benedictus in ſecula
12.b.6 ſi voluero glor.nō ero inſi.
c.10 quū en.infir.tūc potēs ſum
d.13 qui ſunt ſupra modū Apo.
nihil enim minus fui ab iis
Apoſtoli,tametſi nihil ſūt
e.14 & non ero grauis vobis
nō en.quæro quæ veſtra ſūt
f.16 ſed eſto,ego vos nō graua.
ſed quū eſſem aſtutus,dolo
g.20 ſeditiones ſunt inter vos
13.b.4 nos infirmi ſumus in illo
5 tentate ſi eſtis in fide
Chriſtus Ieſus in vobis eſt
niſi fortè reprobi eſtis
6 quia non ſumus reprobi
c.7 nos autē vt reprobi ſimus
9 infirmi ſumus,vos aūt pot.
11 perfecti eſtote,exhortami.
Galat. 2.a.6 qui videbantur aliquid eſſe
b.6 quales aliquādo fuerint,n.
4.b.12 eſtote ſicut ego,quia & ego
15 vbi eſt ergo beatitudo ve.
c.20 vellē autē eſſe apud vos m.
21 qui ſub Lege vultis eſſe
24 quæ ſūt per allegoriā dicta
hæc enim ſunt duo teſtam.
in ſer.gener.quæ eſt Agar
d.25 Sina enim mōs eſt in Ara.
ei quæ nunc eſt Ieruſalem
26 illa autē quæ ſurſū eſt Ier.
libera eſt,quæ eſt mater n.
28 promiſſionis filii ſumus
30 non enim hæres erit filius
31 non ſumus ancillæ filii
5.a.3 debitor eſt vniuerſæ Legis
b.8 perſuaſio non eſt ex eo qui
10 portabit iud.quicūq,eſt ille
c.18 non eſtis ſub Lege
19 manifeſta ſūt opera carnis
d.22 fruct⁹ aūt ſpiritus eſt chari.
23 aduerſus huiuſm.nō eſt lex
24 qui autem ſunt Chriſti,car.
6.a.1 vos qui ſpirituales eſtis

ICONES,

VITÆ ET ELOGIA

IMPERATORVM

ROMANORVM.



ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA BALTHASARIS MORETI. M. DC. XLV.

IMP. CÆS.
FERDINANDO III.
AVG. PIO, IVSTO, FEL.
GERMANIÆ, HVNGARIÆ,
BOHEMIÆ, ILLYRICI,
DALMATIÆ, CROATIÆ, ETC.
REGI:
ARCHIDVCI AVSTRIÆ, ETC.



MPERATORVM Romanorum ICONES, ab Hub. Goltzio, Antiquario celeberrimo, è priſcis Numiſmatibus delineatas, & breui narratione Hiſtoricâ illuſtratas, ad SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS TVÆ pedes adfero. Acceſsêre & eorum qui ex Auguſtâ AVSTRIÆ Tuæ Domo, con-

tinuâ ſerie feliciter Orbi imperarunt, ICONES & ELOGIA, ſuccincto ſtyli noſtri compendio deſignata. Quamquam equidem fatear, eam eſſe Ingenij mei tenuitatem, vt incomparabiles maximorum Heroum Virtutes minimè aſſecutus ſim.

Quis Martem tunicâ tectum adamantinâ
Dignè ſcripſerit? Aut puluere Troico
Nigrum Merionem? Aut ope Palladis
Tydiden Superis parem? Ait Lyricus.

Imò verò, quis laudatiſſimos Imperatores, DIVOS, inquam, Progenitores Tuos, RODOLPHOS, ALBERTOS, FREDERICOS; quis MAXÆMILIANOS, CAROLOS, FERDINANDOS, Pios, Iuſtos, Pacificos (vno verbo) AVSTRIACOS, Victores ac Triumphatores Auguſtiſſimos, dignè recenſeat? Quis præclara eorumdem aduerſus Ottomannicam rabiem & Orthodoxæ Religionis hoſtes facinora, atque in Rempub. Chri-
ſtianam

ſtianam merita enumeret? Quis propè Diuina, quæ in illis effloruêre, & in Te modò, CÆSAR, certatim elucent, Regiarum Virtutum decora & ornamenta, enarret? Iſta certè ——— *ſparguntur in omnes,* Claudian.

In Te mixta fluunt. Et quæ diuiſa beatos
Efficiunt, collecta tenes:

Heroicam, dico, in vtrâque Fortunâ Moderationem, Fortitudinem, Clementiam, Prouidentiam, IVSTITIAM.

Tantaq́ue ſe rudibus PIETAS *oſtendit in annis,* Idem de III. Conſulat. *Honorij Aug.*
Sic Ætas Animo ceßit; quererentur vt omnes
IMPERIVM *Tibi ſerò datum.* VICTORIA *velox*
Auſpiciis effecta Tuis.

Nam & Vrbes munitiſſimæ primis armorum tirociniis à Te expugnatæ ac receptæ ſunt, Ratisbona, Donauerda, NORLINGA, aliæque: deque Suecis ac Romani Imperij perduellibus VICTORIA longè clariſſima, Tuo & Sereniſſimi Principis FERDINANDI, Hiſpaniarum Infantis, ductu

eſt

est relata. Et tum quidem ANTVERPIA, pro perpetuo suo in Augustam AVSTRIÆ Domum cultu, ARCV FERDINANDINO erecto, Epinicia sua & applausus publicos testata est. At tantus fuit eius Victoriæ splendor, vt longè infra eius dignitatem conatus nostros cecidisse fateamur.

Animosè olim Iphicrates, clarus bello Dux, cùm post insignem de Lacedæmoniis, ad Corinthum, partam Victoriam, Athenienses eius Honori COLVMNAM, rei gestæ monumentis inscriptam, dedicassent, ita eosdem est affatus:

Aristides Oratione περὶ τοῦ παραφθέγματος.

Ὑμεῖς μὲν, φησὶν, οἴεσθε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, παρ' ὑμῶν ταυτά μοι ΓΡΑΜΜΑΤΑ, καὶ τὴν ΣΤΗΛΗΝ εἶναί τι σεμνόν: ἐμοὶ δὲ ΣΤΗΛΗ ΟΥΡΑΝΟΜΗΚΗΣ ἕστηκεν ἐν τῇ Πελοποννήσῳ, μαρτυροῦσα τὴν Ἀρετήν. *Vos quidem*, inquit, *arbitramini, ô Athenienses,* COLVMNAM *istam, &* INSCRIPTIONES, *magnificum quiddam mihi à vobis contigisse: at mihi* COLVMNA CÆLVM ATTINGENS *in Peloponneso est erecta, Virtutis meæ testis.*

Potiori profectò iure Maiestas Tua de se meritò prædicare queat; Trophæum ad Cælum

Cælum vſque pertingens, de Romani Imperij, auitæq; Religionis hoſtibus, ad NORLINGAM ſibi eſſe erectum, perpetuum Virtutis Pietatisque Tuæ monumentum: nempe iis Armis partum, quibus veri cultus Diuini propugnatio & propagatio, Populique Salus, non Dominandi libido, ſcopus ac finis eſt propoſitus.

Iam verò, CÆSAR, quis Cæleſtem Animum Tuum, tot Diſciplinarum ſtudiis excultum, omniaque Humana ac Diuina Ingenio complexum, ex merito venerari poſſit? Illum, inquam, Animum,

ᾧ ὑπάρχει Διάνοια μεγαλοπρεπὴς, καὶ Θεωρία παντὸς μὲν Χρόνου, πάσης δὲ οὐσίας:

cui adeſt Mens excelſa, & Conſpectus omnis Aeui, omnisq; Naturæ:

vt cum Platone loquar. Itaque, cùm non tantùm Maieſtatis Tuæ, ſed & Ingenij faſcibus, qualemcumq; Eloquij felicis præſtantiam procul à Te ſubmoueas; liceat mihi iis verbis quibus TITVM Aug. Orbis Lib. VI. de Repub.

** Deli-

Delicias, olim compellauit Plinius, Maieſtatem Tuam affari: *Te quidem in excelſiſſimo Humani Generis faſtigio poſitum, ſummâ Eloquentiâ, ſummâ Eruditione præditum, religiosè adiri etiam à ſalutantibus ſcio. Et ideò immenſa, præter ceteras, ſubit Cura, vt quæ Tibi dicantur, Te digna ſint.*

Et hoc quidem tantò magis, quòd non ita pridem à Maieſtate Tuâ Cæsarei Historiographi Munus decretum mihi & collatum ſit. Neque enim me latet, vt Alexander olim non niſi ab eximiis artificibus, Apelle & Lyſippo, exprimi effigiem ſuam paſſus eſt; ita etiam præclariſſimas eius expeditiones & Victorias, non niſi à ſummis viris, conſiliorumq́ue eius conſortibus, memoriæ proditas eſſe: ab Ariſtobulo nempe & Ptolemæo, Lagi Fil. qui deinde Ægyptum Regno obtinuit.

Quin imò, Munus iſtud maximis & grauiſſimis Imperatoribus tanti viſum eſt, vt & ipſi illud à Dignitate ſuâ haud alienum

num iudicarent. C. IVLII CÆSARIS Commentarij etiamnùm in manibus omnium versantur. OCTAVIANVM AVG. TIBERIVM, CLAVDIVM, HADRIANVM, SEPTIMIVM SEVERVM, aliosque Cæsares, de Vitâ suâ Libros conscripsisse, Historici testantur. MARCVS Imp. Philosophus, Lib. I. ΤΩΝ ΕΙΣ ΕΑΥΤΟΝ, T. ANTONINI PII Aug. Vitam moresque latè enarrat. Quæ exempla deinde & Byzantini Imperatores secuti sunt. Nam & CONSTANTINVS VII. Porphyrogenitus, LEONIS VI. Aug. Philosophi Filius, de Vitâ Rebusque BASILII Macedonis Aug. Aui sui, Historiam, quæ hodieque exstat, edidit: vt de Pandectis Historicis, curâ iussuque eiusdem concinnatis, nihil dicam. Sic & IOAN. CANTACVZENVS Aug. de Rebus à se & ANDRONICO PALÆOLOGO Aug. gestis, Libros IV. ad Posteros transmisit.

Sed ne tantùm Fortunæ Tuæ, CÆSAR, ſed & Auguſtæ Familiæ Exempla adferam; DIVI, MAXÆMILIANVS I. & CAROLVS V. Maiores Tui, de Vitâ Rebusq́ue ſuis Commentarios reliquêre. Quod & Maieſtati Tuæ pronum foret, niſi (quæ Tua eſt de ſubditis populis cura) maior Tibi de rebus porrò fortiter gerendis, quàm de geſtis memoriæ mandandis ſolicitudo incumberet.

Roius *Annal. Auſtr. Lib.*VIII. Hieron. Ruſcell. *Epiſtolâ penult.* Princip. viror.

Dum enim tot Gentes coniuratæ, ac velut è Gallo Phrygiæ flumine potaſſent, lymphatæ, Auguſtam Domum Tuam, id eſt, ſuam aduerſus Ottomannicos Furores Propugnatricem, bellò vndique aſſultant,

Naſo *Faſtor. Lib.*IV.

Claud.

—— LATIVMQVE *alternis ictibus anceps*
IMPERIVM *dum pulſat Hiems; nil feſſa remittit*
Officij, Virtus: contraq́ minantia Fata
Peruigil, euentusq́ ſibi latura ſecundos,
Maior in Aduerſis lucet.

Cùm

Cùm autem Posteritatis intersit, perpetuos Tuos, Augustæque Domus, pro Repub. Christianâ exantlatos labores, & incomparabilis Virtutis illustria Documenta Litterarum monumentis consignari; illa profectò omnes præclaras Animas Æternitati suæ vectigales habebunt: nec Famam à cuiusquam calamo accipient, sed dabunt.

Interim ipse Diuino Maiestatis Tuæ Iudicio animatus, assumptâ Fiduciâ, cum prisco Oratore dicam: *Cedant priuatorum Studiorum ignobiles curæ. Perpetua mihi erit Materia dicendi, qui me probauerit* IMPERATOR.

Eumenius, Paneg. Constantini Aug.

Scribebam ANTVERPIÆ Ambiuaritorum, Anno, post Virginis partum, Millesimo, Sexcentesimo & Quadragesimoquinto, ineunte: qui Annus modò agitur BIS-MILLESIMVS à Natali ALEXANDRI MAGNI, Macedonum Regis.

Natus est ALEXANDER *ante Christianam Æram Anno* CCCLV.

gis. Quem Principem, vt Augustæ Domus Tuæ Maiestas à RODOLPHI MAGNI Pietate orta, ac felicissimâ propagine per Orbem diffusa, Regiis Virtutibus, Imperiíque Amplitudine ac Diuturnitate longè supergressa est; ita porrò PIETATE & IVSTITIA Tuâ ad Generis Humani commoda procuranda assiduè excubantibus, eadem vt perennet voueo,

SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATI TVÆ

Æternùm Deuotus

CASP. GEVARTIVS.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS IV. *Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, & Potentiſsimus Belgarum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis* Icones IMPP. ROMANORVM, ex priſcis Numiſmatibus ad viuum delineatas, & breui Narratione Hiſtoricâ illuſtratas, per Hubertum Goltzium; quibus acceſſit modò IMPP. ROMANO-AVSTRIACORVM Series, ab ALBERTO II. Aug. ad vſque FERDINANDVM III. Aug. per annos CC. continuos deducta Stylo & Operâ Caſperij Geuartij I. C. Archigrammatæi Antuerpiani & Hiſtoriographi Cæſarei; *præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra nouennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſas, in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur; vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ* XIV. *Nouembris* M.DC.XLV.

Signat.

Steenhuyſe.

APPROBATIO CENSORIS.

VITÆ & ELOGIA IMPERATORVM ROMANORVM, ab Huberto Goltzio pridem deſcripta, ac Stylo & Operâ Cl. Viri Caſperij Geuartij I. C. Hiſtoriographi Cæſarei, ad hæc vſque Tempora continuata & producta, *nihil continent Orthodoxæ Doctrinæ aduerſum; atque ad vſum Antiquitatis Studioſorum vtiliter in lucem proferentur. Actum Antuerpiæ* X. *Nouembris Anno* M. DC. XLV.

P. Coens S. T. Licent. Canonicus
Cathedral. Eccleſiæ D. Virginis,
& Lib. Cenſ. Antuerp.

TEMPO-

EMPORE QVO PRIMIS AVSPICIIS IN MVNDANVM FVLGOREM SVRGERET VICTVRA DVM ERVNT HOMINES ROMA, VT AVGERETVR SVBLIMIBVS INCREMENTIS FOEDERE PACIS ÆTERNÆ, VIRTVS CONVENIT ATQVE FORTVNA, PLERVMQVE DISSIDENTES: QVARVM SI ALTERA DEFVISSET, AD PERFECTAM NON VENERAT SVMMITATEM. EIVS POPVLVS AB INCVNABVLIS PRIMIS ADVSQVE PVERITIÆ TEMPVS EXTREMVM, QVOD ANNIS CIRCVMCLVDITVR FERE TRECENTIS, CIRCVMMVRANA PERTVLIT BELLA: DEINDE ÆTATEM INGRESSVS ADVLTAM, POST MVLTIPLICES BELLORVM ÆRVMNAS, ALPES TRANSSCENDIT ET FRETVM: IN IVVENEM ERECTVS ET VIRVM, EX OMNI PLAGA, QVAM ORBIS AMBIT IMMENSVS, REPORTAVIT LAVREÆ TRIVMPHOS: IAMQVE VERGENS IN SENIVM, ET NOMINE SOLO ALIQVOTIES VINCENS, AD TRANQVILLIORA VITÆ DISCESSIT. IDEO VRBS VENERABILIS, POST SVPERBAS EFFERATARVM GENTIVM CERVICES OPPRESSAS, LATASQVE LEGES, FVNDAMENTA LIBERTATIS ET RETINACVLA SEMPITERNA, VELVT FRVGI PARENS, ET PRVDENS, ET DIVES, CÆSARIBVS TAMQVAM LIBERIS SVIS REGENDA PATRIMONII IVRA PERMISIT. ET OLIM, LICET OTIOSÆ SINT TRIBVS, PACATÆQVE CENTVRIÆ, ET NVLLA SVFFRAGIORVM CERTAMINA, SED POMPILIANI REDIERIT SECVRITAS TEMPORIS; PER OMNES TAMEN QVOTQVOT SVNT PARTES TERRARVM VT DOMINA SVSPICITVR ET REGINA; ET VBIQVE PATRVM REVERENDA CVM AVCTORITATE CANICIES, POPVLIQVE ROMANI NOMEN CIRCVMSPECTVM ET VERENDVM. Ammianus Marcellinus lib. XIV.


IVLIVS CÆSAR non immeritò inter fortiſſimos numeratus eſt Heroas, qui præ aliis hominibus maximis ornati virtutibus Imperia adminiſtrauerunt: nam huius prudentiâ atque conſilio Deus vltimam Monarchiam exordium ſumere, totumq; Terrarum Orbem in optimum rerum ſtatum redigi voluit. Hic igitur Iulius cùm totam Galliam (quam nunc partim Franciam, partim etiam Germaniam Inferiorem appellamus) grauiſſimis præliis viciſſet; cùm Germanos bello vexaſſet, eorumque ciuitates plurimas Romano Imperio adieciſſet, ingenti gloriâ Romam rediit; ſibi Triumphum ac Conſulatum in annum ſequentem poſtulauit. Et quamuis ea petitio Populo Romano placeret, multique Cæſarem ceu virum ſtrenuum ſuſpicerent, adeò vt ei Conſulatus dignitas à Tribunis plebis promitteretur; non potuit tamen vni Cn. Pompeio perſuaderi, quin is Iulio oppreſſionem intentare, apertoque prælio reſiſtere cœperit. Hos tumultus vt ſedaret M. T. Cicero, vtrique parti æquiſſimas ac tolerabiles conditiones adducebat, adeò vt etiam Iulium in ſuam ſententiam traheret: ceterùm Pompeius omnes rationes improbè recuſans, ſe non priùs pacis leges recepturum reſpondit, quàm amputatum Iulij caput ſibi adferri videret. Hinc mox ciuile bellum adeò cruentum exortum eſt, vt Iulius, ex neceſſitate conſilium ſumens, ex Pompeij militibus ſupra quater centena millia occidiſſe feratur. Pompeius tandem in Ægyptum fugit; vbi à Ptolemæo Ægypti Rege iuniore per inſidias occiſus, eiuſque caput ad Iulium delatum fuit: quod ſimul atque vidiſſet Cæſar, fleuiſſe admodum dicitur. Iuxta Lariſſam qui è prælio ſuperfuerant, in gratiam recepit; ac eis, quidquid in eum admiſerant, libentiſſimè remiſit. Nec vmquam habuit Orbis perinde potentem Principem, qui poſt victoriam maiori ſit clementiâ erga ſuos hoſtes vſus, qui ſe vltrò dediderunt. Sæpenumerò eum dixiſſe ferunt; ſe ex bello ciuili non alium fructum percepiſſe, quàm quòd multos ſeruarat, quos prælio ſuperatos trucidare potuerat. Quinquageſies ſignis collatis pugnauit; neque vmquam quiſquam feliciori Marte, bis vno die, cum centies mille hoſtibus dimicauit. Europam grauiſſimis præliis, Africam conſilio, Aſiam verò non minori ingenij dexteritate vicit, quàm prudentiâ ſeruauit. Quamobrem frequenter dicere ſolebat, ſe non ſuæ vitæ timere, ſed caſum ſuum Reipub. Imperioque Romano exitialem fore. Nec eum omen fefellit: nam ſtabilitâ iam in omnibus regionibus pace, poſtquam ei Senatores in gratitudinis argumentum Templum Clementiæ exſtruxiſſent, eumque Dictatorem perpetuum patriæq; Patrem appellaſſent; eodem die quarta, &, vt quidam volunt, vltima Monarchia, ſub hoc Principe initium ſumpſit: tandem à Bruto, Caſſio & Metello, in Capitolio quatuor & viginti vulneribus confoſſus eſt: eamque hi ſpeciem prætexebant, quòd inhoneſtum eſſet Senatui Romano ſuperiorem ſe in Imperio dominum ferre. Patrata fuit hæc cædes ab Vrbe conditâ anno ſeptingenteſimo decimo; quam hæc prodigia ſecuta ſunt: Stella crinita per ſeptem dies continuos fulſit: Bos aranti dixit, Citiùs deficient homines quàm iumenta: Tres Soles viſi, ſtatimq; in vnum corpus redacti ſunt. At facinus tam immane non diu inultum reliquit Deus: nam quotquot conſpirauerant in mortem Iulij (fuerant autem illi ex Pompeij militibus, quos Cæſar non modò in gratiam receperat, verùm & ad maximos honores prouexerat) non diu pòſt & ipſi trucidati ſunt. Diu admodum multumque deliberatum eſt, num percuſſores ſimul cum Capitolio igne conſumere expediret: at illi mox ſtrictis gladiis in publicum ſe proruerunt; ac ſic tandem, Vrbe relictâ, fugâ vitæ conſuluerunt. Hos continuò maximo cum exercitu ſecutus eſt M. Antonius Cos. qui & regnum affectabat: ac mox alterum eſt bellum ciuile ſubſecutum.

Romanæ Monarchiæ initium.

Bos aranti locutus.

Tres Soles.

LIBE-

I.

SATIVS EST SEMEL MORI,
QVAM ASSIDVA SPE ET EXSPECTATIONE
VITAM PERDERE.



Anno Imperij V. ætatis verò LVI. inopinatâ cæde oppreſſus perijt.



Cæsar Octavianvs ex testamento Iulij in eius familiam adscitus, atque ex adoptione heres factus, ex Academiâ, cui iam annos aliquot, ad meliorem parandam animi culturam, in Græciâ operam nauarat, adolescens annorum circiter nouemdecim Romam reuersus est. Quò sanè cùm rediisset, ciuili bello etiamnum grassante, minimeque extincto, atque adeò in ipsâ flammâ, ope Ciceronis sese aduersus seditiosos coniuratosque nihil tale quidpiam opinantes confestim præbuit, sedemque patris Iulij auream in forum apportari fecit, in eaque sedens Tribunatum petiit. Posteà verò ab Senatu pro Prætore comparato exercitui præesse iussus, vt cum A. Hircio ac C. Vibio Pansâ Coss. bellum contra Antonium conficeret, vimque eius armis comprimeret, ne qua noua de integro in Rempub. seditio exsurgeret, expeditionem quàm mox parauit. Sapienter quippe Senatores rati, amplissimum Imperium multo sanguine partum, aduersus Romanos suam iniuriam posse haud difficulter vindicare. Neque enim satis erat, percussores Iulij fuisse occisos, cùm ex eorumdem stirpe nonnulli etiamnum superstites velut pullularent, quos item multo sanguine multoque labore præcisos priùs oportebat. Cùm ergo hi ad istum modum vrbe exiissent, Pansa ex insidiis ab Antonio fuit interceptus, multique ex militibus eius occisi. Mox etiam Hircio itidem contigit. Victus tamen fugatusque fuit Antonius. At Cæsar vt Antonium post fugam ab Æmilio Lepido receptum cognouit, societatem cum Antonio & Lepido iniit: ac nouum Magistratum instituentes, Regnumque in tria partiti, sese Triumuiros Reipub. constituendæ appellarunt. Deinde permutatione detestabili inimicos suos alter alteri necandos tradidit. Ex quâ quidem re ita ad eorum, quos odio prosequebantur, vindictam succensi erant, itaque eorumdem plenis (quod aiunt) buccis mortem sitiebant, vt ne amicissimis quidem parcere potuerint. Adeò in iis amor, fides, iusque sanguinis planè extinctum fuit. Præterea proscriptionum librum inter sese composuêre, in quo Ciceronem Cæsar, Paulum Lepidum fratrem suum germanum Lepidus, ac L. Cæsarem auunculum suum vnà cum matre Antonius, proscripserunt. Fuêre etiam in eodem illo libro proscripti Senatores centum & triginta duo, ex Equestri ordine triginta, ciues ex Optimatibus centum & triginta octo. Huiusmodi libro composito, in Vrbem cum omni exercitu redierunt: quodque antè animo conceperant, re perfecerunt, atque ipsos proscriptos partim laqueo, partim nece, partim incendio & spoliis, aliisque modis vitâ priuarunt. Cicero, posteaquam de proscriptionum libello audierat, nihil fugâ tutius fore ratus, in ipsâ fugâ abreptus, dextraque præcisâ, capite obtruncatur. Eius verò caput pro rostris, impositum hastæ, erectum fuit. His tandem ita perpetratis, in Græciam aduersus Iulij percussores profecti sunt: qui vbi se victos, infirmioresque quàm vt hostibus resisterent, cognouissent, semet interemerunt. Posteà quisque in Regnum, quod ex superiori diuisione sibi obuenerat, profectus est: Lepidus in Africam, Antonius in Asiam; atque in Europam, Romam nempe, Octauius. Hic Perusiæ, eo die, quo Iulius interfectus est, trecentos Optimates interemit, atque in arâ Iulij combussit. Pòst deinde Lepidum, leui atque exiguâ occasione motus, perpetuum Romani Imperij exsulem iudicauit. Tandem etiam se Antonio inimicum apertè professus est, quòd, repudiatâ sorore suâ Octauiâ, Cleopatram Ægyptiæ Reginam in vxorem duxisset. Quare Antonium acerrimo bello deuicit, & ad mortem etiam adegit. Atque vbi iam quinque illa ciuilia bella gessisset, Mutinense nimirum, Philippense, Perusinum, Siculum atque Actiacum; vtque Dalmatiam, Pannoniam, Cantabriam, Aquitaniam, Germanosque vltra Albim fluuium submouisset, Sueuos, Sicambros, ac Danos coërcuisset, domuissetque; cumque item & alias nationes malè quietas ad obsequium redegisset, pax terrâ mariq; illicò subsecuta est. In cuius profectò perpetuam memoriam militum sex millia in crucem egit. Atque ita tandem triumphans Romam rediit, templumque Iani pro more clausit: perpetuusque Tribunus, Pater patriæ, & Augustus, à populo salutatus ac nominatus; templumque Pacis illi decretum est, anno ab Vrbe conditâ DCCXXVI. ante natiuitatem verò Christi anno XXV. qui quidem natus est, postquam hic Imperium annis propè XLII. administrasset.

II.

ROMAM LATERICIAM ACCEPI, MARMOREAM RELINQVO.



Cùm annos LXXVI. vixiſſet, Regni ſui LVI. anno veneno extinctus eſt.

IBERIVS Augusti priuignus fuit, filius Ti. Claudij Neronis & Liuiæ Drusillæ, qui vnà cum fratre N. Claudio Druso ab Augusto (cui tamen nepos ex filiâ erat) adoptatus fuit; idque impulsu atque hortatu Drusillæ, quam grauidam marito rapuerat. De Tiberio infante Mathematicus Scribonius præclara spopondit, etiam regnaturum quandoque, sed sine regio insigni. Huic Augustus filiam Iuliam, Druso verò fratri Antoniam M. Antonij filiam vxorem dedit. Strenuus vterque fuit, ac in re militari optimè instructus: verùm Drusus in Germaniâ bello perijt; cuius filium Germanicum Tiberius posteà adoptauit, quamuis & ipse filium haberet, qui Drusus appellatus fuit. Tiberius pro Augusto in Oriente præclarè multa gessit: Armeniis Tigranem Regem constituit, signaque militaria M. Licinio Crasso à Parthis adempta recuperauit. Deinde grauissimis præliis Germanos adortus, quadraginta millia captiuorum secum in triumphum duxit. Posthæc rursum Illyriam, Thraciam, Macedoniam & Mysiam, Romano iunxit Imperio, quæ anteà per ingentem M. Quintilij Vari stragem (hic in Germaniâ cum tribus Romanorum legionibus perierat) Regno desciuerant. Posteà iterùm in Germanos bellum mouit, tametsi dubio ferè animo, quòd animosos admodum illos videret: ac post biennium maximo cum triumpho, gloriâ & victoriâ, Romam rediit. Hîc eum Augustus, ceu virum strenuum & in re militari peritissimum, coràm laudare cœpit, vnicumque Pop. Rom. refugium ac præsidium appellauit. Tum demum Liuia filium (cuius scelestissimum fucatumque ingenium perspectum habebat) ad Regnum promouere omnibus modis tentauit. Inerat enim ei ingenium pessimum, truculentum, auarum, insidiosum, simulans ea se velle quæ nollet: his quasi infensus, quibus consultum cupiebat; his verò quos oderat, quasi beneuolus apparens. Postquam igitur Liuia Augustum veneno necasset, Tiberius verò M. Agrippam, ne propter heroïcam faciem Regno præficeretur, occidi iussisset delatum à Patribus Principatum prolixâ fictaque oratione recusauit; Imperialis molestiæ magnitudinem declinauit: adeò vt eum omnes ex animo dixisse credentes, suffragia in Germanicum conuerterent, qui & post multas victorias signa militaria Varo à Germanis erepta restituerat, maximoque cum triumpho Romam redierat. Hîc protinus Tiberius fucum detegens, quasi coactus recepit Imperium: nec tamen aliter, quàm vt depositurum se quandoque spem faceret. Hæc anno ab Vrbe conditâ septingentesimo sexagesimo nono, post natum CHRISTVM anno decimo sexto gesta sunt: eius verò Imperij anno octauo decimo CHRISTVS Ierosolymis cruci affixus, mortuus, sepultus, tertiaque deinde die è mortuis surrexit. Quod cùm Tiberius Pilati sui Præfecti litteris intellexisset, etiam præter Senatus voluntatem CHRISTVM inter Deos adnumerari voluit. Postquam per aliquot annos Romæ vixisset, nulli non voluptatis generi addictus, tandem in insulam Capreas secessit, vbi & luxuriæ, immanissimisque cædibus vacauit: nulli affinium vsqueadeò non pepercit, vt vel proprias proles veneno extinxerit. Indies multos è Senatoribus, Nobilibus, ciuibusque, crudelissimis necauit tormentis; quorum filios ac vxores in Gemonias pertractos ex alto præcipitari iussit: virgines, immaturasque puellas, quas more tradito strangulare nefas erat, primùm à carnifice vitiari, ac deinde strangulari iussit. Exterarum quoque nationum Legatos, ne eius sæuitia aliis innotesceret regionibus, atrocissimis suppliciis interfici iussit. Tum ab Imperio Romano desciuerunt Parthi, Armenij, Mœsij, Bulgari, Daci, Poloni; & Germani quoque, post defectionem, totam depopulati sunt Galliam: ac vt semel dicam, nulla vix toto orbe regio erat, quæ non multis scateret seditionibus.

III.

ME MORTVO TERRA IGNI
MISCEATVR.



Ætatis anno LXXVIII. Regni verò XXIII.
veneno necatus eſt.



Germanicvs Germanici & Agrippinæ filius fuit, cuius patrem vnà cum duobus fratribus Nerone & Druso occiderat Tiberius, eiusque matrem formosissimam post charissimi mariti mortem nefando stupro commaculare studuerat: verùm illa assiduè flendo mori potiùs inediâ destinauit, quàm Tiberij scelestissimæ libidini satisfacere. Hunc C. Germanicus lento veneno, quemadmodum ille patrem Germanicum, extinxit: ac deinde sicut anteà fratres, ita & illum inediâ fameque consumi voluit. Posthæc Regnum adeptus est anno à Christo nato trigesimotertio. De eo tamen antè affirmauerat insignis Mathematicus Thrasillus, non magis Caium imperaturum, quàm per Baianum sinum equis discursurum. Quare Cæsar, non sine magnâ omnium admiratione, Baiarum medium interuallum & Puteolanæ molis, trium millium & sexcentorum ferè passuum ponte iunxit; per quem nunc equo, nunc curru vltrò citrò commeauit. Huius pontis & in hunc vsque diem nonnulla adhuc visuntur monumenta. Hic Tiberium atroci crudelitate longè superauit. Ex homine principe versus est in monstrum: sæuitiæ atque adeò luxuriæ tam addictus fuit, vt cum omnibus sororibus suis, Agrippinâ, Drusillâ ac Iuliâ, stupri consuetudinem fecerit. Tandem nec propriæ filiæ, quam ex lasciuâ vxore Cæsoniâ susceperat, pepercit, quin iam ætati nondum integræ vim intulerit. Multorum ciuium formosissimas vxores à maritis perductas sibi coniunxit, breuique easdem repudiauit. Primus omnium apud Romanos purpurâ indutus, gemmisque ornatus est. Pium, castrorum Filium, Patrem exercituum optimum maximum, maximè strenuum Principem, Principum patrem, Deum denique Deorum se appellari iussit. Deorum simulacris caput demi, suumque imponi caput iussit, seipsum Latialem Iouem appellans. In templo ipsius simulacrum stabat aureum iconicum, quod amiciebatur quotidie veste quali ipse vteretur, eidemque summos honores & sacrificia exhiberi imperabat. Sui præterea simulacrum per omnes regiones adorandum circumferri voluit. Quod cùm Iudæi ceu legis diuinæ obseruantiores facere non vellent, in eos maximè iratus Cæsar, omnes eorum scholas ac synagogas euerti iussit: ac in Templo Ierosolymitano sui imaginem erigi, eidem honores ac sacrificia exhiberi, totùmque templum diis statuisque Romanis impleri mandauit. Tyrannidem quoque maximam Romæ exercuit: nam horreis præclusis populo famem indixit, quò diutiùs cruciarentur. Romano Imperio casum, famem, pestilentiam, incendium, vastationem excidiumque imprecabatur, vt eius Imperij diuturna apud posteros esset memoria. Queri etiam palàm de conditione temporum suorum solebat, quòd nullis calamitatibus publicis insignirentur. Cùm ad saginam ferarum muneri præparatarum cariùs pecudes compararentur, ex noxiis laniandos adnotauit. Multos honesti ordinis aut ad bestias condemnauit, aut medios serrâ dissecuit, quòd malè de munere suo opinarentur. Parentes supplicio filiorum interesse cogebat; quorum vni valetudinem excusanti lecticam misit; alium è spectaculo pœnæ epulis statim adhibuit, atque omni comitate ad hilaritatem & iocos prouocauit. Hunc in modum grassantem atque sæuientem C. Germanicum non defuit plerisque animus adoriri: sed vnâ & alterâ conspiratione detectâ, nemo ampliùs ne mutire ausus fuit. Postremò Cor. Sabinus, submotâ per conscios Centuriones turbâ, Cæsari maxillam discidit; ceteri vulneribus triginta confecerunt. Quod simulatque intellexissent Germani corporis custodes, nonnullos ex percussoribus, quosdam etiam innoxios Senatores interemerunt. Verùm ciuibus ilicò armatâ manu accurrentibus, eius quoque vxor Cæsonia gladio à Centurione confossa est, & filia parieti illisa. Tum Senatus in asserendâ libertate adeò consensit, vt quidam sententiæ loco abolendam Cæsarum memoriam, ac diruenda templa censuerint.

Ti. Clav-

IIII.

NIHIL MAGIS IN MEA NATVRA PROBO
QVAM INVERECVNDIAM.



Ætatis anno XXVIII. Imperij III. menſe x.
clanculùm extinctus.



I. CLAVDIVS Drusi filius, & dicti C. Germanici (qui ob animi simplicitatem ac stoliditatem tempore Tiberij vitâ donatus est) patruus, Imperator à militibus contra Senatus Populique Romani voluntatem eligitur post natiuitatem CHRISTI anno quadragesimo quarto. Ex quo quidem factum est, vt multùm diuque in Capitolio (quod iam suis militibus inuaserat) consilio habito Senatus tandem decreuerit, violentâ manu Claudio resistendum fore, atque ex Optimatibus aliquem eligendum potiùs ad Imperium, iuxta eam consuetudinem, quæ à maioribus semper obseruata esset. Hoc eodem tempore Romæ erat Iudæorum Rex Agrippa, qui inter Senatum & Claudium multùm laborabat. Senatus volebat vt Claudius modis omnibus à militibus discederet: hic verò per Agrippam contrà respondebat, minimè sibi mirum videri, Senatum inuitò in nouam Cæsaris electionem consentire, ob immanem superiorum Cæsarum crudelitatem: verùm si suâ vsi fuissent clementiâ, non vt tyrannum se experirentur, sed vt bonum ac benignum Principem. Prætereà cùm initio ab exercitu vel inuitus electus fuisset, indignum esse aiebat, minimeque decere, vt quos sibi fidos ac gnauos semper habuisset, modò desereret. Respondebat autem Senatus, haudquaquam se subiici velle, posteaquam essent liberi. Quibus rursum per Agrippam respondebat Claudius, cum iis ergo se etiam inuitum dimicaturum, aduersus quos arma sumere numquam decreuisset: & vt sibi extra vrbem locum designarent vbi conflictus pararetur. Indignum enim fore, addebat, si propter illorum vanitatem patria ciuium sanguine & latrociniis inficeretur. Mox cùm Claudius istiusmodi responsum remisisset, à Senatu discedunt milites, omnesque sese Claudio adiungunt. Senatus igitur vbi ad istum modum se omni vi ac præsidio destitutum videbat, tandem Claudio inaugurationem præstitit, qui sese ad omnem ciuilitatem, vitæq; humanitatem, formauit. Sed in ferendis ac pronuntiandis sententiis se varij rariq; ingenij fuisse satis declarauit. Nonnumquam perspicax, prudens, atque acutus erat: nonnumquam verò ita properè itaque insulsè sententias tulit, vt quæ ad rem nihil interdum pertinerent. Cùm namque tempore quodam adulter quispiam ad eum productus fuisset, vt quid huic faciendum foret pronuntiaret, tantùm hoc adulterum admonuit, vt deinceps grandæuo suo corpori parceret, nec ita se fatigaret, disceretque olim cautiùs & occultiùs suum celare dedecus. Quid enim meâ refert, dicebat, tuam scire infamiam? Vno eodemque die interdum plusquam viginti promulgauit edicta, ex quibus illud præcipuum ac præstantissimum fuit, vt, cùm vuæ maturæ in vite penderent, tum vnusquisque dolia sua diligenter compicari curaret. Quod autem ad militare ipsius studium attinet, voluit aliquando virtutis suæ velut specimen quoddam edere, seq; Principem strenuum patriæ suæ exhibere. Quam ob caussam quarto Imperij sui anno cum magnâ militum multitudine in Angliam profectus est, quam cum quibusdam insulis aliis suo facilè subiecit Imperio, victorq; Romam inde triumphali curru reuersus est. Deinde verò ad magnifica altaq; ædificia animum appulit. Per montes & valles aquam longitudine ter mille passuum duxit vsque in Vrbem, quam de se Aquam Claudiam appellauit. Quod quidem opus, mille & triginta hominibus continuè laborantibus, vndecimo incœpti operis anno absoluit. Portum Hostiensem vtrimq; alto atq; honorifico ædificio muniit. Anno Imperij sui septimo accidit principium vastationis Iudæorum ex seditione quadam Ierosolymis circiter dies Azymorum coortâ, in quâ plusquam tricies mille Iudæi occisi ac sub portâ velut suffocati sunt. Caussa Romanus fuit miles impius, qui pudenda ante introitum templi omnibus visenda obscœnè denudabat. Vnde & posteà Claudius Româ omnes exegit Iudæos. Hunc item naturâ fuisse tyrannum, ex eo facilè constare potuit, quòd plerosque paruâ de caussâ bestiis dilaniandos subiecerit. Eo ipso die quo Agrippinæ nuptias celebrabat (postquam Messallinam concubinam suam strangulari curauerat) trigintaquinque Senatores, & Nobiles vltra trecentos, vario suppliciorum genere interemit; idque tantùm, vt ex eâ cæde animum suum oblectaret. Filiæ suæ maritum interfici quoque instinctu Agrippinæ curauit, vt hæc ita suum filium Neronem ad Imperium perduceret. Nam vbi eum Claudius adoptasset, ac filiam suam Octauiam in vxorem dedisset, Agrippina Claudium veneno sustulit, ac mortem eius tantisper celauit, donec filium ad Imperium perduxisset; Britannicum, verum Claudij filium, ipsa occultum seruauit, vti nemo eius ampliùs recordaretur.

Iudæorum deuastationis origo.

V.

NON EODEM MODO A PVLICE ET FERA BELVA CAVERI OPORTET.



Anno ætatis LX. Imperij XIIII. toxico ſublatus eſt.


ERO CLAVDIVS ope atque astutiâ matris suæ Imperium adeptus est à CHRISTI natiuitate anno quinquagesimo sexto, ætatis suæ anno decimo septimo. Fuit autem hic coniux prædicti Claudij filiæ, ac verus filius Cn. Domitij Ænobarbi atque Agrippinæ, quæ Germanici Claudij fratris erat filia. Initio quidem se Principem satis benignum præbuit, verùm posteà temporis successu ita in homine omnis crudelitas, omnis sæuitia cum ætate accreuit simul, vt C. Germanicum auunculum suum non solùm in quacumque crudelitate imitatus sit atque expresserit, sed etiam improbitate longè superauerit. Ab ineunte suâ ætate ita penitus omni tyrannidi atque improbitati sese implicuit, vt ne à matre quidem suâ abstinere potuerit, quin sæpenumerò cum eâ rem habuisse, si quando lecticâ pariter veherentur, putaretur. Nec sacris virginibus Diisque perpetuò consecratis, quas Vestales dicimus, pepercit. Immania illa ac indigna flagitia quæ cum Sporo eunucho perpetrauit, hoc tempore recensere non libet. Postquam verò omnem medullam libidine penitus exhausisset, corpusque planè eneruasset, vt iam Veneri ampliùs operam dare non posset, omni crudelitati ac tyrannidi se totum tradidit. Quàm plurimos ex cognatis suis, atque optimos Romanæ vrbis patritios viros infinitos, veneno, latrocinio, ac miris cruciatibus interemit. Senecam præceptorem suum, quem nonnihil verebatur, coëgit, vt quo mortis genere mori vellet, eligeret, quamquam sæpenumerò ab ipso discedere relictis bonis optasset. Sed cùm animaduerteret se mortem effugere haudquaquam posse, elegit vti sibi in tepidâ aquâ constituto omnes aperirentur venæ, vt ita cum sanguine paullatim animam emitteret. Eodem hoc ferè tempore amica ipsius Poppæa, quam plurimùm amabat, Neroni ceu conuitium crebrò obiecit, quòd sui iuris non esset, ac matris staret imperio, ad cuius præscriptum ipse viueret. Quod illi frequenter nunc ioco, nunc etiam seriò, exprobrauit. Nam quamdiu Agrippina superstes erat, non ausa fuit Octauiam Neronis coniugem ita apertè lædere aut supprimere, vt cum eius marito matrimonium posset contrahere. Ab eo tempore cœpit Nero matri suæ inuidere ac molestus esse: quam cùm omni præsidio denudasset, palatio suo expulit, vndecumque sedulò quæritans, quâ viâ quáve ratione eam necare posset. Quod vbi iam ter quatérve veneno, aliisque modis nequidquam tentasset, postremò per vim strangulari curauit. Pòst deinde ad demortuum matris cadauer accessit, intima eius scrutaturus: quorum, omnia nimis quàm accuratè suis contrectans manibus, quædam laudauit, quædam verò vituperauit. Tum itidem & vxoris suæ Octauiæ iugulum frangi curauit, duxitque in vxorem Poppæam. Sed non multò pòst verberibus etiam hanc occidit, atque eius puerum in mari submergi fecit. Deinde & Romam incendi iussit: cuius incendij flammam adeò miserabilem, adeoque deplorandam, vt quæ sex diebus continuis ardere conspiciebatur, ex altissimâ quadam turri, Mæcenatianâ nominatâ, ouans exsultansque, ac subinde etiam Troianæ vrbis euersionem atque incendium cantillans, prospectabat. Posthæc Christianos multis variisque suppliciorum generibus persecutus est: quorum aliquos ferarum pellibus insui iussit, vt sic quatuor cursitantes pedibus, venatici canes aliaque animalia insequerentur ac dilaniarent. Aliquos prætereà igne absumi, aliquos lanceis transfigi, aliquos denique in crucem agi præcepit: inter quos etiam Apostolus Petrus numeratur. Paulum item gladio obtruncari fecit: edixitque eadem vbique terrarum obseruari. Marcum præterea Euangelistam, vtrumque Iacobum, Bartholomæum, & Philippum interfici curauit. Non ita multò pòst vrbi Romæ (quæ iam pænè tota perierat) magna accidit calamitas. Peste enim infensissimâ enecata sunt ciuium circiter triginta millia. Anglia atque omnes aliæ Prouinciæ Orientales ab Imperio Romano discesserunt, & vbique magna Romanorum multitudo cædebatur, vt iam nusquam tuti esse possent. Ex quâ quidem re Senatus Populusq; Romanus Neronem Romani Imperij hostem declarauit. Proinde hic cùm ab omnibus suis centurionibus ac militibus se desertum videret, nocte intempestâ Româ effugit. In quâ fugâ clàm ipsi nuntiatum fuit, se ab Senatu militibusque diligenter inuestigari, vt sub cruce virgis ac loris ad mortem flagellaretur. Quamobrem sibi manum inferre conatus est; fecissetque, si non horrore manus nimiùm trepidassent. Orabat igitur Sporum, vt semet priùs laqueo strangulare vellet, haberetque ad cuius exemplum seipsum deinde audaciùs interficere posset. Epaphroditum præterea scribam suum, qui cum alio solus fugæ comes relictus erat, obsecrabat, vt suo eum gladio transfodere vellet. Qui cùm recusasset; Age, inquit Nero ad se, posteaquàm neque amicum neque hostem in hac re tibi inuenias, tu te ipsum admone; quod alius non vult, ipse perfice. Epaphroditus eius misertus, trepidantem manum iuuit; ac sibi ipsi iugulum præscidit. Atque ita sanè cum ipso tota Cæsarum prosapia funditus deleta fuit atque extincta.

V I.

PRIAMVS MIRVM IN MODVM BEATVS FVIT, QVOD PATRIAM SIMVL CVM REGNO PERDITAM VIDIT.



Poſtquam annos XXXII. vixiſſet, XIIII. verò Imperium adminiſtraſſet, ſibi ipſi manum intulit.

SER. SVLPITIVS GALBA ex vetustissimo & nobilissimo adeoque Romano genere oriundus, miles fuit sanè fortunatissimus, ac Romani exercitus in Hispaniâ Imperator peritissimus. Hic cùm in nouâ Carthagine ius diceret, atque ipsi nunciaretur, Galliam, Britanniam, aliasque regiones à Romanis desciuisse, & iam certum Romanæ vrbi interitum imminere timeret, miserabilem præsentium temporum fortunam verbis conquestus est. Eâdem illâ tempestate per litteras admonitus fuit, vt se totum, tamquam humani generis assertorem, præsenti huic negotio daret. Quâ in re non diu admodum cunctatus est: extemplò enim, conuocatis legionibus, de Rebuspub. Prouincialibus huiusmodi promulgauit edictum, Vti quisque omni diligentiâ communi saluti veniret auxilio, vt Respub. semel ab omni tyrannide vindicari queat. Ex quo quidem facto à militibus salutabatur Imperator: verùm hic respondebat, se non Imperatorem, sed dumtaxat Populi Romani Legatum esse. Intereà dum hæc agebantur, nuntiatum fuit Seruio Neronem obiisse, Populumq; Rom. ipsi iurasse, atque inaugurationem vltrò promisisse: tum demum hic Imperatorium nomen libens etiam assumpsit, & cum magnâ militum copiâ Romam profectus est. Hæc ita gesta sunt anno post CHRISTI natalem septuagesimo primo. In ipso itinere passim vndecumq; Seruio offerebantur munera. Cumque iam Romæ in palatium ingressus esset, ingens accidit terræmotus, & sonus maximè terribilis auditus est. Præterea visum est, cùm ipsis Kalendis Ianuariis Diis sacrificaret, Imperatorium diadema de capite eius in terram decidisse; quod ipse pro certo imminentis infortunij præsagio habuit. Inprimis debuit Sabinum armis compescere, qui ad Imperium peruenire plurimùm nitebatur. Atque vbi iam omnia tranquilla & benè constituta videret, animaduertens Vrbem etiamnum militibus præter consuetudinem grauari, missionem Germanis dedit militibus, eosque indotatos ad proprios lares remisit. Qui, cùm vt fortes stipatores suas virtutes probè satis hucusque spectatas ipsi fuisse putarent, Cæsarem ad Senatum detulêre, grauiterque de illo conquesti sunt; illud in medium adferentes, quòd in multis & magnis tempestatibus, in bellis maximè periculosis aduersus Gallos & Vindicem sese fortes fidosque cognouisset. Postremò, cùm iam nihil spei sibi relictum animaduerterent, omne Imperatori seruitium renuntiarunt, nec nisi Senatui iurare voluerunt. Miserunt prætereà ad Prætorianos milites nuntios, sibi Galbam minimè placere, se alium facilè Imperatorem scire, qui omnibus probè placeret. Mox vt Galba hæc intellexisset, suspicabatur se non ob senectutem solùm contemni, verùm etiam quòd nullas haberet proles. Adoptauit igitur sibi in filium Pisonem Frugi Licinianum, adolescentem nobilem admodum ac prudentem. Cùm verò M. Siluius Otho spe adoptionis sese frustratum vidisset, aliumque impetrasse quod ipse peteret, cum seditiosis militibus fœdus iniit. Quod vbi audiuisset Galba, atque Othonem iam inuasisse Prætorium exercitum, aliqui consuluerunt, vt eò statim se conferret; suâ præsentiâ facilè effecturum, ne quid mali oriretur, aut si quid ortum esset, operam daturum ne quò latiùs serperet. Ceterùm istud consilium Galbæ adeò non placuit, vt se domi continendum consultius arbitraretur, asseruandumque se legionibus Illyrici exercitus, qui in diuersis locis castra posuisset, linteo inuolutum daret; certò tamen cognoscens, frustraneum esse aduersus tot militum gladios istud conari. Posteà Otho istiusmodi finxit commentum, rem inconsultò fuisse tentatam, & seditiosos milites ad vnum omnes esse occisos. Cui & illud paulò pòst accessit, aduenisse militem qui iactitaret se suâ manu Othonem interemisse. Quibus verbis factum est, vt vel hoc modo Galba in forum prodiret: quò cùm peruenisset, vnà cum Pisone filio suo adoptiuo, milites quibus istud negotium Otho mandauerat, vtrumque inuadunt: quibus Galba iugulum libens porrexit, inquiens, vt ipsum haud cunctanter peterent, posteaquàm ita illis placeret. Ad hunc modum ambo fuerunt interempti, qui ob patriæ salutem ac libertatem potissimùm venerant. Et quod magis mireris, ciues Imperatorem adeò fortem, adeò nobilem, adeò strenuum non solùm in isto periculo deseruerunt; sed & cadauer eius ita inglorium in publico foro reliquerunt, vt extra vnum militem veteranum, qui istud nocte intempestâ in suo horto sepeliuit, ne semel quidem attigerint. Sed caput eius præcisum, hastæque impositum, Othoni fuit præsentatum.

VII.

DISCE MILES MILITARE, ADEST GALBA NON GETVLICVS.



Cùm vixiſſet LXXIII. annis, regnaſſet VII. menſibus, ex inſidiis occiſus eſt.


. SILVIVS OTHO, postquam vi Imperium adeptus esset, Romani omnes perterriti, animoque perculsi ob turpem ac miserabilem dicti Galbæ cædem fuêre. Nec verò ideò tantùm, sed etiam propter improbos mores præsentis huiusce Othonis, qui (vt iam satis nouerant) Neroni in omnibus suis exsecrandis flagitiis tamquam comes ac fidus socius perpetuò adfuerat. Verùm hic cùm iam dies ad vesperem vergere cœpisset, Senatum adiit, oratione eleganti luculentaque persuasit, vt quidquid factum esset, id omne ad Reipub. vtilitatem & commodum factum esse crederent. Atque ita tandem cum consensu vniuersi populi in Palatium venit, vbi omnem Imperij administrationem in se suscepit. Mox deinde omnes Neronis statuas atque imagines deiectas restaurauit, quæque à Galbâ fuerant ordinata atque instituta, vniuersa penitus abrogauit. Non multo tempore pòst nouus rumor ex illo exercitu, qui in inferiori Germaniâ castra fixerat, exortus est: nempe apud Coloniam prope Rhenum Senatus Populique Rom. nomine Vitellio iuratum fuisse, ipsúmque iam cum magnâ legionum copiâ in itinere esse, ac Romam venire. Hic rumor longè profectò alios præcedentes superauit: ita permota ciuitas hoc rumore fuit, itaque repentè omnes timor inuasit, vt non modò Senatores, sed vniuersus etiam populus sollicitus, anxius, ac mœstus esse cœperit. Verebantur enim ne duo hi scelestissimi, impudicissimi, atque omnium improbissimi vniuersum Imperium Romanum subuerterent. Re itaque omni in eo statu iam constitutâ, Otho præter omnium opinionem omnem dementiam ac libidinem postposuit, seque & cuncta ad Reipublicæ commodum conuertit. Ob quam sanè caussam illi præsidia suppeditanda fore decretum fuit; quamquam istud Senatores contra voluntatem plebis, quæ etiamnum erat discors ac seditiosa, ob superiores tumultus & mutationes, fecerant. Ad istum ergo modum suscepto bello, Otho quatuordecim legionibus probè instructus, suos milites Româ vno itinere in Liguriam vsque eduxit; vbi ita Vitellianos adortus cinxit, vt nec procedere, nec recedere omnino potuerint: sed Othonianis Vitelliani nimisquàm fortiter restiterunt. Maximâ vi vtrimque certatum est, fuitque pugna multò acerrima. In eâ enim cecidêre multa Vitellianorum millia, tametsi nec Othoniana acies manserit incruenta. Mox denuò sese mutuò aggressi, atque vtrimque acriter pugnando Othoniani milites iam tertiò circumsepti fuere. Cumque alio tempore vtrasque copias ad Padum fluuium iterùm deduxissent, vtrimque dubitarunt, num omisso bello, omnique discordiâ, pacem componerent, remque inter sese decernerent, aut ad Senatum potiùs deferrent. Intereà, dum colloquium hoc inter vtrumque exercitum continuaretur, Vitelliani centuriones fraude vsi, paullatim suas cohortes ordine instructas in Othonianos impresserunt, aciemque diuiserunt ac perturbarunt. Attamen illi fortiter restiterunt, ita vt hinc prælium longè cruentissimum subsecutum sit. Ad postremum Othoniani cùm fugam coacti cepissent, multo sanguine fusi sunt. Quod audiens Otho sibi manum inferre voluit, non quidem metu aliquo, sed quòd Imperium possidere cum tanto Reipublicæ incommodo & periculo nollet. Familiares suos adhortatus est, vt quàm ocyssimè possint, sibi quisque prospiceret, atque in tutum reciperet. Et cùm quæ necessaria erant, perfecisset, omni se angustiâ & dolore exemit, ac seipsum confodit. Tum properè eius cadauer (vti iusserat) combusserunt, ne quâ etiam post obitum ignominiâ afficeretur. Cumque iam rogus accenderetur, multi fuêre milites, qui sese præ nimio dolore confoderunt. Alij tandem suis gladiis atque armis concurrentes, alter alterum, occiderunt.

VIII.

MVLTO MELIVS IVSTIVSQVE EST,
VNVM PRO MVLTIS,
QVAM PRO VNO MVLTOS INTERIRE.



Pro Republicâ ſeipſum vitâ priuauit IIII. menſe Imperij,
ætatis XXXVIII. anno.



VITELLIVS ob felicem rerum ſuarum ſucceſſum ſeſe poſt mortem Othonis magnificè extulit; animoque ferox cum ingenti, militum manu ipſe paludatus, ferroque accinctus, Romam profectus eſt. Et quidem cùm iam in itinere per illos campos, in quibus pugnatum erat, ac fuſa Othonianorum corpora paſſim iacebant, profectionem pararet, fuêre quibus teter ille cadauerum odor moleſtus erat, quique olidam cæſorum tabem abhorrebant. Sed hos ille voce nimis quàm exſecrandâ corripuit, optimè, inquiens, olere hoſtem occiſum, at meliùs ciuem. Quâ quidem voce, quidnam Romæ acturus eſſet, ſatis apertè innuit. Fuêre item, qui ob ſubitam fortunæ commutationem, conſiderantes etiam cæſorum copiam, collacrymarint. At Vitellius non modò ad tot cadauerum millia immotus permanſit, ſed & magnam inde cepit delectationem, Diiſque eo in loco ſacrificauit, ac feſtum totâ nocte peregit. Inde verò profectus, nuntios accepit, qui Veſpaſianum à militibus in Iudæâ in Imperatorem electum aiebant. Quæ res illi metum atque horrorem quemdam incuſſit. Perrexit tamen, vrbemque cum ſignis ac tubis paludatus (vti dictum eſt) gladioque ſuccinctus introiit, comitatus ſexageſies mille ſagulatis militibus, ac ſtipatoribus, ad corporis cuſtodiam olim inſtitutis, pænè infinitis, detectis omnium armis. Poſt pedites eleganti ordine ſequebantur equites; deinde centuriæ triginta quatuor extraneorum militum, ipſi poſteà miſſæ. Tali honore atque apparatu per pontem Miluium in Capitolium triumphans venit: vbi primò Vitellius Germanicus Auguſtus appellatus, maximum Pontificatum, Conſulatum, Tribunatumque perpetuum cepit. Non multo tempore pòſt Vitellio nuntiatum eſt, Veſpaſianum in Italiam ingentem miſiſſe exercitum cum ipſo dimicaturum, cui fratrem cum claſſe ac tironibus & magnâ gladiatorum copiâ oppoſuit, vt hoſti reſiſteret. Intereà, quos interficere decreuiſſet, clàm variis modis paſſim interemit. Nam publicè iſtiuſmodi quidquam, præſertim tempore adeò importuno, tentare minimè audebat. Octauo igitur Imperij menſe, poſtquam omnem, quam potuit, crudelitatem & ſæuitiam, omnem tyrannidem, omnem amentiam & vecordiam, omnem denique ſuperbiam Populo Romano exhibuiſſet, Mœſiorum atque Pannoniæ exercitus ab eo deſciuerunt, & in abſentis Veſpaſiani verba iurarunt. Vtque iam ſingula ad certum exitium tendere, ac Flauiani milites velut in limine adeſſe videbantur, Vitellius Imperio cedere ſeſe vltrò profeſſus eſt, reclamantibus ac planè diſſuadentibus militibus, qui vitam animamque profundere atque amittere potiùs ſe paratos eſſe clamabant, quàm ipſum in aliquo deſererent; ſaltem ne ipſe deficeret, aut animum deſponderet. Reſumpſit itaque animum, Sabinumque Veſpaſiani fratrem & reliquos Flauianos nihil iam metuentes, vi ſubitâ in Capitolium compulit, ſuccenſoque templo Iouis optimi maximi oppreſſit. Incendium hoc è Tiberiano palatio inter epulas proſpexit; ac tum demum facti pœnitens, culpamque in alios conferens, Senatoribus orans perſuaſit, vt legatos cum virginibus Veſtalibus mitterent, pacem, aut certè tempus ad conſultandum, à Flauianis petituros. Interim ſeſe in Auentino monte coqui veſte indutum abdidit. Verùm mox, vbi pacem quaſi impetratam eſſe, leui incertoque rumore audiuiſſet, ſe in palatium referri paſſus eſt. Vbi cùm deſerta omnia repperiſſet, ſeque ab omnibus planè deſertum animaduertiſſet, rurſum in ianitoris cellulam confugit. Poſtquam verò Flauiani extra muros Vitellianos multo ſanguine fudiſſent, in vrbem eruperunt, cunctaque abdita ſedulò rimantes, tandem Vitellium inuentum è latebrâ traxerunt; & iniecto ceruici laqueo, religatis poſt tergum manibus, deſciſſâ veſte ſeminudum in forum, maximis verborum ludibriis, mentoque mucrone gladij ſubiecto, ne faciem ſubmitteret, minuſque ſe viſendum præberet, quibuſdam inſuper ſtercore & cœno inceſſentibus protraxerunt. Nec defuerunt, qui corporis vitia exprobrarent. Erat enim in eo enormis proceritas, venter obeſus, ac facies rubicunda ex vinolentiâ. Atque ita tandem, cùm per vicos huc illucque raptus fuiſſet, apud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus atque confectus eſt, & inde vnco tractus in Tiberim.

I X.

OPTIME OLET OCCISVS HOSTIS,
SED MELIVS CIVIS.



Poſtquam VIII. menſes Imperio præfuiſſet, ætatis LVII. horribili morte occiſus.

ESPASIANO absenti tantus Romæ ab Senatu Populoque honos exhibitus fuit, quantus Cæsaribus exhiberi solet aliis, idque anno post natum CHRISTVM septuagesimo secundo, & à cunctis mortalibus Princeps habitus fuit cùm bonus tum fortis, vt qui damna publica, bellaque, quæ tum passim vbique fere terrarum oriebantur, facilè arceret, ac componeret. Nam præter ciuilia bella, exteræ quoque nationes aliquot (vt erant Bataui, Britanni, Daci, VValachi, & plures aliæ) sese Imperio Rom. rebelles opposuerunt, bellumque deintegro renouarunt. Præter hos verò motus, etiam Gallia atque Hispania intestinum bellum nimis quàm infeliciter agitare ob cædem Galbæ cœperunt. Similiter fecêre Germani Vitellij nomine. Post hæc item Mysia, Pannonia, ac tota denique Vindelicia, nomine Vespasiani arma sumpserunt. Vt igitur Senatus animaduertit, Vespasianum hunc prudenter & concorditer vnà cum filio Imperium administrare, ambo Consules creati sunt, iussique vt Iudaicum bellum perficerent. Alter filius Domitianus Tribunus in Germaniam missus est. Sub hæc tempora Vespasianus Alexandriæ in Ægypto agebat: vbi cùm per nuntios Senatus decretum accepisset, ad intermissa bella sese probè expeditum denuò contulit. Cumque hic triginta & vnum propè millia Iudæorum fudisset, ac multas prætereà eorumdem vrbes pagosque funditus euertisset; quàm plurimi ex pagis & oppidulis Ierosolymam Pascha celebraturi simul confluxêre, vbi circa maximas rerum discordias ac dissensiones occupatos multo tempore obsedit Titus Vespasiani filius. Intereà temporis tanta in vrbe calamitas fuit præ fame, seditionibus & intestinis cædibus, quanta ab Orbe condito in ciuitate vllâ numquam fuisse legitur. Erant autem eâ tempestate in vrbe Ierosolymitanâ quidam exteræ nationis, Zelotes appellati, qui leges ac præcepta Dei maximo honore censentes, detestabilem Romanorum idololatriam ferro ab vrbe propellere conabantur. Hi in præsidium vrbis populum alienigenam, Idumæum nuncupatum, intra portas admiserunt: qui quidem tot & tantas in vrbe cædes prædasque perpetrauit, vt octo millia ac quingenti Iudæi laqueo fuerint strangulati. Deinde ex eâdem gente percussa sunt Nobilium duodecim millia. Sub hæc eadem tempora mulier quædam erat genere & facultatibus nobilis, quæ Ierosolymis reperta, communem cum omnibus obsidionis casum ferebat. Hæc impatiens inediæ, ac multâ fame ad quoduis facinus etiam contra naturæ leges armata, filium suum vnicum, qui etiamnum paruulus ab vberibus matris pendebat, in hunc modum aggressa est: Cui, inquit, te, mi fili, infelici matre longè infelicior, in bello, fame & direptione prædonum, reseruabo? Nam si quâ ratione vita sperari possit, Romanæ seruitutis iugo miserrimè vrgemur: atqui hanc ipsam seruitutem præuenit fames; atque his duobus malis prædones, in quorum manus alioqui incidendum est, multò sunt grauiores: agè itaque nate mi, esto matri cibus, prædonibus furor, ac posteris fabula. His dictis filium iugulat, flammisque tostum in frusta discerpit; ac dimidium eius comedit, parte alterâ clàm sepositâ. Paullò pòst prædones odore carnis exciti ad matrem irruperunt, certam mortem minitantes, ni absque morâ cibos, quos coctos penes se habebat, proferret. Tum illa; Partem equidem, inquit, optimam vobis reseruaui. ac confestim quæ superfuerant membra retexit infantis, inquiens: Meus hic filius est, meus partus, ac facinus meum: edite; nam & ego prior, quem genui, comedi. Nolim profectò vos fieri aut matre religiosiores, aut feminâ molliores. Quòd si pietate quadam ducti cibos ac dona aspernamini aut exsecramini, mihi hæc residua relicta sint, vt iis vel denuò pascar. Hoc facinus tantum crudelibus istis prædonibus horrorem incussit, vt territi trementesque abire, & miseræ matri residuam cibi partem relinquere debuerint. Repleta autem mox vniuersa ciuitas tam nefarij sceleris nuntio fuit: atque ingens hominum multitudo fame interiit. Quod quidem vt ad aures Titi peruenit, illorum misertus, finem miseriæ ac tantæ calamitati fecit. Vrbem namque continuò, quamquam non sine magnâ suorum clade, inuasit; vbi in ipsâ templi direptione, quod à Sacerdotibus & Primatibus tenebatur, ingentem suorum multitudinem amisit. Post multas tandem cædes tota ciuitas vnà cum templo incenditur, ac mœnia funditus deuastantur. In hac vrbis deuastatione vndecies centena millia Iudæorum fame & ferro perierunt, nonaginta millia capti, ac per vniuersum Orbem diffusi fuerunt. Duo item millia Vespasianus secum in triumphum auexit, quos posteà etiam bestiis subiecit. Ob hanc victoriam Vespasianus ac Titus eius filius Romæ triumpharunt. Neque vmquam sanè talis triumphus visus fuit. Nam inter trecentos & viginti triumphos, qui olim celebrati fuerant, numquam visum fuit patrem & filium in vno curru ob partam victoriam triumphasse. Vespasianus hic amicos sibi ex omnibus regionibus parauit, ac iam sextò templum Iani clausit. Vrbem Romam, ex maximâ parte incendio absumptam, vnà cum Capitolio integritati suæ restituit; ac Reipub. collapsæ plurima emendauit. Tandem, aluo repentè ad defectionem vsque solutâ, occubuit.

X.

BONVS ODOR LVCRI EX RE QVALIBET.



Ætatis LXXVIIII. Regni X. anno, primus Auguſtorum, omnium admiratione, ſiccâ morte occubuit.

ITVS cognomine paterno Vespasianus, qui superstite patre præsagio quodam, tamquam futurus Princeps, Cæsar appellabatur, & post sumptum Imperium Augustus; præesse cœpit Imperio post mortem patris, anno à CHRISTI natiuitate octuagesimo secundo. Bella ac seditiones, quæ iam aliquantisper vbique ferè conquieuerant, rursum hoc tempore renouari, ob Regni ac Principum mutationes, cœperunt. Titi enim huius frater Domitianus quàm potuit citissimè ad milites sese recepit, Imperiumque plurimùm affectauit, militum animos miris sollicitans modis. Vtriusque autem pater Vespasianus militum tyrannidem, quam sub quinque Cæsaribus nimiùm exercuerant, legibus planè iam aliquantò coërcuerat, humanitateque & modestiâ multâ lenierat. Nam Ordines amplissimos variâ cæde exhaustos, ac veteri negligentiâ contaminatos, purgauit; numerumque eorumdem, recenso Senatu & Equite, suppleuit; summotis nimirum indignissimis, & honestissimo quoque in Ordinem allecto, omnem sæuitiam exstirpans; vti notum esset, vtrumque Ordinem non tam libertate inter se quàm dignitate differre. Ob quam rem prætereà pronuntiauit, ius fasque esse, vt Senatores Equitibus præessent, & electio quidem Imperatoris penes Senatum foret, censerentur tamen nihilominùs pares libertate. Hos articulos equites peditesque Domitiano proposuerunt, asserentes nullâ se ratione eos transgredi velle. Ab illo igitur tempore ex Vrbe Domitianus egredi, quamprimùm posset, decreuit: atque istic noui quidpiam conari. Sed confestim equites, ipsum prosecuti, ex itinere retraxerunt, captumque ad fratrem suum Titum adduxerunt: qui vt ipsum interfici curaret tantum abfuit, vt ne exsilio quidem multarit, quin & præter omnium opinionem ipsum velut Imperij collegam sibi assumpserit; vt quorum animos subita seditio perculerat, ac totos pænè occuparat, omni metu liberaret. Eodem die maximum Pontificatum ideò se accipere professus est, vt à Romanorum sanguine puras seruaret manus. Quibus verbis res ipsa fidem præstitit. Nullius enim posteà cædis vel auctor vel conscius fuit, quamquam plerique Nobilium ad Imperium peruenire aduersus hunc plurimùm conati fuissent, ita vt interdum vlciscendi caussa minimè deesset: adiurauit tamen, periturum se potiùs quàm puniturum. Proinde duos certò in Imperij affectatione conuictos, nihil ampliùs, quàm vt desisterent, amicè monuit: Principatum enim non industriâ, sed fato dari; & illi contingere, cui Deus largiatur. Si quod tamen prætereà desiderarent, se tributurum spontè promittebat. Et confestim quidem ad alterius matrem, quæ procul aberat, cursores suos misit, qui anxiæ filium saluum nuntiarent. Anno autem Imperij sui primo miserabile incendium Romæ per triduum totidemque noctes accidit, quo multa ac præclara ædificia absumpta fuêre. Non multo tempore pòst in Campaniâ, haud longè ab Neapoli, mons Vesuuius conflagrauit: cuius incendij flamma ita à summitate montis auolabat, vt ex eâ multa cùm oppida tum homines prorsus interierint. In his aduersis non Principis modò sollicitudinem, sed vnicum etiam parentis affectùm præstitit, nunc per edicta consolando, nunc opitulando quatenus suppeteret facultas. Neminem sine spe aut consolatione à se discedere passus est, nec petenti quidquam vmquam recusauit. Quare cùm ex domesticis quidam, quasi plura polliceretur quàm præstare posset, admonuisset; Non oportere quemquam ait à conspectu Principis tristem discedere. Atque etiam vt quondam in cœnâ recordatus esset, se nihil cuiquam toto die præstitisse; *Amici*, inquit, *diem perdidi*. Vox sanè memorabilis, meritoque laudanda, vt qui nihil se beneficiorum in quemquam contulisse doleret. Eâ clementiâ & mansuetudine semper in plebeios vsus est, vt ab omnibus meritò nominari meruerit, Amor & deliciæ humani generis. Restituendæ Campaniæ è numero Consularium curatores sorte duxit, qui bona oppressorum in Vesuuio, quorum heredes non exstabant, restitutioni afflictarum ciuitatum attribuerent. Ceterùm in Vrbis incendio nihil nisi sibi periisse publicè testatus est. Cuncta etenim Prætoriorum suorum ornamenta operibus ac templis destinauit, officioq; Censoris optimi perfunctus est. Toto denique Imperij sui tempore nihil prius aut antiquius habuit, quàm vt collapsam Remp. in aliquo vel restauraret, vel etiam exornaret. Inter hæc morte præuentus cum maximo vniuscuiusque detrimento fuit. Quod vt palàm factum est, non secùs atque in domestico luctu, aut paterno funere, cuncti publicè mœsti fuerunt.

X I.

NEMO ME INIVRIA AFFICERE AVT CONTVMELIA POTEST: QVIA NIHIL AGO QVOD ALIOS LÆDERE POSSET.



Non ſine ſuſpicione veneni extinctus, cùm vixiſſet XLII. annos, & imperaſſet II. annis, II. menſibus & XX. diebus.

DOMITIANVS Imperium vſurpare cœpit anno poſt natum CHRISTVM octuageſimo quarto: quod adeò ſtudioſè affectauit, vt fratrem graui valetudine correptum, priuſquàm planè efflaret animam, pro mortuo deſeri iuſſerit, nulloq; defunctum præterquàm conſecrationis honore dignatus ſit. Inter initia Principatus quotidie ſecretum ſibi horarium ſumere ſolebat, nec quidquam amplius quàm muſcas captare, ac ſtilo præacuto configere; aſſueſcens interim cædes ac tyrannidem exercere; ita vt hinc vulgare prouerbium natum ſit: nam cuiquam interroganti, eſſétne quis intus cum Cæſare, vulgò reſpondebatur: Ne muſca quidem. Quod ſanè factum omnibus ideò magnæ fuit admirationi, quòd olim tantæ fuiſſet virtutis, vt Germanos bello domuerit; & modò ſeſe ad tam otioſa exercitia demitteret, ac pęnè nihil ageret. Sæpenumerò autem omnem vim dominationis tam licenter exercuit, vt iam tum qualis Princeps futurus eſſet, facilè oſtenderet. Quidquid libuit, ius fasque ſibi eſſe ratus eſt: ac breui tempore iſtud ex prauâ adminiſtratione omnino effectum fuit, vt iam patris fratrisque nomen odio eſſe & aboleri cœperit. Quod cùm aſtutiâ quadam conſideraſſet, voluit ſeſe paullulum corrigere; plurimaque & ampliſſima opera incendio abſumpta, à patre quidem ac fratre denuò inchoata, ſed minùs abſoluta, prorſus reſtituit. In quibus & Capitolium erat, vnà cum nouis ædificiis duobus aliis; templo videlicet Pacis, quod tempore pacis pater inceperat, atque Amphitheatro, quod in medio Vrbis Auguſtus propoſuerat, tandemque Veſpaſianus ædificare cœperat. Similiter ædem Claudij in monte Cælio, ab Agrippâ inchoatam, abſoluit. Ita quoque quàm plurima alia templa, palatiaque, operaque præclariſſima ſuæ integritati reſtituit; ſed omnia ſub titulo tantùm ſuo, ac ſine vllâ priſtini auctoris memoriâ. In Capitolio autem Cuſtodi Ioui nouam excitauit ædem, templumque gentis Flauiæ. Fecit item ſtadium, in quo ſeſe curſores exercebant; odéum, & naumachiam. In his omnibus ædificiis victorias Iudaicas, ac Germanicas, artificioſè depingi curauit. Ceterùm modis omnibus ſpectacula iucunda, vtiliaq;, & ludos qui populo placerent, ſedulò excogitauit. Quare inter alia & quinquennale certamen Capitolino Ioui inſtituit; atque vnumquodque triplex, Muſicum videlicet, Equeſtre, & Gymnicum: quo fiebat, vt aliquantò eſſet plurium quàm olim coronatorum. Certabatur etiam & proſâ oratione Græcè, Latineque. Inter hæc & Comœdiæ agebantur. Tandem in Albano quoque monte quotannis Quinquatria Mineruæ celebrabat. Breuiter, non in Theatro modò huiuſmodi ſumptuoſa ac magnifica ſpectacula populo exhibuit, verùm etiam in Circo. Congiarium prætereà populo nummorum trecentorum ter dedit, aliaq; non indigna Principe munera ſubinde publicè largitus eſt. Expeditiones deinde quaſdam ſponte ac non neceſſarias contra Dacos & Cattos, quos hodie Heſſos appellamus, ſuſcepit: poſtque adeptam victoriam duplicem triumphum egit, ac Germanici nomen ſibi aſſumpſit. Contra Sarmatas verò neceſſariam ſuſcepit expeditionem: in quâ legione cum Legato ſimul cæsâ, maximè laudauit occiſos, plurimumque triumphauit, perinde atque hoſtes cæſi fuſique fuiſſent. Poſteà edicta promulgauit, vti Chriſtiani variis atque atrocibus paſſim ſuppliciis afficerentur, bonaque eorum confiſcarentur: Ioannem Apoſtolum in dolium feruentis olei plenum coniecit; videnſque inde illæſum exiiſſe, in Patmos Inſulam eum ablegauit. Poſteritatem quoque Dauidis inquiri ac trucidari iuſſit, metuens ne fortaſſe quiſpiam ex eâ ſtirpe ſupereſſet, qui regnum Iudaicum in ſe reſtitueret. Eò tandem arrogantiæ & dementiæ peruenit, vt ſe Deum appellari atque honorari voluerit. Inter alia facinora mirum quàm in libidinem pronus fuerit, ita vt matronas virgineſque ſanè multas conſtuprarit. Tam interim callidæ inopinatæque ſæuitiæ fuit, vt Senatores, Conſulares, ac Doctos quoſque inueſtigato nouo quæſtionis genere clàm interemerit. Nonnullis manus pedeſque amputauit; atque immiſſo per obſcœna igne aliquos miſerè diſtorſit: alios cruci ſuffixit, alios canibus beſtiiſque laniandos obiecit. Philoſophos & Poëtas quò maiori ſtudio olim dilexerat, eò grauiùs perſecutus eſt, atque ex vrbe Româ omnes expulit. Per hæc terribilis cunctis & inuiſus, tandem oppreſſus eſt, amicorum libertorumque intimorum, ſimul & vxoris conſpiratione, acceptis vulneribus ſeptem, ignominioſeque ſepultus.

XII.

PAVCIS NOTVM EST, QVAM MISERA SIT PRINCIPVM CONDITIO: QVI A TYRANNIDIS FALSA SVSPICIONE TVM DEMVM LIBERANTVR CVM AGVNT ANIMAM.



Ab anno ſui Imperij XV. vitæ XXXV. clàm occiſus.

ERVA, vir grauis ac virtute clarus, ab Domitiani occiſoribus Imperator eligitur anno CHRISTI nonageſimo nono. Cùm verò iam Domitianus paullò antè quàm periret facilè ſuſpicaretur, eſſe qui vitæ ſuæ inſidias facerent, cumq; ſuſpicio hęc eius quò diuturnior eò grauior & anxia magis eſſet, grauiſſimis eos ſuppliciis enecabat, quos Imperio forſitan potituros ſuſpicabatur. Quâ de cauſâ Nobilium quorumcumq; natiuitates conſcribi, & in horoſcopum referri ſtudioſiſſimè curauit: inter quos Nerua, tamquam qui certiſſimè ad Imperium adſpiraret, Domitiano delatus fuit. Proinde Nerua ab Aſtrologo quodam amico ſuo præmonitus, qui periculum ipſi imminere, multosq; clàm occiſos enunciarat, confeſtim fugit, vixque effugit. Attamen hac ratione Imperium adeptus eſt. Circa Principatus ſui initium ſeditio planè deteſtabilis inter Prætorianos milites exorta eſt, qui ſub Domitiano omni ſæuitiâ ac tyrannide corrupti, ſeſe ad rapinas furtaque rurſum applicarant, ſtatuerantq; ipſum Domitianum iam Diuum appellare, & mortem eius vlciſci, niſi duces defuiſſent. Nihilominùs tamen & paullò pòſt idem perfecerunt, grauiterq; eos vindicarunt, qui Domitiano occaſionem necis præſtitiſſent. In iſtiuſmodi tumultu Nerua Imperium aſſumpſit, & cum auctoritate Senatus publicè ad populum orationem habuit prolixam, quâ mortuum Domitianum contumelioſiſſimè atque acerbiſſimè lacerauit. In Vrbe Româ omnes eius imagines & clypeos publicè detrahi, nomina & titulos eradi curauit, vetuitque, ne quis eumdem deinceps Cæſarem appellaret, ſperans hoc pacto omnem eius memoriam abolitum iri. Deinde etiam abrogauit, quidquid Domitianus per edictum promulgauerat. Chriſtianos, Iudæos, & quotquot ab Domitiano in exſilium pulſi fuerant, in Vrbem reuocauit; iisque bona, quibus antè adempta conſtabat, reſtituit; atque Chriſtianos pridem condemnatos omnino abſoluit. Annuos Iudæorum cenſus diminuit, ac capitali pœnâ interdixit, ne quis Chriſtianos aut Iudæos in poſterum accuſaret, læderétve. Atque hinc quidem factum eſt, quòd Apoſtolus Ioannes Epheſum ex Inſulâ Patmos redierit, numerusque Chriſtianorum ſub id tempus plurimùm in toto Orbe fuerit auctus. Vt verò Domitiani interfectores à militibus anxiè inueſtigarentur, operam dedit, quò amicitiâ atque humanitate omnem è medio tolleret diſcordiam, grauiterq; ſanguinarios militum animos reprimeret, mori ſatius eſſe inquiens, quàm Imperium ſanguine conſpurcari. Milites tamen horum quidquam nihil penſi habentes, multos ex his interfecerunt, qui in Domitiani necem conſpirarant, Neruamque inſuper coëgerunt, vt de ſceleratis cæſoribus interfectis coram Populo Romano militibus gratias ageret. Deinde Calpurnius Craſſus milites maximis muneribus ad ſe pellexit, ac cum his fœdere contracto Imperium plurimùm affectauit. Quod vbi Nerua percepiſſet, hominem cum vxore & liberis dumtaxat Tarentum miſit: ob quam clementiam ab Senatu grauiter fuit obiurgatus. Poſt hæc animaduertens ſibi magis magisque inſidias fieri, ſeque ad extremam ferè ſenectutem modò perueniſſe, Traianum ad Reipublicæ commodum adoptauit; vt quem non inidoneum Imperio fore ſperabat ob immenſas eiuſdem virtutes; nihil intereſſe inquiens, quamlibet extraneus atque adeò Hiſpanus foret: in iſtiuſmodi rebus non oportere genus aut nationem cuiuſquam inſpici, verùm potiùs virtutes ac prudentiam. Tanta eo tempore per vniuerſam Italiam annonæ caritas fuit, vt ſua hic ornamenta tam aurea quàm argentea diuendi curauerit, iuſſeritque egentes pecuniâ paſci publicâ. Miſit prætereà paſſim in oppida Italiæ commeatum ſatis vberem. Nullis exactionibus, nullis vectigalibus aut aggrauationibus populum onerauit, nihilque planè voluit tentare abſque conſilio prudentum. Ita denique omni virtute ornatus fuit, itaque ad omnem probitatem formatus, vt cùm de Regulo, omnium quos terra ſuſtinet nequiſſimo, narrare audiiſſet, exanimis ceciderit atque illicò obierit.

XIII.

NIHIL ME FECISSE SCIO, QVO MINVS POSSEM, DEPOSITO IMPERIO, PRIVATVS TVTO VIVERE.



Exacto Imperij anno II. ætatis LXXVII. extinctus est.

RAIANVS Italicâ vrbe Hiſpaniæ ortus,mortuo Neruâ poſt CHRISTI natalem anno centeſimo in caſtris prope Agrippinam ad Rhenum Imperium ſuſcepit,iuſſu ac voluntate Senatus Populique Romani: per quos olim,Neruâ etiamnum ſuperſtite,cum magnâ militum copiâ in Germaniam miſſus fuerat.Eâ enim tempeſtate Romanis aduerſus Germanos perinde pugnandum fuit, atque olim aduerſus Iudæos: nec id quidem iniuriâ. Vt enim Iudæi nullâ ratione ab ſuis legibus & cærimoniis recedere voluerunt; ſic profectò Germanis quoque libertatem priſtinam retinere & defendere viſum fuit,extremaq; potiùs ſubire,quàm vt ſe iugo ſubiici paterentur.Adeò hi ſemper libertatis cupidi fuêre. Proinde vbi Traianus neque edictis,neq; minis,neque etiam bellis quidquam efficere poterat,vicit tandem hos manſuetudine, clementiâ atque humanitate,totamque Germaniam Romano Imperio ceu Prouinciam adiecit: ſic tamen vt eam deinceps neque exactionibus neque aliquibus aggrauationibus onerauerit.Quamobrem præter ceteros Romanorum Principes, vel hic præcipuè apud Germanos etiam dilectus ſummoperè fidusque habitus fuit. Probitate tantum Imperium Rom.ampliauit, quantum vmquam alius. Germaniam cis Rhenum,Daciam,genteſq; vltra Danubium alias ditioni Romanæ ſubiecit. Parthos rurſum coërcuit. Albaniam ſuperauit,in eâque Regem inſtituit. Qui Euphrati & Tigri accolunt,prouinciales Imperij Rom. fecit. Profectus etiam tandem fuit ad Indiæ fines ac Mare rubrum. Sed in omnibus hiſce expeditionibus tantâ in hoſtes cum grauitate vſus eſt amicitiâ, vt ſæpenumerò ex amore potiùs quàm vi ſeſe ſubactos dederint. Numquam ſeſe à quoquam ad iram prouocari facilè paſſus eſt: verùm eâ in omnes animi fuit modeſtiâ ac temperantiâ, vti omnium qui antè imperarant,vbique terrarum habitus ſit Princeps optimus. Cùm in omnibus Prouinciis Præſides deſignaret, gladium eis in manus porrexit,huiuſmodi verba ad vnumquemque ſubiiciens: *Vtere hoc gladio aduerſus hoſtes meos in cauſsis iuſtis : ſin ego minùs iuſtè egero, tum in meipſum ſtringito gladium.* Similiter, cùm à ſuis conſiliariis argueretur, quaſi præter decorum omnibus nimiùm eſſet familiaris: talem ſe velle Imperatorem populo exhibere reſpondit, qualem ipſe optaret ſi ex plebe eſſet. Poſteaquam verò regnum Romanum latiſſimè ampliaſſet, multaq; paſſim boni Principis veſtigia reliquiſſet, Romam inſigniter triumphans reuerſus eſt: ac plurimis perſuaſum fuit, ipſum diuinâ prouidentiâ collapſæ Reip. Principem datum fuiſſe, vt qui Senatui collabenti ac iam propemodum extincto ſubſidio foret. Romæ ita cum populo egit, vti omnes facilè Principes, qui ad eius vſque tempora fuerant, longè ſuperarit. Magnoperè vtrumque Ius,Diuinum atque humanum, coluit: neque ex ſe ſolùm leges nouas tulit, ſed & veteres diligentiſſimè obſeruauit. Vnicuique ita charus, itaque familiaris fuit, vt à quibuſdam idipſum illi vitio datum ſit. Bonis moribus ita fuit exornatus, ita in omni vitæ modeſtiâ alios ſuperauit,vt ad Reip. vtilitatem natum fuiſſe dixeris, nihilque aliud in vitâ egiſſe quàm quod publicum ſpectaret commodum. Senatum appellauit patrem ſuum,ſeque huius viciſſim filium: per quem tantoperè ſeductus fuit,vt perſecutionem etiam in Chriſtianos meditaretur,timens (vt illi aiebant) ne Chriſtianorum multitudo Imperio vim faceret. Ob quam rem equidem paſſus eſt Chriſtianos vi apertâ affligi. Et tanta quidem Chriſtianorum multitudo paſſim occidebatur, vt Plinius Secundus, qui tum etiam Prouinciam aliquam adminiſtrabat,multitudine interemptorum haud dubiè commotus, Traiano reſcripſerit, innumera hominum millia quotidie obtruncari, à quibus nihil omnino ſceleris deprehenderetur admiſſum,neu quidquam Romanis legibus contrarium,niſi quòd antelucanos hymnos CHRISTO cuidam canerent Deo, Diiſque aliis minimè ſacrificarent. Hac ratione motus Traianus edictum promulgauit, vt Chriſtiani ob fidem nihil quidquam paterentur: ſi qui tamen iniuſtè agerent, punirentur. Deinde in Babyloniam exercitum eduxit: vtque reditum poſt partam victoriam domum pararet, Seleuciæ Iſauriæ ventris profluuio periit. Eius autem buſta aureo incluſa vaſculo,expreſſa eiuſdem imagine, perinde atque in triumphis fieri ſolet, Romam delata ſunt. Memoria demum eius tanti pretij apud poſteros multis annis fuit, vt poſteà ſemper, quoties Romæ in Senatu Imperator deſignaretur, publicis votis optari conſuetum ſit, vti felicitate Auguſtum, & probitate Traianum adæquaret.

XIIII.

FISCVS LIEN: QVIA EO CRESCENTE RELIQVI ARTVS OMNES TABESCVNT.



Romano Imperio præfuit XIX. annis, VI. menſibus, V. diebus, vixit LXIII. annos.


ADRIANVS, Traiani consobrinus, ab eodemq; adoptatus, Imperator eligitur ab Senatu Populoq; Rom. anno post CHRISTVM natum centesimo decimonono. Vir fuit hic magnæ eruditionis, atque adeò Romanus; qui id semper operam dedit, vt modis omnibus Athenienses imitaretur. Ornamentum sese præbuit vtriusque linguæ, Græcæ ac Latinæ; & Poëtam eiusmodi, qui scripta sua ac Comœdias venustis grauibusq; sententiis, verbisque elegantibus plurimùm ornarit; atque id quidem Græcè præcipuè, adeò vt Græculus vulgò appellatus sit. In respondendo atq; interrogando adeò fuit promptus, adeò acutus, vt ad grauiter interrogata, grauiter etiam responderit; ad iocosè, item iocosè: ac breuiter, sic sua responsa temperarit, vt vel ex tempore ad quæuis interrogata promptissimè responderit, non aliter atque si singula diligenter præmeditatus fuisset. In omni disciplinarum genere plurimùm fuit exercitatus, Mathematicus insignis, Astrologus & Geometra acutissimus, Musicus, ac Medicinæ minimè ignarus. Tantum denique à picturâ & sculpturâ valuit, vt ipse plurimas imagines suâ manu depinxerit, & quasdam etiam in ære ac lapide artificiosè cælauerit. Rarum quiddam profectò fuit, & quod nemo non alienum ab huiusmodi homine putaret. Suprà quàm credibile cuiquam est, laboris patiens fuit, vt qui regiones ac ciuitates ipse frequentissimè peragrarit. Memoriæ adeò fuit tenacis, vt quo quid loco & tempore gestum fuisset, nominaque singulorum absentium militũ, facilè meminisset. Circa initium Principatus, auctoritate Senatus Populique, columnam altitudine pedum centum & quadraginta exstruxit, quæ etiamnum hodie superest. Hanc extrinsecus præclarè Traiani gestis exornauit, cuius etiam busta sub eâdem recondidit, referens ipsum inter Diuos: locumque in quo columnam istam statuerat, forum appellauit Diui Traiani. Sub id temporis incommodissima in Africâ seditio passim inter Iudæos pullulabat, qui tantam multitudinem in Libyâ, Ægypto & Alexandriâ interemerunt, vt nisi Hadrianus aliunde secum qui agros colerent eò aduexisset, terra inculta ac planè deserta permansisset. Postquam verò miserabilem istam seditionem composuisset, ac penitùs extinxisset, Athenas in Græciam profectus est, ibique leges suas & statuta renouauit; Atheniensibus leges Solonis ac Draconis, vt petierant, confirmauit. Cumque isthic hiemaret, obtulerunt ipsi Quadratus atque Aristides (qui Apostolorum fuerant discipuli) libros Apologeticos in Christianæ fidei ac religionis defensionem à sese conscriptos. His autem commotus, ac iam aliquantulum in fide Christianâ eruditus, probeq; in iisdem per Serenum Granium legatum suum instructus, rescripsit, indignum esse Christianos religionis caussâ passim occidi; effectusq; est eâ instructione mirus fautor Christianorum. Scripsit ad Asiæ Proconsulem Minutium Fundanum litteras, quibus ne deinceps Christiani comprehenderentur, nisi aliorum scelerum rei testibus conuicti, mandauit. Cùm verò Cothebas, Iudaicæ factionis princeps, patriam suam cædibus contaminaret, ac Christianos variis multisque cruciatibus insequeretur, eò quòd arma aduersus Romanos mouere nolebant, Hadrianus omnes passim Iudæos interfici curauit, iussitq; ne Iudæorum cuiquam aditus ad Ierosolymam pateret: donauitq; ciuitatem mœnibus probè munitam Christianis, eam de suo prænomine Æliam appellans. Deinde necessitate compulsus, in Sarmatas, qui iam ab Imperio desciuerant, expeditionem parauit: quibus post multa bella deuictis, profectus est in Germaniam & Galliam, vbi illud summoperè conatus est, vt paci potiùs quàm bello consuleretur; studuitque milites in eâ expeditione magis in officio continere, quàm vt armis quidquam tentarent. Posteaquam iam regiones & prouincias omnes pacatas tranquillasque fecisset, maximo sanè triumpho Romam reuersus, à Senatu Populoq; Pater patriæ salutatus est, vxorq; eius Sabina Augusta nominata. Atque ita quidem pace terrâ mariq; partâ, Romam magnificis multisq; ædificiis deinceps ornare aggressus est: quorum etiamnum hodie quædam supersunt, Castrum videlicet Angelicũ, quod Moles Hadriani dicitur; & pons quidam, quem etiam nunc Pontem Ælium appellamus. Hac tempestate res Romanæ in summo loco fuerunt constitutæ. Reges enim magno pacem ab Hadriano redimebant; ita vt hinc ille sæpenumerò dicere solitus sit, plura se in otio fuisse consecutum, quàm armis & cædibus potuerant alij. Hic ergo vbi Orbem vniuersum, vrbemque Romam legibus ac constitutionibus latè exornasset, in diutinum morbum incidit, tandemque hydropicus vitâ decessit. Et quia Imperio Rom. ab omnibus Princeps facilè vtilissimus eorum qui ab Augusti temporibus vsque fuerant, habitus erat, inter optimos Cæsares relatus est.

X V.

SIC GESTVRVS SVM PRINCIPATVM,
VT SCIAM REM POPVLI ESSE,
NON MEAM PRIVATAM.



Cùm regnaſſet annis XXI. & vixiſſet LXII. interijt.

NTONINVS,gener & filius adoptiuus Hadriani,Imperium ſuſcepit à CHRISTO nato anno centeſimo & quadrageſimo. Princeps fuit adeò probus,adeò clemens acpius,vt auctoritate Senatus cognomento Pius ſit appellatus. Nullius planè inuidiæ aut fraudis conſcius erat, quem ſubditi magis amabant quàm timebant. Nulla bella penitus aggredi voluit: verùm id operam dedit, quò regiones ſuas ac prouincias tueretur magis quàm propagaret. Omni ratione paci conſulendum ratus, exemplum cepit ab Hadriano, qui plus otioſus quàm in armis profecerat. Vnde & ſæpè dixiſſe fertur: Honeſtius eſſe à Cæſare vnum ciuem ſeruari, quàm mille hoſtes occidi. Oportet etiam, dicebat, paſtorem fidum probumque apud ſuas continuè adeſſe ouiculas, easque ſolas paſcere, nec ad alias deuiare. Cùm ergo ad iſtum modum Orbi propè vniuerſo non armis, ſed ſolâ virtute, auctoritate, & famâ quæ de eo ferebatur honeſtâ imperaret; Reges cuncti, prouinciæ, populiq; arma depoſuêre, eoque erga ipſum animo fuêre, vt ex amore non Cæſarem ipſum, ſed velut Patrem vniuerſi cognouerint, vno ore fauorem & gratiam eius exoptantes. Inter hos etiam populi fuerunt Orientales, vt erant Bactri, Hircani atque Indi, quos nemo Cæſarum ditioni Romanæ,quamlibet copiis inſtructiſſimus,ſubiicere vmquam potuit. Hi ad Antoninum Legatos ſuos miſerunt, ſolùm gratiam eius (quaſi Deus quiſpiam è cælo fuiſſet) implorantes, ſeſe vectigales Populo Rom. vltrò conſtituentes. Vir item hic fuit tantæ iuſtitiæ, vt exteri Reges & populi, ſi quid controuerſiæ inter ſe habebant, id omne ad hunc tamquam iudicem incorruptiſſimum detulerint, iudiciumque de eo implorarint, ac neutra pars ab eius ſententiâ vmquam fore recedendum fuerit arbitrata. Ita ſæpenumerò maximas lites diremit, vt qui vtriq; parti æquè erat addictus,non aſper aut durus, ſed omnibus ex æquo benignus, mitis, ac liberalis. Non ſuum quærebat commodum, non vanam ambibat gloriam: adulatoribus nullas præbebat aures; tametſi quidem Cerdo & Valentinus plurimùm quotidianis ſuggeſtionibus & cauillationibus ipſum anno Imperij ſui tertio aduerſus Chriſtianos, quòd apertam eorumdem hæreſim deriderent, inſtigabant. Hi aſſerebant duos eſſe Deos, alterum bonum, alterum malum,& vtrumq; potentem iuxtà ac æternum. Probabilis doctrina hæc Gentibus rationiq; humanæ viſa eſt. Sub hæc autem tempora librum de fide Chriſtianâ conſcripſit Iuſtinus Philoſophus, quem biennio pòſt Antonino nuncupauit. Quâ re ita Imperatorem in Chriſtianos beneuolum reddidit, vt quietos ipſos in ſuâ religione perſeuerare admiſerit vſq; in Principatus ſui annum decimumquintum. Tum enim Creſcentis hæreſis longè deteſtabilis pullulare cœpit. Erat autem hic Philoſophus, docebatque CHRISTVM nihil penitus ex carne MARIÆ aſſumpſiſſe, ac per eam quaſi per colum quoddam in terram exiuiſſe. Quam ille hæreſim à prædicto Valentino ſumpſerat. Et quia Iuſtinus hunc veluti gulæ, luxui ac Veneri deditum, præuaricatoremq; philoſophiæ inſimulaſſet, modis omnibus Creſcens eiuſce rei vindictam in Chriſtianos excogitauit. Plurima igitur falſa ac indigna flagitia commentus,Chriſtianos nocturnas inter ſeſe coitiones agitare ad cœnam dicebat, vbi inter cetera occultas cædes in ſua ſacrificia perpetrarent, filios proprios necarent, eoſq; Diis ſacrificarent, atque ipſi poſteà comederent; denique & poſt cœnam nefanda ſtupra ceu canes admitterent, rem cum matribus ac ſororibus in tenebris haberent. Dicebat prætereà, eos indies conſultare, vires augere, præſidia confirmare, vt ita tandem ex ſuâ congregatione conſcripto exercitu cædes, latrocinia, ac prædas in vulgus Imperiumque Rom. palàm exercerent. Hiſce mendaciis in tantum odium apud omnes deuenêre,vt Antoninus cunctis Aſiæ Præſidibus edicto præceperit, vti Chriſtianos omnes euerterent, occiderent,ac penitus exſtirparent. In hac perſecutione etiam Iuſtinus Philoſophus vitam pro Chriſti nomine martyrio libens promptuſq; finiit. Eâ tempeſtate Antoninus propriis expenſis plurimum adiumenti tulit in locis quibuſdam muniendis, ad quæ Tiberinus fluctus alluens Romæ infinita damna indies dedit: à quâ tamen reſtauratione ſemper Senatus Populuſq; Rom. abhorrebat. In hac re ſanè opus memoratu digniſſimum abſoluit,Vrbemq; & commoda publica plurimùm auxit. Ad poſtremum febri naturæ legibus ſatisfecit, cum maximo luctu & dolore vniuerſi ferè Orbis; ac miro quodam ſepeliendi genere, multò aliter atque fuerunt alij, ſepultus eſt.

XVI.

VELLEM ME SINE SENATORIO SANGVINE IMPERIVM TRANSIGERE.



Vixit LXXVII. annis, regnauit XLII. naturali morte occubuit.



L. AVRELIVS VERVS, & M. AVRELIVS ANTONINVS, Imperium administrare ſimul æquo iure cœperunt à CHRISTO nato centeſimo ſexageſimo ſecundo anno, fueruntque ambo in filios ab Antonino Pio adoptati: quorum alteri, M. Aurelio, filiam Fauſtinam in matrimoniũ dedit, ipſum ſuo cognomine Antoninum nominans: verus hic erat Annij Veri filius. Ceterùm L. Aurelio vxorem dedit Lucillam, M. Aurelij filiam, indito cognomento Veri, quod anteà proprium fuerat dicti M. Aurelij. Atq; illud quidem ideò fecit, vti amicè & concorditer ceu fratres Imperium ſimul adminiſtrarent. L. hic Aurelius naturalis erat filius L. Ceionij Commodi, quem adoptauerat Hadrianus, quemq; ſuo prænomine donauerat, appellãs eumdem L. Ælium Cæſarem. Quoniam verò hic ante Hadrianum moriebatur, in eius locum adoptatus eſt Antoninus Pius; idq; eâ lege, vt defuncti filium (qui etiamnum infans erat) adoptaret, atque ad Imperium ſurrogaret. Verùm Antoninus ita publici commodi rationem ſemper habuit, vt Imperij gubernacula ſoli L. Vero cõmittere noluerit, (eò quòd aliquantò durior, aſtutior, ac voluptuoſior ſibi videbatur) ſed huic tradiderit veluti collegam M. Antoninum, qui contrà mitis, placidus, ac clemens in omni probitate ſanè quàm honeſtiſſimè verſabatur, quiq; ob egregiam ſuam virtutem, in omni honeſtâ actione enutritus, pænè à puero aduerſa iuxtà ac proſpera perferre ſolebat, eiuſdem ſemper vultus atque animi. Præter hæc naturæ bona etiam non vulgari præditus erat ſcientiâ, quam ab Oratore Cornelio Frontone acceperat, ita vt meritò ſanè abs quolibet Philoſophus habitus ſit haud indoctus. Habebat item frequenter in ore ſententiam hanc Platonis: Tum demum cum ciuitatibus benè beateque agi, ſi aut eas Philoſophi adminiſtrent, aut earũ Principes philoſophentur. Ob hanc igitur cauſam ſic Antonino Pio placuit, vt vterque eiuſdem poteſtatis Imperio præeſſet: duoq; hi primùm ſimul Imperatores fuerunt. Hi Antoninum Pium, eiuſq; coniugem Fauſtinam, inter diuos Senatus Populiq; Rom. conſenſu annumerarũt. Mox vt Vologeſus Parthorum Rex mortem Antonini accepiſſet, conſcripto exercitu Armeniam, Cappadociam, ac Syriam inuadit: quæ res Romanis ſummæ triſtitiæ ac dolori fuit. Verebantur enim, ne ex illo tumultu grauior inſuper oriretur, quemadmodum iam ſæpè contigerat. Omnis tamen ſpes in duobus hiſce Principibus poſita erat, quos pariter præſenti obiectabant infortunio. L. Verus dux exercitus ſtatuitur, vt qui erat durus fortiſque, quemadmodũ diximus. At quoniam M. Antoninus philoſophiæ magis deditus videbatur, publicè ratum fuit, hunc magis aptum, magiſque neceſſarium fore, qui ciues Romanos in officio contineret, omnem ſeditionem facilè præcaueret, iuſque ipſum adminiſtraret. Ac poſtquam cum ingenti exercitu L. Verus Athenas Diis ſacrificaturus perueniſſet, ingens ac terribilis flamma in aëre apparuit, quæ ab ortu Solis ad occaſum vſq; ardere conſpiciebatur. Quod quidem ſignum hominibus horribile viſu fuit, & pleriſque præſagium mutationis futuræ. Deinde Parthiam ingreſſus, bellum non minùs fortiter quàm fortunatè mouit, res graues ac difficiles expediuit: nec niſi domitis Parthis, repetitâ Armeniâ, in eaque Rege conſtituto, qui populum in Imperio Romano contineret, & à cunctis malis defenderet, ceſſauit. Hinc deinde in Syriam profectus eſt, vrbemque munitiſſimam Seleuciam ad Hydaſpem fluuium ſitam, militum quater centenis millibus deuicit. Atque ita hoſtibus ſuperatis, ſinguliſque in pace & tranquillitate in intimam vſque Iudæam conſtitutis, in Italiam rediit, Romæque honorificè triumphans in curru aureo ad Antonini latus aſſidens exceptus eſt: vbi cùm ad Capitolium hoc pacto ſimul perueniſſent, vtrique cognomen inditum eſt Parthici, Maximi, atque Armeniaci. Verùm Antoninus, nec Armeniaci, nec Maximi titulum agnoſcere voluit, vti eo honore vel ſolus victor potiretur. Non multò pòſt L. Verus numine ictus obiit.

XVII.

VXOR DIGNITATIS NOMEN EST, NON VOLVPTATIS.



Æquali imperio cum Aurelio illi in fratrem dato, XI. annis regnauit, apoplexiâ ictus interijt.



Avrelivs Antoninvs, post obitum L. Veri, solus Imperij gubernaculis potitus est, defunctumque (vt optimis Cæsaribus fieri consueuit) Diis connumerauit: deinde multis passim Prouinciis grauamina ac vectigalia vltrò ademit, vti cuncta tranquilla perseuerarent, regeretque absque cædibus: quare & seueriores leges nouis constitutionibus relaxauit, atque omnino mitigauit. Posteà item monumenta fiscalium titulorum in foro publico combussit. Quibus sanè gestis populo adeò gratus fuit, vt à plurimis totius Orbis defensor,& ob singularem iustitiam Verissimus, speculumque Virtutis appellatus sit. Plurimùm deinceps honore, regnis, bonisque comparandis profecit, animumque ad scribendum appulit; adeò vt eius libri etiamnum exstent, & in magno apud eruditos habeantur pretio. Persecutio autem Christianorum, quæ à temporibus Antonini Pij necdum cessauerat, sub hoc plurimùm aucta fuit. Quo quidem factum est, vt hac motus occasione Melito, insignis Christianorum patronus ac defensor, ad Imperatorem litteras scripserit huiusmodi: *Quod antehac,* inquit, *factum est numquam, modò vsuvenire videmus, nempe pios persecutionem pati, profligari vndiq; nouis decretis per totam Asiam promulgatis. Impudentes namq; homines & calumniosi, qui rapere aliena desiderant, occasione acceptâ Imperialium præceptorum, more prædonum die noctuq; grassantur & diripiunt innocentes. Atque hæc quidem si iubente te faciunt, en prompti libentesq; quosuis cruciatus, imò & mortem ipsam perferimus, quam ex iusti Principis edicto irrogari certò cognoscimus. Maximè tamen te oratum volumus, vt rem iusto examine perpendas, diligenterq; discutias, num ad istum modum homines necari ministris tuis mandatum sit. Si enim inscio te immane istud ac planè tyrannicum edictum exierit, oramus, ne nos despectui habeas, nec patiaris nos pios religiososq; ciues tuos tam publico latrocinio iugulari.* Quoniam verò sub eam tempestatem fatale ac prorsus detestabile malum passim pullulabat, ita vt hinc quàm plurimæ ciuitates terræmotibus atque inundationibus miserè vastarentur, peste multâ hominum millia absumerentur, quæ vsqueadeò in vniuersâ grassata Italiâ est, vt terras atque homines funditus subuerterit; cumque ad hæc mala etiam ingens copia locustarum accederet cum maximo ægrorum detrimento, omnis infortunij culpa in Christianos coniicitur, idque ob splendida Crescentis mendacia, quemadmodum in Antonino Pio diximus. Quare hic inter cetera Rescripti verba ita ad Asiæ Præsides scripsit: *Non equidem dubito, quin Dijs ipsis curæ sit, ne quis noxius lateat, conuenitq; his multò acerbiùs eos punire qui immolare nolunt, quàm nobis. Quemadmodum igitur vos intelligo communes hosce casus in Christianos ex merâ inuidiâ transferre, eosq; vel ad necem vsque persequentes: ita paternam secutus sententiam, deinceps volo, vt si quis Christianum quempiam, eo nomine saltem quòd sit Christianus, accusauerit, reus quidem absoluatur, aliusq; eam pœnam subeat, quam Christiano intentabat.* Edictum hoc Ephesi in Comitiis publicè propositum fuit. Cùm verò diu multumq; passim omnia quieta tranquillaq; fuissent, nouus de improuiso in vniuersâ Europâ tumultus exortus est. Germaniam enim, Sarmatiam, Illyriam, ac Galliam, vti Romanorum seruitute soluerentur, iam bella parare certus rumor ferebatur. Quâ re Romani magis fuêre perculsi, quàm si regio desciuisset alia. Porrò hîc Antonino philosophia sua adeò non nocuit, vt potuerit etiam sese promptissimè ad bellum accommodare, quamquam philosophiæ maximè cupidus fuerit, vt qui Apollonium philosophum, ac Sextum Plutarchi successorem audiuisset. Vt igitur ad resistendum expeditionem parare debebat, ciuitatesq; ob decennale bellum plurimùm depauperatæ erant, ita vt exactionibus Imperium ampliùs grauare noluerit; omnia sua Imperialia adeoq; vxoris ornamenta in foro Traiani diuendidit, exercitumq; conscripsit, atq; ita in Germaniam cum filio suo M. Commodo probè expeditus contra Venedos, Quados, & Sclauos profectus est: tandemq; post multas cædes cum suo exercitu in Quadorum regionem, nunc Austriam appellatâ, peruenit; vbi ab hostibus circumseptus, magnâ laborauit aquæ penuriâ. Cùm verò iam in Germanico & Sarmatico exercitu horribile tonitru auditum fuisset, fulmenque ingens apparuisset, ac grandis imber cecidisset, eâ re attonitos profugosque Romani aggrediuntur, cæduntque. Deinde exercitum in Pannoniam atq; Illyriam duxit, ac post magnam victoriam morte naturali obijt. Nemo fuit qui non mortem huius cum lacrymis exceperit.

XVIII.

ÆQVIVS EST ME TOT TALIVM AMICORVM CONSILIVM, QVAM TOT TALES MEAM VNIVS VOLVNTATEM SEQVI.



Cum genero ſuo L. Vero Imperio præfuit XI. annis, ſolus IX. obijt ætatis LX. anno.


ÆLIVS AVRELIVS COMMODVS, cognomento paterno ANTONINVS, anno post natum CHRISTVM centesimo octuagesimo secundo, statim atque pater obijsset, in publicum prodijt; sedemq; inter milites collocatam conscendens, Orationem habuit huiuscemodi: *Nunc me vobis, fortissimi milites, defuncto patre, fortuna Principem, non quidem electum vti antehac fuere ceteri, sed in palatio Imperiali natum atq; educatum dedit, quiq; nec in plebeiis aut obscuris vagijt cunabulis. Simulatq; enim me mater in lucem edidit, vestibus ornamentisq; sanè Imperialibus amictus fui. Eodem momento me Sol hic Principem hominemq; aspexit. Igitur his ita probè consideratis, Principem vestrum honorate vti Cæsarem. Ideò enim pater hinc ad Superos commigrauit, vti nobis, ad quos totius Orbis administratio veluti iure spectaret, humanarum rerum cura deinceps incumberet. Ac si gnauiter prælium cœptum perfeceritis, finesq; Romani Imperij ad magnum vsq; Oceanum propagaueritis, ingentem certè gloriam vobis, nomenq; ætati meæ amplissimum parabitis; & omnino illud quoque efficietis, vt barbaris Germanis initio Principatus nostri depressis, nullus sese aduersus ætatem nostram erigere meq; contemnere ausit, sed præcedentis iacturæ metu domiti omnes facilè permaneant.* Hæc cùm dixisset, in milites magnam pecuniæ vim sparsit, vt ita equites peditesq; sibi beneuolos redderet; decreuerat enim voluptuosè vitam transigere. Ad istum igitur modum Germanicum bellum sibi à patre relictum, cùm iam res ad victoriam inclinaret, turpiter deserens, contempto amicorum equitumq; consilio, Romam properauit. Cùm verò non longè Româ abesset, Senatus Populusque vniuersus venienti obuiàm processerunt, fausta ac læta precantes: sparsis insuper flosculis sertisq; odoriferis, vt Cæsarem, spe tamen illâ, tamquam qui paterna vestigia in omnibus secuturus foret, exceperunt. At contra omnium opinionem vetustissimos quosque patris sui amicos Senatu mouit, etiam illos qui aut nobilitate, aut probitate, aut etiam prudentiâ præstabant ceteris. Quàm plurimos doctos, quibuscum magna patri intercesserat familiaritas, quos nonnihil verebatur, ac qui libidini eius velut obstaculo erant, in exilium misit & relegauit. Deinde ad tantam crudelitatem, superbiam, ac libidinem lapsus est, vti Vestales omnes constuprarit, ac ne à sorore quidem propriâ Fadillâ sese cohibere potuerit. Ob quas quidem res ipsi varias struxerunt insidias, atque inprimis eius soror Lucilla, quæ operâ cuiusdam Quadrati adolescentis nobilis ac venusti conata est eum in angulo quodam Theatri obscuro confodere. Is autem occultum gladium properè educens, altâ voce exclamat: Hoc te Senatus donat. atque in pungendo errantem Commodi stipatores inuadunt. Quæ res non modò adolescenti & Lucillæ, sed & vniuerso Senatui pernicies fuit sanè maxima. Nam certò iam cognoscens sese multis odio esse, magis magisq; sæuiit. Ac postquam Senatores omnes, & optimos quosq; vrbis Romæ è medio tulisset, plurimùm Perennius eius œconomus Imperium affectauit. Deinde & Maternus miles oppidò quàm fortis, ac Cleander stipator, vitæ eius insidias fecerunt. Verùm quemadmodum rem propositam perficere non potuerunt, ita ipsi contrà fuere enecati. Commodus vitæ suæ periculum apertè considerans, forti se & magnâ custodiâ muniit, pluraq; indies crudelia perpetrauit: atque eò tandem dementiæ venit, vti paternum nomen contemnens, abiectis ornamentis Imperialibus, se Herculem Romanum Iouis filium appellarit. Exuuias leonis induit, manumq; clauâ armauit; atq; sic Romæ quotidie incedebat: cum bestiis pugnauit; statuasq; fieri iussit velut Herculis, intenso arcu, vultu seuero innuens fortitudinem suam, ac iaculandi peritiam. Vrbem Romam, Senatum, Populumque, de se Commodianos appellauit. Paulò pòst noluit Hercules, sed pugil nobilissimus salutari. Nudus frequentabat ludos omnes ac gymnasia, miscuitque sese omni hominum generi in diuersis concertationibus. Quam quidem rem vti Romani ægrè tulere, sic & indignam tanto Principe fuisse manifestum est. Hinc ab omnibus humani generis hostis iudicatus est, etiam qui ad omnem malitiam, impudicitiam, impuritatem, libidinem, ac crudelitatem natus esset. Deinde paulò pòst, operâ Marciæ concubinæ suæ (necatâ vxore suâ Crispinâ) nocte in somno laqueo strangulatus est.

XIX.

AB INCOLVMI, QVAMVIS PAVLATIM, NEGOTIA PERFICI POSSVNT; A MORTVO NIHIL.



Imperauit XIII. annis; laqueo vitam finiuit, cùm vixiſſet XXXII. annis.



HELVIVS PERTINAX Imperator, eâ ipsâ nocte quâ Commodum interfecerant, eligitur, anno CHRISTI centeſimo nonageſimo quinto; idque hac viâ: Lætus Tribunus militum atque Electus Commodi cubicularius, perempto domino ſuo, rati ſunt neminem profectò Pertinace magis probum aut idoneum eſſe, qui populo in Cæſarem offeratur, quo item cuncti in pace perſeuerare, ac iam multâ diuturnaque oppreſſi tyrannide, animum tandem reſumere queant. Nam hic Pertinax domi militiæque iuxtà promptus erat. In omnibus iſtis præliis, quæ aduerſus Germanos, aliasque nationes, Romani abſoluerant, mirum quàm fortem, quàm ſtrenuum ſeſe geſſerat; ita vt haud dubiè ex fortiſſimis atque amiciſſimis, quos Commodus interfecerat, ſolus hic ſuperſtes relictus fuerit. Nulli item Commodus tantam vim & potentiam reliquerat atque huic, ſiue ob fortitudinem & ſtrenuitatem eius, ſiue etiam ob eiuſdem inopiam ac tenuitatem. Cùm ergo Lætus Electuſque cum ſuis adhærentibus nocte intempeſtâ ad Pertinacis ædes properaſſent, oſtiarium mox excitarunt: qui vt eos vidiſſet, properè ad herum ſuum accurrit, atque iſtiuſmodi adeſſe viros nuntiat. Pertinax oſtium aperiri abſque morâ iubet, hoc modo inquiens: Nunc mihi malum iſtud præ oculis eſt, quod antehac ſæpiùs adfuturum metui. Nihilominùs eâ fuit fortitudine animique conſtantiâ, vt lecto non exierit, nec aliqua mutatio vultus in eo deprehendi potuerit. Mox vt Lætus atque Electus ingreſſi fuiſſent, ita iis locutus eſt: Hunc vitæ meæ exitum iam multis noctibus ſemper exſpectaui, eò quòd ſolus ex amicis paternis ſuperſtes relictus ſim, adeoque miror, quamobrem hucuſque rem diſtulerit. Quid hîc ſtatis? quin perficititis quod vobis mandatum eſt? Quin, inquam, hoc agitis, vti me omni curâ ac ſollicitudine exemptum videam? Reſpondit Lætus: Miſſa iſthæc fac: neque enim venimus vt te occidamus, ſed potiùs vt tibi Imperium tradamus, cùm tyrannus ille perierit, dignaſque pœnas ſuæ tyrannidi dederit. Tum Pertinax: Vobis, inquit, ita lubitum eſt me deridere, antequam moriar, & mihi vitam adimatis? Ac iſtiuſmodi ſigna ei oſtenderunt vt iis crediderit, totumque ſe in illorum manus tradiderit. Hac re ita inceptâ ad milites ſeſe contulerunt, quibus rem omnem aperuerunt. Cùm iam propè luceſceret, populuſque rumorem hunc intellexiſſet, tota vrbs gaudio perſtrepebat, cunctique Pertinacem patrem appellabant. Deinde pro more illi iuratum eſt. Et cùm etiamnum dubitaret num Imperium ſuſciperet, coëgerunt ne recuſaret, rogaruntque vti ob ſenectutem filium ſuum ſibi collegam adiungeret. Verùm hoc ille recuſauit, inquiens: Sufficit me vel inuitum imperare. Pòſt palatium ingreſſus, omnia honeſtè atque vtiliter reſtaurauit. Atque vt eius probitas latè ſe diffundebat, cunctæ nationes promptæ fuerunt ad omnem eidem deferendum honorem & obſequium. Eodem modo & barbaræ nationes, quæ ob vectigalia à Commodo impoſita Imperio deſciuerant, iam vltrò ſeſe in nouitij Imperatoris poteſtatem dederunt, idque ob fortitudinem quam in bellis iampridem exercuerat. Sed his ille omnia vectigalia ſuſtulit, legeſque duras aut aſperas aliquantulum relaxauit, exhibens legatis vultum mitem, placabilem atque amicum. Hoc autem inquietis militibus pati durum fuit: verebantur enim ne liberale hoc ac ciuile Imperium ſibi pudori & damno foret, quòd hinc facilè conſiderabant ſibi liberum arbitrium in omnibus ſublatum fore. Quare concluſerunt, ne vllâ ratione talem ferrent Imperatorem, ſeque inprimis rebelles exhibuerunt. Deinde verò inter ſeſe egerunt, vti interficeretur, aliusque facilè inueniretur, qui tantæ probitatis, concordiæ, aut vrbanitatis non eſſet. Hinc ergo deiectis haſtis gladiiſque eductis ad palatium contenderunt. Pertinax autem eâ ſeditione intellectâ, quamquam ei fuga conſulebatur, populique ſubſidium inclamare, reſpondit, vtile quidem fore, minimè verò honeſtum, nec Imperatore dignum. His ille prodiit, ſperans feroces militum animos ſe verbis leniturum. Nihilominùs fuerunt aliqui qui ob venerabilem eius ſenectutem Imperialemq; dignitatem retroibant: ſed alij verba eius adulatoria eſſe rati, ipſum inuaſerunt ac multis vulneribus occiderunt. Huius nefandæ cædis Populum Rom. plurimùm pœnituit, eò quòd inuitus Imperium ſuſcepiſſet. Tandem vt Pater Patriæ inter Diuos relatus eſt. Et cùm iam nullus eſſet qui mortem eius vlciſci auderet, præſertim quòd fortiſſimi quique Româ aufugerant; milites ex prætorij muris proclamarunt, Imperium eſſe venale, eius fore, qui maiori id pretio emerit.

XX.

SANCTIVS EST INOPEM REMPVB. OBTINERE, QVAM AD DIVITIARVM CVMVLVM PER DISCRIMINVM ATQVE DEDECORVM VESTIGIA PERVENIRE.



Septuagenarius per VI. menses regnauit, miserabili modo occisus.

F

M Didivs Severvs Ivlianvs clarissimus Iureconsultus, litterarumque peritissimus, cùm iam nemo ex Senatoribus aut Nobilibus ad muros Prætorios accedere auderet, nec tam turpiter atq; ignominiosè Imperium emere affectaret, solus accessit, cœpitq; altâ voce exclamare, paratum sese esse tantum numerare quantum peterent, se auri argentique vim habere maximam. Illi scalis demissis Iulianum ad se receperunt: verebantur enim portas aperire, antequam de pecuniâ conuentum esset. Confestim autem vt in medio esset exercitu, pollicitus est Commodi statuas per Senatum Populumq; destructas sese restauraturum; illisque omnia, quæ libuisset facere, permissurum, sicuti Commodi temporibus consueuerant: præterea vnicuique equiti ac militi tantum se pecuniæ numeraturum, quantum neque sperare neque optare possent, atque id quidem propediem. His moti milites, Iulianum in Cæsarem suscipiunt, illique pro more iuramentum præstant, attributo cognomento Commodi. Deinde signa atque arma cuncta prorsus auferunt, ac Iuliani imaginem insigniaque in eorum locum substituunt: atque ita ipsum circum Prætorium vehere cœperunt. Postquam verò iuxta veterem consuetudinem Diis in exercitu sacrificasset, solitò maiori equitum militumque multitudine euehebatur in Vrbem. Et quidem, quoniam per vim, Senatu Populoq; Romano inuito, electus esset; præterea quòd non minùs ignominiosè quàm turpiter Imperium pretio emisset, populum nonnihil metuit. Ob quam item caussam equites iuxtà ac milites sese quàm potuerunt maximè obarmarunt, suumque Imperatorem in medio constituerunt, vt ita fortiter circumcinctus facilè ab omni vi, siqua forsan exoriretur, foret tutus. Ad hunc sanè modum ipsum in palatium vsque deduxerunt; & Populus, qui consuerat Imperatoribus fausta omnia lætaq; precari, infausta atque infelicia huic ominatus est. Circa hæc tempora Equitum laudatissimi mores in vitia ruere, atque auri cupiditas apud quosque cum Cæsareæ Maiestatis contemptu passim cœpit exoriri. Cùm enim nemo esset qui Pertinacis mortem vindicaret, cumque milites Imperium tam turpiter emptum viderent, nec esse qui contradiceret, ad omne sese flagitium atque inobedientiam dederunt; vsqueadeò, vti auaritia contemptusque Maiestatis Imperatoriæ magis magisque indies augmentarentur. Vbi iam Iulianus Imperium velut pleno iure sese possidere arbitraretur, ad omnem libidinem ac luxum se totum transtulit, adeò vt in publici commodi administratione inutilis planè fuerit. Præterea militibus spem ademit omnem, eò quòd opes eius tantæ & tam amplæ non essent atque iactitasset, ita vt promissam pecuniam militibus numerare minimè potuerit. Erat autem & publicum ærarium magnis atque inutilibus sumptibus, quos fecerat Commodus, planè exhaustum. Hinc Iulianus militibus cœpit esse odio, atque cuncta eius opera ipsis displicebant: adeò vt in prætereundo sæpè verbis iniuriam ipsi intulerint, atque indignam eius libidinem acerbissimè exprobrarint; idque non priuatim modò, sed & publicè in foro, in maximo populi conuentu; dixerintque hominem ipsum esse omnium quos terra alat nequissimum, atque impudicissimum, & id genus alia plura, quæ obiiciebant. Vt verò Senatus Populusque Romanus considerabat, Iulianum minoris indies apud milites equitesq; fieri, & plerisque odio esse ac contemni; neque item esse qui mortem Pertinacis aut Imperij ignominiam vindicaret; elegerunt C. Pescennium Nigerium tamquam Romani Imperij totiusq; mali vindicem: ipsum obsecrarunt, vt quàm ocyssimè cum omni exercitu Romam veniret, ac Romanos à tantis contumeliis assereret. Hæc vbi Iuliano nuntiata essent, audieratq; etiam L. Seuerum in Pannoniâ aduersus se moliri, non quidem vt Cæsarem, sed vti necis Pertinacis vindicem, à quo in Pannoniam cum exercitu missus erat, facilè suspicatur secum penitus actum fore.

XXI.

ETSI ALTERVM PEDEM IN SEPVLCHRO HABEREM, ADHVC ADDISCERE VELLEM.



Imperio mortem licitatus est, cui vix VII. mensibus præfuit.



Pescennivs Nigerivs Senator fuerat Romanus, ac deinde vniuersæ Syriæ Præses. Hunc Romani honestissimum fortissimumq; æstimarunt, vt qui vniuersæ Phœniciæ & totius regionis ad Euphratem vsque dominator esset. Erat præterea eius ætatis, vt facilè pro honesto ac pacis studiosissimo coli potuisset. Ferebatur & in rebus magnis atque arduis clemens, mitisque: ac tamquam iustitiæ cultor celeberrimus passim laudabatur; adeò, vt nihil dubitarent quin Pertinacis vestigia sequeretur: quibus ille Romani Populi fauorem sibi facilè promeruit. Quæ cùm in se ita esse intelligeret, spem sanè habuit amplam ad Imperium perueniendi: passim in vulgus spargi curauit, non fraude se Imperium velle adipisci, sed iis venire subsidio qui id à se tantoperè flagitassent. Hinc ad ipsum vniuersi, qui in Asiâ Populi Romani amicissimi erant, venerunt, obsecraruntque, vti quàm primùm Rempublicam capesseret. Cùm iam videret cuncta ex animi sui sententiâ succedere, conuocatis equitibus ac militibus orationem habuit huiuscemodi: *Quàm mite ingenium nostrum sit, quantaque nobis in rebus gerendis arduis prudentia, equidem vos satis scire arbitror: neque enim huc ad vos processi de istiusmodi verba facturus, sed vti vobis indicarem, quemadmodum Romani me assiduè fatigent, eò quòd, vt sibi manum salutarem porrigam, flagitare non desinant. Præterea æquo animo ferre nequeo, tam excellens tamque gloriosum à maioribus relictum Imperium, ita turpiter iacere abiectum. Et quemadmodum quidem facinus audax temerariumq; foret, rem tantam absque occasione aliquâ aggredi: ita profectò nec timiditatis aut proditionis notam effugias, si opem implorantibus deneges. Ob hanc ego caussam nunc ad vos prodij, vt quid vestrum in hac re consilium sit, scirem.* Ad hunc igitur modum, vbi quid Romæ cum Senatu Populoque ac Iuliano ageretur, ordine recitasset, vniuscuiusq; sententiam hac in re scire laborans, continuò à militibus vulgoq; Imperator atq; Augustus salutatus est. Deinde amictum purpurâ, reliquisque ornamentis Imperialibus, præcedente etiam igni, in Antiochiæ templum deduxerũt. Qui quidem rumor vbi passim increbuit, vniuersæ Europæ nationes pro se quæque festinare, vt Nigerio obsequium præstarent. Reges item & Satrapæ ad Euphratem Tigrimque habitantes, legatos suos Antiochiam gratulatum misère, operamq; omnem illi polliciti fuère. Intereà dum hæc à Nigerio in Asiâ agebantur, Seuerus etiam in Pannoniâ extemplò sese Romam parauit; qui in rebus gerendis homo erat admodum vehemens, ferox, vitæ duræ atque asperæ nimiùm, promptus in rebus excogitandis, acerque ad miraculum vsque in perficiendis. Hic vt Imperij Principatum velut suspensum, ac quasi direptui expositum vidit, Iulianum quidem vt desidem, Nigerium verò vt parum efficacem ad Imperium administrandum, contemptui habuit. Quare non modò tamquam vindex Pertinacis, verùm etiam tamquam Imperator Romam proficisci decreuit. Atque vbi equitum suorum militumque animos sibi probè conciliatos animaduertit, oratione blandâ eò cunctos pellexit, vti se faustis acclamationibus cuncti Augustum Pertinacemque appellarint, iurauerintq; omnem opem vel in extremum euentum sese præstituros. Atque ita tandem properè Romam profectus est. Quod vbi Iuliano nuntiatum esset, pecunias è templis Romæ vndique direptas in milites diuisit, vt vel eo pacto rursum eorum beneuolentiam redimeret. Quare multis etiam precibus tantum apud ipsos egit, vt ad resistendum sese armarint. Præterea & elephantes omni apparatu bellico onerauit. Verùm cùm iam fama erat Seuerum non longè ab Vrbe abesse, conuenerunt Senatores ac ciues vniuersi, quemadmodum fieri consuetum erat, siquando de Imperio aliqua oriebatur controuersia; atque Iulianum quidem morti adiudicarunt, Seuerum verò Imperatorem elegerunt.

XXII.

VIVVS PLACERE VOLO, MORTVVS ETIAM LAVDARI.



Simul cum Seuero, eo tamen inuito, rerum habenas tenuit III. annis: tandem occiſus eſt.


Septimivs Severvs Pertinax in exercitu non longè agebat ab Vrbe Româ, anno à Christo nato nonagesimo sexto; vbi audito Senatusconsulto, magis ac magis de vlciscendis Pertinacis interfectoribus propositum confirmauit auxitque. Quare tantum egit apud Tribunos Plebis, vti interfectores illos modis omnibus ad præstandum sibi obsequium & obedientiam inducerent, atque insuper edictum promulgauit, vt vniuersa arma deponerent, in habitu pacis exirent, ac sibi tamquam Cæsari inaugurationem iuramentumque præstarent. Qui quidem per Tribunos, Plebis persuasi Iulianum deseruêre: qui suum deplorans infortunium, permisit vti Imperium sibi abiurarent, omniaque ornamenta Imperialia omni vi in nouitium Imperatorem Seuerum transferrent. Ad hunc illi modum, laureis redimiti sertis, ad Seuerum supplices venerunt; vbi armis ac viris circumuenti illicò fuêre. Mox Seuerus irato animo huiusmodi ad ipsos orationem habuit: *Posteaquàm modò nostrâ virtute ac prudentiâ victi sitis, certè haud indigni hîc adstatis, qui Imperio iure optimo litemini, viroq́; illi magnificentissimo, quem cùm defendere meritò debebatis, turpiter interemistis. Præterea illustre hoc Imperium, quod à maioribus nostris perpetuâ gloriâ ac virtute summâ, maximaq́; nobilitatis nomine partum fuit, illud (inquam) Imperium longè clarissimum vos sceleratissimi fœneratores tam turpiter tamq́; ignominiosè vendidistis: quasi verò res nihili ac nullius planè momenti aut pretij fuisset. Ob quæ sanè indignissima flagitia, etiam atque etiam considerate & perpendite, quidnam sitis meriti. Nihilominùs nullius sanguinem fundam: nec tamen decet, vt deinceps vestris manibus Imperiali sanguine infectis cuiquam Cæsarum inseruiatis. Mando igitur meis Equitibus, vt omnem habitum equestrem vobis auferant, nudosq́; abire permittant. Iubeo item, vti vos procul hinc cedatis, nec vestrûm quisquam ad centesimum miliare prope Romam deprehendatur, alioqui capite puniendus.* Hi verò vbi sese ad istum modum nudos conspiciebant, mœsti ac lacrymabundi abierunt. Intereà, dum hæc in castris ante Vrbem aguntur, Iulianus bonâ spe fretus in palatio Imperiali mansit. Proinde Tribunus Plebis quispiam, cui istud negotium ab Senatu Populoque Romano commissum erat, Iulianum obtruncat, rostrisque miseri Imperatoris caput præfixit. Deinde Seuerus eleganti militum ordine Vrbem ingressus est, multisque magnum timorem atque horrorem suâ præsentiâ incussit: facilè enim apud sese eius fortitudinem ac seueritatem perpendebant. Senatus atque vniuersi ciues ipsi obuiàm sertis ornati laureis processerunt, & à cunctis Pertinax salutatus est, eò quòd primus necem Pertinacis, grauissimamque Imperij ignominiam absque vllâ sanguinis effusione vindicarat. Et postquam Ioui Capitolino sacrificasset, in palatium Imperiale profectus est. Postero autem die orationem habuit coram Senatu sanè luculentam amicamque, & quæ spei prudentiæque multum polliceri videbatur. Ex optimis tamen quibusque plerique erant, qui sese mentem eius optimè scire aiebant, quique inter se mutuò clanculum dictitabant, ipsum inconstantem esse, callidum, aliud ore loqui, atque aliud sub pectore reconditum seruare: prætereà susque deque ferre fidem, iuramentumque frangere, dummodò ex eâ re quid lucri exspectaret: quod etiam posteà satis manifestum fuit. Nam vbi iam dies aliquot Romæ imperasset, populumque, Equites ac milites magnificè donasset, euestigiò suo exercitu ciuile bellum aduersus Nigerium in Oriente parauit, vti ipsum planè perderet: facilè enim considerabat multas esse nationes, quæ Nigerio concorditer adhærebant. Britannicos prætereà nonnihil metuit, qui omnes viri erant sanè robusti fortesque, ac Tribunum habebant D. Clodium Albinum, claro nobilique Romano genere ortum, opibus potentem, fortem, victoriosum, atque omni virtute ac probitate ornatum. Quibus rebus motus callidè Seuerus, hunc tamquam Imperij collegam sibi adiungere cogitabat; ne interim dum in Oriente bellaret, hic sibi Imperium affectaret. Atque hac quidem ratione viro optimo atque amicissimo spem magnam præbuit ad Imperium olim perueniendi, eò quòd in suâ epistolâ ipsum Cæsarem nuncupasset.

XXIII.

TVRBATAM REMP. VBIQVE ACCEPI, PACATAM ETIAM BRITANNIS RELINQVO.



Romanos ſub iugo habuit per annos XVIII. vixit LXV. non ſine ſuſpicione dati veneni occubuit.



CLODIVS ALBINVS ſub id temporis cum toto exercitu Pop.Romani nomine agebat in Angliâ; atque vti Seuerus inter ſe Albinumque æqualem Imperij adminiſtrationem redderet certiorem, idipſum Senatui Populoque Rom. indicauit,ſine quorum conſenſu Imperium diuidere noluit. Iuſſit inſuper Albini nomine atque effigie nummos percuti, Albinumque Septimij cognomento appellauit,vti ceu fratres Imperium æquo iure defenderent,adminiſtrarentque. Statuit item Albino imagines, ſecumque vnà Conſulem creari curauit; breuiter, in omni honore Imperiali Albinum ſibi adæquauit. His ita peractis,ad Albinum litteras ſcripſit oppidò quàm humanas; in quibus, vt Imperij curam boni conſuleret, obſecrauit: eò enim virum nobilem, fortem ac ſtrenuum,vt is eſſet,requiri. Prætereà,quoniam ob ſenectutem articulari morbo, chiragrâ podagraque ſupra modum laborabat, ac filio ea ætas nondum eſſet vt Imperio commodè præeſſe poſſit, orabat, vt ipſe quàm accuratiſſimè fideliſſimeque regnum adminiſtrare vellet. Albinus, iſtiuſmodi nuntio accepto, libens iſtam in ſe prouinciam ſuſcepit, gauiſus ſummoperè quòd abſque conflictu aliquo aut detrimento ad optata perueniſſet. Cùm iam omnia à Seuero ita ſapienter eſſent peracta, nec quidquam mali ex Angliâ ampliùs timeret,mox ingenti ac pænè incredibili militum copiâ Orientem verſus terrâ mariq; profectus eſt. Proinde vbi Nigerius Seuerum Româ potitum, atque à Senatu Populoque Romano in Cæſarem electum,& iam in itinere eſſe,ac ingentem expeditionem aduerſus ſe inſtruxiſſe,accepiſſet; confeſtim ſeſe ad reſiſtendum parauit, iuſſitq; Prouinciarum Præſides aditus præcludere, portus viasque arctas diligenter obſeruare: deinde collectis ſuis copiis Seuero obuiàm profectus. Pugnam vtrimque acerrimè adorti ſunt; at victoria poſt magnam cruentamque dimicationem penes Seuerum fuit. Ac poſtquam Nigerij milites fugati cæſiq; fuiſſent,Nicæni in Bithyniâ equites militesque profugos exceperunt. Deinde iterùm Nigerianis cum ingenti ruſticorum manu (qui omnes Nigerio adhærebant) eductis, poſtquàm acerbè vtrimque pugnatum eſſet, etiam ſecundò Seuerus victoriâ potitus eſt. Nigeriani in extremas ſummitates montis Tauri fugâ elapſi ſunt, ac Nigerius ipſe profugit in oppidum Antiochiam. Intereà Seuerus exercitum ſuum è Bithyniâ ac Galatiâ in Cappadociam duxit, vbi propugnacula ac robuſtiſſima quæque munimenta cœpit oppugnare. Sed ita Nigerius mœniis modiſque aliis ſingula accuratè præmunierat, vt iſtinc Seuerus facilè repulſus ſit. Interim rurſus magnam vim militum colligebat Nigerius. Cùm verò intellexiſſet Taurum montem à Seuero fuiſſe expugnatum, dici vix poſſet, quantus repentè timor dolorque hominem occuparit. Attamen tertiò ſuos properè eduxit; itaque ſors tulit,vt vtraque acies ſub veſperem ſeſe mutuò contigerint, ac poſtero die orto ſole pugna vtrimque viſu planè horribilis fuerit. Cæſorum autem tanta fuit multitudo,vt campus cruore inundaret. Superantur Orientales,atque ipſe Nigerius in fugâ occiditur: cuius ſanè propinqui ac familiares à Seuero miris poſteà cruciatibus etiam trucidantur. Vt igitur cuncta in Oriente pro animi ſui ſententiâ Seuerus perfeciſſet, reſtabat etiamnum Albinus, quicum pari ratione ſe acturum ſperabat. Verùm indignum fore arbitrabatur, rem tam aperto Marte aggredi, eò quòd nullam habebat cauſſam. Quamobrem aliquos potiùs ſubornabat, qui hominem aut veneno, aut re qualibet aliâ è medio tollerent. Ceterùm Albinus, cùm ex iis ipſis, quibus iſtud à Seuero demandatum erat, rem certò cognouiſſet, decreuit hoſti manifeſto armis reſiſtere. Quod vbi Seuerus, irâ velut œſtro percitus, excandeſcens intellexiſſet, ſtatuit nihil ampliùs celare, quin odium in apertum potiùs eſſe proferendum: atque ita tandem cum ingenti exercitu contra Albinum profectus eſt, qui item cum ſuis confeſtim ratibus traiecit ex Angliâ, caſtraque in Galliâ fixit ad littora maris, atque inde mox Lugdunum petiit. Deniq; Seuerus cum ſuo item victorioſo exercitu Galliam ingreſſus, varias circa principia excurſiones fecit, tulitque. Poſtremò autem infenſiſſimè prope Lugdunum pugnatum eſt, in quo certamine victoria diu multumque anceps, tandem penes Seuerum fuit, atque eo in loco Albinus cum ingenti hominum multitudine fuſus occubuit.

XXIV.

EGO CÆSAREVM NOMEN NOLO:
DII FAXINT VT NE ALII QVIDEM VELINT:
SENATVS IMPERET.



Imperio vt Cæſar admiſſus à Seuero per III. annos, tandem ab illo occiſus.



Avrelivs Antoninvs, qui etiam Caracalla dicebatur, Imperator anno post natum Christvm centesimo nonagesimo octauo à patre suo Seuero in Albini Cæsaris interfecti locum subrogatur, vt æquali iure Imperium secum administraret. Hi simul post superiorem conflictum ciuitatem Lugdunensem extemplò spoliarunt, deuastarunt, atque incendio funditus euerterunt. Mortuum item Albinum miserè detruncarunt;caputq; Romam missum,in commune suspendi patibulum, ac reliquam corporis partem in minutula frusta concisam in Rhodanum fluuium proiici curarunt. Deinde traiecti in Angliam, omnia pro arbitrio instituerunt; regnique administrationem in duo partiti, sumpto etiam de Albini propinquis ac familiaribus supplicio, rectà petierunt Romam, secumque vniuersum exercitum adduxerunt, vt vel eo pacto magis essent formidabiles: plurimùm enim adhuc Iuliani, Nigerij atque Albini familiaribus, qui etiamnum supererant, succensebant. Ad istum modum Romam ingressi, à Senatu Populoque Rom. (animo quamlibet mœsto) vt Cæsares inuictissimi salutati fuêre. Attamen istud facilè Romani suspicabantur, idem ius sibi cum ceteris apud hos fore, vt qui naturâ truces, crudeles, ac humani sanguinis auidissimi essent: quodque imprimùm occasio quærebatur, quibusdam per fas & nefas iniuriam inferendi, eò quòd iam euidentem propemodum odij caussam facilè habere poterant. Posteaquàm ergo palatium ingressi fuissent, ambo in Imperiali solio sederunt, omnesque Iuliani, Nigerij & Albini familiares detestabili irâ laqueo strangulare cœperunt. Primùm omnium vxores ac liberi trium prædictorum in exilium detrudebantur. Deinde incredibilis hominum multitudo, quòd ex eorumdem prosapiâ essent, miserè occidebatur: inter quos sanè complures erant ex optimis quibusque potentissimisq; dominis, ciuibus ac feminis Vrbis Romæ. Ita ad omnem tyrannidem incendebantur,vt ne vni quidem, cui familiaritatem cum tribus prædictis fuisse vel admodum leuicula prodebat suspicio, pepercerint. Prætereà tanta illis insedit auaritia,vti eos nihil planè puduerit, multos Senatores vnà cum vxoribus ac liberis suis enecare,& bona ipsorum velut confiscanda pronuntiare, quamquam nulla iis cum tribus suprà dictis intercesserat familiaritas, ac ne notitia quidem aliqua. Cumq; iam ad istum modum vnumquemque necando & strangulando suæ libidini satisfecissent;non ignari ex ciuili hac victoriâ nullam gloriam nullumq; triumphum sese posse exspectare,eò quòd in eâ re ne alicuius quidem gloriæ caussa lateret, decreuerunt aliunde sibi gloriam de barbaris exterisq; nationibus potitâ victoriâ comparare. Ob hanc caussam Seuerus & alterum suum filium Septimium Getam ad Imperium adsciuit; cui,vt Romam in obsequio fideliter contineret, præcepit. Deinde magno cum exercitu, vnaque cum Antonino filio Orientem versus profectus est: vbi aduersus Barsemium Atreniensium Regem, qui etiam à Nigerio anteà steterat, primum bellum instituit. Inprimis sese Armeniæ Osrhoënorumque Reges, Romanis sponte dediderunt. Pòst verò per Armeniam Albaniamque profecti, in Felicem peruenêre Arabiam. Hîc vbi oppida locaque vniuersa expugnassent, ac regnum prorsus spoliassent,deinceps in Atreniense regnum profecti sunt: vbi tam fortiter hîs resistebatur,vt grauissimâ clade acceptâ milites abiecto animo terga vertere coacti fuerint; idque adeò, vt vel ipse Seuerus, qui anteà vincere solitus erat, iam pænè animum desponderet. Deinde ex improuiso obruêre Parthos, atque omnes, qui resistere conabantur, illicò fudêre. Post plurima oppidorum incendia ac detrimenta, tandem Ctesiphonta eius regni caput, in quo & potentissimi Regis Artabani aula erat, armis inuaserunt, feminasque omnes & pueros vnà cum thesauris ac vniuersâ supellectile secum istinc eduxerunt. Vt verò iam cuncta passim suis armis subegerant,rursum Occidentem versus profecti,Romam insigniter triumphantes reuersi sunt; vbi populi acclamationibus multa sibi ab nationibus, quas vicerant, agnomina compararunt. Permisit prætereà Senatus, vti vtriusque effigie numismata cum istiusmodi circumscriptione, Impp. invictiss. cuderentur. Postquam autem Romæ multùm diuque egissent, Vrbemque multis ac magnificis ædificiis exornassent; Anglos à Romanis discessionem parare, certus interim rumor perlatus est.

XXV.

QVIA OB RES A ME GESTAS VOS MIHI INVIDERE SCIO, IN ARMIS SVM, STIPATVS MILITVM AGMINE.



Cum patre Romanos molestauit XIIII. annis, solus VI. ætatis suæ XLIIII. anno trucidatus.


Septimivs Geta cum patre Seuero, ac fratre Antonino, anno post Christvm natum ducentesimo octauo, cum omni copiâ militari Oceanum traiecit; Britanniamque magnis grauissimisque bellis aggressus, victoriâ haud incruentâ inuasit. Intereà in Seuero morbus ille articularis, quo miserè laborabat, magis magisque inualuit. Quare Antoninus filius sub prætextu salutaris remedij patri sæpè venenum porrigere conatus est: sed pater rem longè aliter ratus, nempe vitam suam diuturniorem anxium habere adolescentem, sumere quidquam recusauit. Nam & paternis Medicis ac ministris subinde persuadere conabatur, vti senem è medio vel quoquo modo tollerent, vitamque breuiorem redderent; atque id toties cum iis egit, vt mœrore magis pater quàm morbo aliquo consumptus interierit. Post obitum autem patris, Medicos multosque ex ministris comprehendit, postque infinitos pænè cruciatus vltimo supplicio vniuersos affecit, eò quòd sibi minùs obtemperauerant. Prætereà etiam illos omni crudelitate torquere haud cessabat, qui patrem ipsius fidelissimè obseruarant. Atque hæc quidem omnia ideò fecit, quòd interitum patris perniciemq; fratris affectabat, vt vel eo pacto solus Imperij administrationem, ac victoriam Britannicam obtineret. Vt iam cum fratre concordiam iniisset, quicum odium plusquam detestabile exercuisset, omne bellum penitus absoluerunt; atque ex Britanniâ soluentes cum patris reliquiis Romam contenderunt, victoremque exercitum secum adduxerunt. In hunc modum ceu victores Vrbem ingressi, à Senatu Populoque Romano Britannici primùm salutati fuêre. Cùm verò diuisis pro suo vterque arbitratu Regiis seorsim habitarent, magisque commendaretur Geta, quòd probitatis quamdam ostenderet opinionem, atque humanum se mansuetumque in congressibus præberet, magna hinc rursum exorta est in Antonino æmulatio, ac suspicio iniqua in Getâ. Quamobrem vtrique visum fuit Imperium diuidere, hac quidem lege & conditione, vti Europam atq; Africam Antoninus, reliquam verò mundi partem nimirum Asiam Geta possideret, tum enim sibi latissimo maximoque diuisis Oceano iniquam omnem facilè suspicionem fore perituram. Concludebatur etiam, vti Antoninus castra prope Constantinopolim haberet, Geta autem ad Chalcedonem Bithyniæ oppidum, vt vterque ita commodè suum tuerentur Imperium, alterque alterius traiectionem inhiberet. His super rebus consultum fuit coram optimis quibusque Vrbis Romæ, qui quidem tacentes mœsto vultu terram intuebantur. Tum Iulia vtriusque mater exsurgens, his ita locuta est: *Terram quidem & mare, ô filij, quemadmodum diuidatis sanè iam probè inuenistis, matrem verò quonam quæso modo diuidetis? Quâ obsecro ratione ego mater inter vtrumque vestrûm misera dissecabor? Itaque me primùm occidite, ac dimidiam vterque apud se partem sepeliat, vt & ego vnà cum mari terrâque ipsa inter vos diuidar.* Hæc multis cum lacrymis locuta, vtrumque complexa est. Tum illicò tumultu vniuerso in populo exorto, vtriusque consilium planè displicere cœpit. Quare vterque in sua se palatia recepêre. Deinde verò Antoninus vsqueadeò totius Imperij cupiditate accendebatur, vt apud se iam certò deliberatum haberet, insigne quiddam aut facere aut pati. Ob quam rem magno sanè tumultu fratris palatium irrumpit, ipsumq; in matris gremio multo vndantem sanguine obtruncat. Quo quidem facto, cum suis stipatoribus euestigiò ad milites in Prætorium effugit: quâ de caussâ ingens populi tumultus exortus est, quòd ita properè mediam per vrbem in castra aufugisset. Tum ita ipsum fideliter milites armis defenderunt, vti iam nemo in illum quidquam moliri auderet. Cuius rei occasione eò crudelitatis atque insaniæ lapsus est, vt ne ab vllo quidem scelere manus abstinuerit. Ad omnem planè sæuitiam ac tyrannidem incendebatur. Coniugem suam Plautillam, fratris, Pertinacisque filium, Fadillam Commodi sororem, multosq; alios variis cruciatibus interfecit; idque tantùm ex eâ re, quòd fratris Getæ necem apud matrem deplorabant. Prætereà Senatorij ordinis quicumq; vel leuem aliquam cum Getâ notitiam habuissent, vniuersi interimebantur. Postremò quidquid ex cognatione Imperatoriâ, aut in Senatu ex Patriciâ nobilitate supeferat, planè quasi ab stirpe abscindebat, misereque trucidabat. Ac tandem vt Parthis bellum inferebat, vtque apud Edissam ciuitatem ad naturæ requisita solus secedebat, ab aliquo è corporis sui custodibus pugione traiectus interijt.

XXVI.

TV QVI NVLLI PARCES, POTES ETIAM FRATREM OCCIDERE.



Romanis cum patre & fratre præfuit XIIII. annis, insidiosè à fratre occisus.



OPELIVS SEVERVS MACRINVS, anno à CHRISTI natiuitate ducentesimo decimo nono Imperium hac ratione adeptus est: Post interitum Antonini, vbi Artabanus Parthorum Rex magnis copiis aduentare, exercitumq; Romanum apertâ vi petere nuntiabatur, Imperatorem sibi Macrinum, qui secundus ab Antonino iam antè in castris fuerat, elegerunt, iuramentumque atque inaugurationem ipsi Senatus Populusque Rom. præstiterunt. Hic Antonini corpusculum confestim igni tradidit, reliquiasque in vrnam coniectas matri ad sepulturam transmisit. ea tum agebat Antiochiæ. Verùm vt tristem miserabilemque liberorum suorum calamitatem misera accepisset, sibiipsa mortem consciuit. Intereà dum hæc aguntur, Artabanus in Mesopotamiam eò vsque venit, vt iam non longè multis copiis ac viribus ab exercitu Romano abesset. Tum Macrinus orationem ad milites habuit huiuscemodi: *Iam tempus monet, commilitones fortißimi, imminenti periculo quàm ocyßimè occurrere. Videtis enim Parthorum Regem cum maximâ totius Orientis multitudine iam iam nobis instare, iustasq; belli caussas prætendere, adeoq; in vindictam nos vocare: siquidem priores nos illum rupto pacis fœdere ad bellum prouocauimus. Iam, inquam, vniuersum Imperium Romanum in vestram recumbit virtutem fidemq;: est enim nobis bellum cum Rege potentißimo sanè difficillimum; non quidem de finibus Imperij propagandis, sed de omnibus simul vniuersi Rom. Imperij fortunis, vt qui liberos suos consanguineosq; contra nos vltum veniat. Igitur arma capiamus, atque (vti Romanis consuetum est) ordinem in bello seruemus, quo Barbaros facilè superabimus.* Hæc postquam locutus est, postero die Sole oriente Romani Artabanum plurimas secum copias adducentem eminus conspiciunt. Vtq; Solem de more Parthi adorarunt, ingenti clamore edito in Romanos extemplò concurrunt. Ceterùm Romani postquam equitatu multitudineq; camelorum premebantur, simulatâ fugâ murices proiiciebant, qui sub arenâ adeò delitescebant, vt facilè conspici nequirent. Et tametsi quidem murices isti equitibus Maurisq; camelorum insessoribus perniciem adferebant, pugnatum tamen vtrimque est vno alteroq; die à manè in vesperem vsque acerbissimè, ita vt nox ipsa prælium dirimere debuerit. Tertio rursum die vtrimque copias in campum educunt: in quo conflictu tanta virorùm iumentorumque cecidit multitudo, vt omnis propè campus iis compleretur. Postquam vtrique in sua sese castra receperunt, itinera aditusq; obiectis cadauerum cumulis velut aggere propugnaculoque alter alteri præcluserunt. Ac cùm iam Parthi quarto die sese rursum ad certamen pararent, cognouit Macrinus Artabanum non aliâ de causâ tam acriter ac pertinaciter pugnare, nisi quòd aduersus Antoninum confligere se arbitraretur. Quare Artabano mittit legatos cum litteris, indicauitq; Antoninum iampridem occisum, debitasque luisse pœnas: sibi à Romanis Imperium esse concessum, ac summam rerum traditam, & ob id se cupere illum ex inimico amicum facere, pacemq; fœdere, iureiurando ac libaminibus sancire. Quibus lectis Artabanus, edoctusque iam à legatis Macrinum Antonini necem curasse, fœdus cum ipso feriit; ac Macrinus cum suo exercitu Antiochiam reuertitur, vbi ipse quidem in oppido agebat; exercitus verò foris. Hinc item litteras tam amicas tamque humanas ad Senatum Populumque Rom. dedit, vt iis lectis ipsum vniuersi illicò non Imperatorem modò salutarint, verùm & iam iam præsentem optarint, vti Imperialem ipsi honorem & obsequium præstare queant. Facilè enim nouerant, huius operâ sese ab Antonino clàm liberatos. Neque etiam Senatus tantoperè lætabatur ob pacem Parthicam, quàm quòd Antoninus esset interfectus. Nam vt auctoritate quisque aut dignitate ac potentiâ præcellebat, ita maximè imminentem suis ceruicibus gladium Macrinum depulisse arbitrabatur. Verùm milites vbi intellexissent Antonini percussorem à Macrino fuisse subrogatum, alieni iam Imperatorem contemnebant ceu æquo mitiorem, occasionemque saltem leuem dari optabant, vti necem Antonini in ipso vindicarent. Hæc vbi percepit Macrinus, filium Diadumenum in castra ex oppido adduxit; ac militibus conuocatis, sellam, quæ in medio erat exercitus, conscenderunt; filiumque Macrinus, vti secum pari iure imperaret, instituit, ac mutato nomine ipsum Antoninum Diadumenianum appellauit, vti militum animos aliquantulum sedaret.

XXVII.

DII FAXINT VT FILIVS ANTONINI MERITVM EFFINGAT: ET EGO QVI SVM PATER ANTONINI, DIGNVS OMNIBVS VIDEAR.



Anno regni primo, menſe II. decrepitus immeritò miſereque vitâ priuatus.

OPELIVS ANTONINVS DIADVMENIANVS, cùm iam breui tempore cum patre Macrino Imperium æquali iure administrasset, exitium vtrique præsentaneum subitò imminuit. Nam milites, qui vel leuissimam vndecumque captabant occasionem, facilem miramque inuenêre ad ea, quæ animo conceperant, perpetranda; idque in hunc modum: Antiochiæ habitabat anus quædam Iulia Mæsa nomine, cui soror erat Iulia Domna L. Septimij Seueri coniunx, ac mater Imperatorum Antonini & Getæ: ea, viuente etiamnum sorore, multos annos inter Cæsares in aulâ vixerat Imperatoriâ; sed Getâ à fratre Antonino interfecto, simul cum sorore Antiochiam in patriam profecta est. Erant item huic filiæ duæ, quarum altera Iulia Soæmias, altera Iulia Mammæa appellabatur. Prior filium habebat nomine Bassianum, posterior Alexianum; amboque sub matribus auiaque educabantur. Ac Bassianus quidem eâ tempestate annos natus erat circiter quatuordecim, Alexianus verò iam annum attigerat decimum. Sacerdotes ambo Solis erant, qui tum à Phœniciæ incolis Heliogabalus dicebatur, colebaturque maximè. Huic templum exstruxerant sanè operosum, auro argentoque plurimo, ac lapidum eleganti magnificentiâ exornatum. Proinde Bassianus sacerdotio maximè fungebatur, vestes serico purpuraque indutus varias, auro intextas: item capite coronam gestabat pretiosis gemmis vndique onustam, omnium interim quos terra ferat formâ pulcherrimus. Hunc itaque cùm sacra celebrantem, chorumque circa altaria ad tibias, fistulasque, & omnis generis organa instaurantem, mortales cùm alij, tum Romani etiam milites admirabundi inspectarent; cumque religionis nomine Romani equites templum hoc crebriùs frequentarent, eò quòd formam ætatisque florem in eo adolescente nimis quàm libenter intuebantur; his clàm auia ipsius tandem suggessit, istum profectò esse Antonini filium, quamquam alterius putaretur: nam Antoninus (aiebat) rem cum filiabus meis eo tempore habuit, quo Romæ ego vnà cum sorore in palatio agitabam, hosque duos liberos ex iis interim suscepit. His ab equitibus intellectis, rem in omnem sparsere exercitum. Ad quod etiam porrò Mæsa aceruos nummorum habere maximos ferebatur, quos militibus facilè esset elargitura, si modò liberi eius Imperium adipisci queant. Tum vniuersi, Iam, inquiebant, occasio data est optima Macrinum semel vindicandi, quòd Antoninum horum liberorum patrem interemerit: atque eâdem illâ nocte anum cum filiabus ac nepotibus è ciuitate milites in castra clàm admiserunt, vbi Bassianum & iuramento Imperatorem & nomine paterno Antoninum declararunt, Macrinumque ac filium Diadumenianum hostes proclamarunt. Quæ vbi Macrino sunt nuntiata, credere haud potuit, remque omnem ceu puerilem contempsit. Verùm cùm nuntiatum esset, milites incluso exercitu paullatim discessum parare, misit Iulianum ducem cum stipatoribus ac Prætorianis aliquot equitibus, qui rem cautiùs explorarent. Qui quidem vt ad castra iam peruenêre, statim inclusi milites Imperatorem suum, sacculosque nummorum plenos de turribus ac pinnis ostentarunt: quibus equites stipatoresq; moti, Iulianum obtruncarunt, caputque ad Macrinum ac filium eius remiserunt. Quo animaduerso, Macrinus omnem Imperatorium cultum detrahit, vestes alias assumit, barbam demit, atque vnà cum filio ac paucis comitibus ocyssimè dies noctesque Romam profectus est, vt Romani Populi fauore ac beneuolentiâ tutaretur. Ceterùm cùm Propontidis fretum traiicerent, vento aduerso in Chalcedonem repulsi sunt. Hîc vbi in suburbano quodam latitarent, grauissimè cœpit Macrinus laborare, perpetuo itinere fatigatus attritusque. Quod simulatque Antoninus accepisset, occisores eò misit illicò; qui senem miserè laborantem vnà cum filio interemerunt, atque vtriusque capita ad Antoninum retulerunt. Hic miserabilis Macrini Diadumenianique exitus fuit: hoc crudelitatis Antonini initium. Deinde sese parabat exercitus, vti Imperatorem Romam deducerent, atque ita ipsum omni vi in Imperium ære mercatum restituerent: quod vt Romani intellexissent, animo vniuersi fuere perculsi.

XXVIII.

PATER QVIDEM CVRABIT NE DESIT IMPERIO: EGO AVTEM ELABORABO NE DESIM NOMINI ANTONINORVM.



Vt Cæſar cum patre imperauit annum vnum, adoleſcens miſerè interfectus.



AVRELIVS ANTONINVS,qui Heliogabalus appellabatur,à CHRISTO nato anno ducentesimo vigesimo primo,cum fratre Alexiano, cumq; suis ac vniuerso exercitu,exOriente Romam profectus est.Hi Vrbem ingressi plerisq; admirationi fuere, quòd duos Antonini filios etiamnum superesse haudquaquam putarant.Vt autem cum matre auiaq;Mæsâ in palatium venêre,Antoninus in Imperiale solium sese deposuit.Vtq; indomitum hoc animal die postero in Capitolium venisset,matrem suam Soæmiam in Senatu ante omnes Senatores semper præsidere & voluit & iussit:atque illicò feminis insignem construxit Senatum, in quo mater,ac Mammæa huius soror,fratris parens,Consules essent,haberentq; facultatē cum ceteris matronis Consularibus condendarum legum, edictorumq; promulgandorum, quâ ratione sese viri circa naturæ exercitia haberent: item quæ mulieres quo vestitu incederent,quæ cui cederet, quæq; alteri surgeret. Exstruxit etiam templum Heliogabalo,quem velut Iouem ac summum Deum vti colerent vniuersi edicebat. Omnes sanè Deos sui Dei ministros esse aiebat, alios nempe eius cubicularios, alios œconomos,alios qui ei essent à poculis,ab epulis,rebusque aliis. Litabat etiam huic in hostias pueros per vniuersam Italiam nobiles ac decoros, patrimos & matrimos: nec verò volebat vsquam gentium alicui Deo sacrificari aut coli,nisi in memoriam veri Dei Heliogabali.Cùm iam mater eius tantæ Romæ esset auctoritatis,nihil penitus egit absq; illius consilio & voluntate,tametsi quidem mulier adeò erat probrosa, adeò in omni viuens turpitudine, vt dici nequeat.Et quemadmodum ipse ex patre crudeli ac meretrice probrosissimâ prognatus erat,ita in omni turpitudine, in omni nefariâ illicitaq; libidine secundum habebat neminem. Quare satius esse existimo (nisi series Imperatorum cogeret) eius memoriā penitus exstirpare, quàm vitam impurissimam litteris prodere.Conuocabat Romæ omnes meretrices ac lenones,atq; in concione publicâ coram iis orationē pulchram & prolixam habebat de laude artis meretricię. Nominabat eas cum magnâ reuerentiâ populum sanè honestissimum ac piissimum,iactabatq; se omnes matronas artem docturum meretriciam,eas ad istiusmodi honestum ac pium exercitiū instigans admonensq;. Nihil enim aiebat feminis nobilibus ac formosis melius esse,quàm si se publicè prostituant,atque in meretricum publicarum catalogo inscribantur,vti viris quibusq; promptæ parataeq; sint.Mirabatur etiam plurimùm, quamobrem tam bonum ac pium exercitium perficere recusarent, cùm omnes ex æquo meretrices essent: quamquā eius nominis illas puderet,cùm pudor nullus esset,sed ingens potiùs honos.Honestius enim meretricari publicè, quàm priuatim. Decreuerat autem edictum promulgare, vti feminæ quibuscumq; viris publicæ ac paratæ forent. Istâ oratione absolutâ, his qui suam libidinem profitebantur, ternos aureos donatiuum pronuntiabat: dicebatq; eos optimos sibi esse amicos, proximos, & quos in summo haberet pretio. In omnibus honestis ac publicis Vrbis & Prouinciarū officiis lenones exoletosq; instituebat,qui etiam in aulâ primi erant. Tum ex homine bestia tam impudica efficiebatur, vt omni turpitudine cōtaminatus,nullam probitatis rationem penitus haberet. Virgines Vestales viuas terrâ obruebat. Sæpiùs ipse nudus aut in curru aut lecticâ insigniter excultâ insidebat, vehebaturq; per totam ciuitatem à formosissimis mulieribus,quæ & ipsę nudæ ac sine pudore erant.Cumq; iam planè eneruatus rem cum feminis ampliùs habere nequiret, sese subagitandū ineundumq; dedit exsectis virilibus,vestitu mulieri virum sibi adiungens. Seuerissimè item edicebat,vti deinceps Bassiana tamquam femina appellaretur;dabatq; vniuersum Imperium Alexiano fratri, Alexandri nomine indito,quòd pater olim Antoninus ipsum Alexandro magno comparasset. Addidit & eidem Seueri cognomen auitum. Verùm vt id gratum esse Populo Ro.cognouit,atque ideò summoperè lętari,neq; esse qui non omnem Alexandro deferret honorē;facti pœnituit,quòd ita se omni potestate ac vi nudasset: sed consilio astutiaq; matris Imperium recuperauit; atq; id quidem hoc modo,vt ipse pater, Alexander verò filius haberetur. Tum sese à turpissimâ libidine ad tyrannidem longè immanissimam transtulit,ita vt optimas horas trucidando,feriendo,iugulando ac strangulando traduxerit. Ex cruentis spectaculis magnam capiebat voluptatem. Ingratum erat, quidquid ex se nullum præbebat sanguinem. Denique iuuabat maximè,si quid crudele, sæuum, horrendum ac tyrannicum planè, in eos præcipuè excogitasset, quibus ipse displicebat. Proinde vbi etiam simili ratione milites aggredi conabatur,subitò ipsi omniū malorum vindicta imminuit.

XXIX.

QVID MELIVS, QVAM VT IPSE MIHI HERES SIM, ET VXORI MEÆ.



Pro arbitrio Romanos insolenter vexauit IIII. annis, vixit XVIII. dedecorosè perijt.



M. Avrelivs Severvs Alexander, poſtquam anno Christi ducenteſimo vigeſimo quinto Imperium vnà cum fratre Antonino adminiſtraſſet, fraternæq; ipſum crudelitatis, ſuprà quàm credi poſſit, tæduiſſet, ita vt in nullo ſcelere voluerit germano ſuo participari; ferre profectò debuit ſe quotidie continuis inſidiis ac veneno peti, nec ſe ſolum, ſed & optimos illos equites, qui in ſuſcipiendo Imperio fauſtis acclamationibus ipſum conſalutarant. Verùm enimuerò eius tandem odioſa tyrannis finem cepit huiuſcemodi: Vt enim equites pleroſque arripere conabatur, magna extemplò nata eſt militum ſeditio, quibus item vulgus ſeſe permiſcuit. Hi igitur hoc ipſum vlciſcendi tempus fore commodiſſimum rati, Antoninum, matremq;, vt ſceleſtiſſimos interfecerunt, cadaueraq; per totam vrbem ceu canes traxerunt dilaniaruntque, voce altâ iſtiuſmodi inclamantes: Hi ſunt canes iſti, quos nulla libido potuit ſatiare. Et cùm ad iſtum modum ſatis diuq; per vicos raptata fuiſſent, in communes abiecta fuêre cloacas, nomenq; Antonini Alexander ex publicis monumentis permiſſu Senatus omnino eraſit, atq; inter infelices deinceps numerauit. Tum populus vniuerſus incredibili perfuſus lætitiâ, feliciora ſperabat tempora. Quantò enim ille erat ſæuior, atque humano generi magis infeſtus, tantò hic probior mitiorque habebatur; adeò vt vel vnicum omnis virtutis ac probitatis exemplar dici potuiſſet: qui ſeſe ad inſtaurationem Reip. iam ſuperioris Imperatoris adminiſtratione propemodum collapſæ, quàm mox totum dedit. Huc item laborarunt Conſiliarij eius, Iulius Frontinus, Vlpianus, & Paulus Iuris ciuilis peritiſſimi. Mater eius Mammæa Antiochiam profecta eſt, vbi ab Origene presbytero in ſacroſanctâ Chriſtianæ fidei religione probè inſtructa, Chriſtiana item effecta eſt. Deinde etiam Alexander per matrem eruditus, Christvm atque Abrahamum Diis ipſis annumerauit: nec ſolùm Chriſtianos haud eſt perſecutus, verùm & templum iis ædificauit. Intereà dum in omni ſe officio humano exercebat, tantâ ſapientiâ ac prudentiâ ceteros antecelluit, vt iam nullâ ratione à quoquam falli poſſet. Ad omnes ſeſe artes liberales totum dabat. Pictor erat ſanè egregius: multarum linguarum peritiſſimus, Poëta Oratorque adeò inſignis, vt dici haud queat. Neminem à ſuo latere mœſtum ſubmouebat, ſed omnibus æquè blandum ſe affabilemque præbebat. Atque vt mater auiaque nimiam ei ciuilitatem obiicientes ſæpè dicerent, nimiùm familiarem molliоremq; ipſum ſibi Imperij poteſtatem feciſſe, quàm decebat: reſpondit, Sed & ſecuriorem atque diuturniorem. Quin & illa è ſacris Litteris petita auditaque à Chriſtianis ſententia ei frequens erat in ore: Quod tibi nolis, id in alterum facere caueas. Quam ſententiam vſqueadeò dilexit, vt & in palatio & in publicis operibus perſcribi iuſſerit: ac tandem etiam re ipsâ perfecit, cùm Q. Camillus Imperium clàm ſeduloque affectaret, eique nuntiatum eſſet; tum enim Camillo gratias egit, quòd curam Reip. quæ recuſantibus bonis imponeretur, ſpontè ac libens reciperet: deinde ipſum ad Senatum ſecum eduxit, timentemque etiamnum mali quidpiam in palatium recepit, conuiuio adhibuit, ornamentis Imperialibus affecit, & participem Imperij appellauit. Simile & in rebus aliis egregiè perfecit, ita vt tredecim annis imperauerit abſque cæde aliquâ, adeoq; quòd nemini in quoquam culpandus exiſteret. Poſteà verò ipſi haud opinato litteræ è Syriâ Meſopotamiaq; redditæ à Præſidibus fuêre; in quibus, Artaxarem Perſarum regem, Parthis iam deuictis, atque Artabano eorum Rege interfecto, in Romani fines Imperij excurrere, vicinoſq; Barbaros ſubigere, ſcriptum fuit. Alexander, his intellectis, ſummoperè perturbatus fuit. Et poſtquam verbis blandis minisque ad pacem Perſas reducere conabatur, etiam illarum victoriarum eos admonuit, quas Auguſtus, Traianus, L. Verus, ac auus Seuerus contra eos adepti fuiſſent. Proinde vbi conſiderabat minimè eos armis deſiſtere velle, ingentem aduerſus illos exercitum eduxit. Ac inprimis quidem magnum paſſus eſt detrimentum: deinde verò inſigni victoriâ Perſas deuicit. Diripuit iis ſeptingentos elephantos, currus falcatos mille, equitum centum millia, & cataphractorum millia decem. Intereà temporis Germani ab Imperio deſciuere: quæ res Alexandro magno fuit timori. Sed contra hos tandem etiam cum ſuis militibus profectus eſt, iterque quàm ocyſſimè abſoluit. In eius exercitu dux erat Maurorum ac tyronum Maximinus quidam nomine, cuius deinceps hiſtoriam in ſequentibus ordine deſcribemus.

XXX.

EGO NON PATIAR MERCATORES POTESTATVM.



Imperium adminiſtrauit egregiè magnaq́ue laude XIII. annis, XXVI. ætatis interemptus.

AXIMINVS ex ignobili quodam Thraciæ vico oriundus, parentibus Germanis, altero nimirum ex Alanis, alteroq; è Gotthiâ, prognatus est: homo planè barbarus, qui iam inde à pueritiâ pastor fuerat ouium, eaque demum corporis magnitudine, vt plurimi è longinquis sedibus conspiciendi gratiâ ad ipsum aduolarint. Tantæ prætereà ferebatur edacitatis, vt vel vno prandio carnis libras absumpserit quadraginta aut quinquaginta, biberitq; nouem aut decem vini sextarios. Hunc Alexander Imperator, quocumq; iret, ceu spectaculum quoddam secum duxit. Et quamquam vastitas illa longitudoque corporis mores homini adderet incompositos, pòst tamen aliquantò elatiori animo effectus, miles adeò fuit strenuus, adeò fortis, vti in certamine quodam vno sudore milites fortissimos sedecim facilè deuicerit. Hinc plurimùm Alexandro acceptus, quatuor legionum Tribunus constituitur: iussus item, vti tyrones ad vniuersa equitum munera exerceret, atque ad bellandum idoneos redderet. Qui sanè dum horum nihil prætermittit, sedulò apud quosque suo persungens officio, magnam ab omni exercitu iniit gratiam. Appellabant ipsum alij Antæum, alij Milonem, alij denique Herculem. Tandem etiam Alexander suo maximo incommodo Maximinum vniuerso exercitui præfecit. Hic complureis Mauros, ac ingentem vim sagittariorum aduersus Germanos instruebat, quòd hi Germanos maximè infestarent, cùm & longiùs iacula intorqueant, & faciles sint ad cursus recursusque inferendos. Nonnumquam tamen aduersus Germanos pugnam commiserunt, ex quâ Germani haud impares sæpè Romanis abierunt. Quod quidem animaduertens Alexander, decreuit ad illos, vt olim ad Persas, mittere, qui de pace cum iis agerent: præcipuè verò nuntiarent, Imperatorem illis omnia, quorum foret opus, præbiturum polliceri, daturumque pecuniæ vim maximam. Nouerat enim eos in primis pecuniæ esse auidos, & quòd pacem Romanis auro sæpè vendidissent. Quamobrem istiusmodi Alexander illis proponebat, vt cui charius esset pacem fœderaque pretio emercari, quàm bello vindictam sumere. Intereà exercitum quàm fidelissimè recensuit: Imperator enim tam erat insignis, tam ad Principis munia obeunda diligens, vt interdum vel integras cohortes exauctorauerit, ac nobilitate ipsâ priuauerit. In his atque in rebus aliis Vlpiani consilio vsus est, qui eius, vt suprà dictum est, præcipuus erat consiliarius. Hunc milites adeò indignè tulêre, vt in eum simul irruentes gladiis hominem perfodissent, ni Alexander confestim prosiliisset, corpusque suum Vlpiani periculis interposuisset, ipsum suo tegens pallio: vt intelligerent, Cæsarem corpore vitaque Iustitiam tutari debere, atque huic iniuriam fieri, si quam consiliariis inflixerint. Cùm iam verò milites, suapte naturâ ad res nouandas oppidò quàm procliues, longum eius Imperium diutiùs ferre pigeret, aspernari Cæsarem cœperunt, quòd sub matris atque Vlpiani auctoritate etiamnum viuere putabatur, sine quorum consiliis quidquam in Repub. agere noluit. Prætereà & verbis nonnumquam facilè indicarunt, sese sperare alium Imperatorem electuros, qui inopinatò, ac præter exspectationem Principatum adipisceretur, & ad quem maiorem vtilitatem, studium atque honorem deferrent. Hinc decreuêre Alexandrum obtruncare, ac Maximinum Tribunum suum vocare Augustum, vt qui rei militaris peritiâ præsenti bello finem facilè imponeret. Huc etiam accedebat, quòd Germanis ob corporis vastitatem animique magnitudinem futurus esset formidini. Cùm igitur frequentes in campum conuenissent, & Maximinus, vt solitus erat, tyrones exerceret instrueretque, etiam hi in eius electionem proni fuere: quamquam incertum, ignarúsne horum fuerit, an re priùs compositâ. Mox purpurâ indutum Imperatorem salutarunt. Ille primò reniti, & abiicere purpuram. Vt autem nudos intentari gladios à militibus vidit, futurum quàm præsens periculum præoptauit, Imperatoriaq; induit ornamenta, inquiens, quæ vellent, perficerent. Tum statuerunt Alexandrum incautum, ac rei totius ignarum, armis obruere. Quod vbi Alexandro nuntiatum esset, pulueremq; venientis populi eminus ipse vidisset, ac magnę multitudinis voces exaudiisset, magnopere timuit: cumq; ad eos processisset, iugulum aduenientibus porrexit, atque vnà cum matre & amicis illicò interfectus est. Cædes autem hæc indignissima ad Rhenum contigit prope Moguntiam.

XXXI.

QVO MAIOR FVERO,
HOC MAGIS LABORABO.



Romanis vel inuitis per totos tres annos imperauit,
tandemq́ue vt ceteri gladio perijt.

VLIVS VERVS MAXIMVS ad Imperium, tamquam qui cum patre Maximino æquali iure ſimul adminiſtraret, aſſumebatur anno à CHRISTI natiuitate ducenteſimo trigeſimo octauo. Ab his duobus Populus Romanus cœpit plurimùm abhorrere, ita vt inter eos iam publicus eſſet luctus, non aliter atque ſi patrem quiſque amiſiſſet, quòd indies è Germaniâ homines adeò crudeles, adeoque barbaros, in patres exſpectarent, deberentque moribus optimis priuari. Hi autem vt ſe Populo Romano inuiſos, ac Senatoribus, Nobilibus, opulentisq; contemptui eſſe cognoſcerent, puduit eos tantoperè ſui generis, vti quoſcumque noſſent, occiderent, ſaltem ne cuiquam quidquam de eorum proſapiâ conſtaret. Amicos ſuos, quorum ſubſidium abundè, cùm tenuior iis eſſet fortuna, pridem ſenſerant, omnes interfici curabant. Deinde rati Imperium multò ſibi ſæuitiâ ſtabilius fore, amicos Conſiliariosque Alexandri omnes è Senatu exigebant, omnique priuabant honore, vt ſoli eſſent in exercitu, neminemque prope ſe haberent nobilitate potiorem, atque ita tyrannidi ſuæ liberè vacare poſſent. Nam quoſcumque legatos Romani ad ipſos mittebant, eos variis affectos cruciatibus interemerunt. Cuius quidem rei cauſſam huiuſmodi fuiſſe ferunt: Pontem ſuper Rhenum fluuium conſtruxerat Maximinus, quà aduerſus Germanos tranſiret: atque iis, quibus cuſtodia pontis curaque fuerat demandata, perſuaſum dicebatur, vt ſimul ac Maximinus in alteram ripam peruaſiſſet, ponte abſciſſo, redituque intercluſo, Germanis eum proderent. Quod vbi intellexiſſent, variis in eos modis animaduerterunt. Alios enim viuos equorum boumque cadaueribus inſui curabant, vti eo pacto à vermibus corroderentur, abſumerenturque: alios autem leonibus ac rabidis canibus laniandos obiiciebant. Poſtquam hæc ita crudeliter patraſſent, pontem tranſgreſſi ſunt, ſecutaque eos eſt magna Maurorum ſagittariorumque Barbarorum multitudo. Cuncta in hoſtili terrâ depopulabantur incendebant diripiebantque. Percurrebant vniuerſam Germaniam ad Cheruſcos vſque, & inde Francos. Deuaſtatâ igitur ad iſtum modum Germaniâ, deflexerunt in Hungariam, vbi pugnam iſtam, aliaque fortia facinora per litteras Senatui Populoque Rom. ſignificarunt, indeque tabulas pingi & ante Capitolium dependi curarunt, vt non tam audire quæ geſta forent, quàm etiam oculis ſubijcere Romani poſſent. Eas tabulas, vnà cum reliquis ipſorum honoribus, deinde ſuſtulerunt Romani. Proinde cùm iam nuntiatum eſſet, Imperatores haud longè ab Italiâ eſſe, magnus illicò timor Populum Romanum inuaſit. Conſultabant diligenter, quemadmodum in præſenti periculo ſe tuerentur: nuſquam non ſacra Diis victimasque offerebant, precabanturque ne quo tempore Imperatores viui Romam reuerterentur. Nec verò Romani ſolùm hoc curabant, vt ab ipſis multi paſſim diſcederent, verùm & milites contra eos emittebant. Hinc ſanè qui in Africâ erant, M. Antonium Gordianum, nobilem illum Principem Romanum, Præſidem ſuum, Imperatorem fecerunt; idque hac ratione: Poſtquam Carthaginenſes Procuratorem ſuum, cui, vt Maximini filijque fauorem aucuparetur, nihil ad extremam vel ſæuitiam vel aſperitatem planè deerat, occidiſſent, nocte intempeſtâ ad ædes venêre Gordiani, qui multarum antè Prouinciarum rector fuerat, & in maximis, quæ feliciter abſoluerat, ſpectatus negotiis. Quamobrem etiam ſtatuebant, vti ipſum ad Imperium ſuſcipiendum facilè admonerent, excitarentque. Cùm verò ipſum eductis gladiis ſupra grabatum quieſcentem offendiſſent, ſenem purpurâ induebant, honoribusque Imperialibus conſalutabant. Gordianus re ſubitâ exterritus, inſidiasque & dolum in ſe compoſitum ratus, humi ſe ex grabato deiiciebat, obſecrans ſeni parcerent, à quo iniuriarum nihil accepiſſent. Tum vnus ex interfectoribus Procuratoris fiſci; E duobus, inquiebat, periculis, quorum alterum præſens manifeſtumque, alterum futurum incertumque, eligendum tibi hodie alterutrum eſt, vt aut nos teque vnà ſerues, aut iam iam noſtris manibus intereas. Gordianus, his auditis, in illorum ſeſe manus prorſum tradidit.

XXXII.

EX PESSIMO GENERE NE CATVLVS EDVCANDVS.



Romanorum Cæſar à patre factus, illis biennio præfuit; proq́ue eorum more gladio interemptus eſt.

ANTONIVS GORDIANVS postquam Imperium suscepisset, vniuersa Africa summoperè gauisa fuit, sublatisque Maximini & filij Maximi honoribus, pleræque ciuitates in eorum locum Gordiani imagines ac statuas posuêre, ipsum à patriâ Africanum nominantes. Præferebantur etiam ei virgulta laurea, atque ignis, quo Cæsares ab aliis Principibus dignoscebantur. Sequebatur deinde ipsum Imperatoria pompa, milites omnes, iuuenesque vrbis Carthaginensis bello idonei: qui quidem haud aliter Gordianum cuncti circumfluebant, atque hi facere consueuerunt, qui Romæ Imperatoribus à corporis dicebantur esse custodiâ. Extemplò litteras ad Senatum Populumq; Romanum dedit, in quibus magnam libertatem, beneficia innumera, humanitatemq; cum maximo Reipublicæ commodo pollicebatur. Curabat item Vitellianum præfectum Prætorij, hominem ob animi crudelitatem Maximino charissimum, interimendum; quod per adolescentem audaculum callidumque effectum est. Dein Gordiani epistola coram Senatu Populoq; recitari: vniuersus illicò populus passim furenti similis discurrere; statuas imaginesque Maximini, eiusque filij, titulis suis atque ornamentis priuare, deijcere: & odio, quod hucusque clausum fuerat, modò patefacto, omnes delatores vnà cum amicis ac procuratoribus occidere, atque in cloacas protrudere. Mox Senatus ad omnes scripsit Prouincias, quemadmodum Gordianum, nobilem illum Romanum, ad Imperium adoptassent, Maximinumq; ac eius filium Romani Imperij hostes declarassent, ideoque se præsidium vndiq; flagitare, vti duos hosce canes semel è medio tollant. Quæ postquam Maximino nuntiata sunt, ita irâ accendebatur, vt non hominem sed belluam putares. Caput parieti illidebat, exclamabat inconditè, terram furentis instar pedibus conculcabat, atque educto sæpè gladio Romanis minitabatur, quasi verò omnes occideret. Vt autem ad se redijt, omnes conuocabat milites, tribunal inscendebat, atque è libello orationem ab amicis compositam iis recitabat. Et quidem cùm iam illis questus esset, quomodo Imperium Romanum ab omni vi Germanorum defendisset, ac modò hanc ab ipsis referri gratiam, vt à se filioq; suo Imperium transferant in alium; cumq; vrbi Romæ ac Senatui atrocia quæque minitatus fuisset, profectionem edixit in Italiam. Intereà autem dum in itinere est, res illis Carthagini præter spem optimè successerunt. Capellianus enim Mauritaniæ Præses magnum contra Gordianum eduxit exercitum, in quo sanè viros habebat cùm ætate florentes, tum omni armorum genere instructissimos. Quod vt Gordiano nuntiatum est, extremâ ipse affectus formidine est cum vniuersis Carthaginensibus, eò quòd nullas esse in Africâ copias videbat. Filium igitur ducem sibi, relicto in oppido ob senectutem patre, instituerunt, atque ita aduersus hostes profecti sunt. Proinde vbi ad manus ventum est, Gordianenses magnis copiis in fugam versi arma omnes abiecêre, quòd iaculatoribus Numidis resistere non poterant. Prætereà ipsi se ita mutuò trudebant ac proculcabant, vt à seipsis maius detrimentum paterentur quàm ab hostibus. In hac pugnâ & Gordiani filius cecidit, ac pauci admodum Carthaginem reuersi sunt. Vt verò Gordianus intellexisset hostes ita repentè in vrbem peruenisse, ac feminarum eiulatus, quarum amici ante oculos tam miserè occidebantur, audiisset, deploratâ salute intra cubiculum se quasi dormiturus recepit; colloque zonæ, quâ præcinctus fuerat, inserto, laqueo vitam finijt. Eo die tanta Gordianensium cecidit multitudo, vt Gordiani filij corpus inter occisorum cadauera inueniri haud potuerit. Verùm hostes vrbem ingressi, omnes qui à Maximino desciuerant, ac Gordiano adhæserant, magnis multisque cruciatibus neci dederunt. Hinc in omnes ciuitates Africæ profecti, quæ Maximini honores sustulissent, eas cædibus, direptionibus atq; incendiis penitus euerterunt. Hæc autem vbi Romæ nuntiata sunt, confestim Senatus in templum Iouis (quod in Capitolio erat) confugit.

XXXIII.

OSTENDENT TERRIS HVNC TANTVM
FATA, NEC VLTRA ESSE SINENT.



Octuagenarius Imperio coactus præfuit vno anno,
VI. mensibus, laqueo sibi vitam finiuit.


LODIVS PVPIENVS MAXIMVS, fabri ferrarij filius, & D. CAELIVS BALBINVS ex nobili Senatorum prosapiâ oriundus, post mortem Gordiani Imperium hoc modo adepti sunt: Cùm Senatus clausis foribus coram Ioue summo Deo, quem omnium, quæ agerent, velut inspectorem testemque implorabat, de electione Imperatoris multùm diuque consultaret, visum fuit, vti, qui ceteros ætate ac dignitate anteirent, paulisper secederent, quò suffragia de iis colligerentur. Facilè enim considerabant, præsens periculum postulare virum herclè fortem ac prudentem, quòd iam minimè dubitarent, quin Maximinus nemini foret parsurus, posteaquam belli caussam haberet iustam aduersus Romanos. Creati igitur Imperatores plurimis fuere suffragiis duo suprà dicti, vt æquali iure Imperium administrarent, ne rursum Principatus in nouam laberetur tyrannidem. Pupienus miles erat sanè strenuus, prudens atque ingeniosus, & qui Romanis exercitibus persæpè præfuerat, ac deinde Vrbis præfectus: in quibus omnibus ita honestè itaque sapienter vitam instituit, vt magnam de se spem Romanis præberet, vtpote qui eos ab omni duorum præsentium tyrannorum sæuitiâ facilè vindicaret. Balbinus verò bis Consul multas Prouincias sine vllâ querelâ administrauerat. His de caussis ambo ad Imperium electi, Augustique appellati fuêre. Prætereà concludebatur, vti Balbinus Romæ sese contineret, ac Rempublicam domi administraret: Pupienus autem foris hostium iniuriam in castris & in acie propulsaret. Dum hæc aguntur in Capitolio, vulgus intereà rumoribus excitum ad portas Capitolij concurrere, vicos omnes confertâ multitudine occupare, lapides fustesque in Capitolium mittere, displicere quæ istic ab Senatu agebantur, Pupienum reijcere, quòd esset seuerior: postremò dicere, nullum se Imperatorem poscere quàm ex genere Gordiani. Verùm Pupienus & Balbinus Equestris ordinis auctoritate freti, militibusque vrbanis cum gladiis vndique stipati, omni Imperiali dignitate è Capitolio ad Imperatorium palatium egredi conabantur, sed lapidibus ac fustibus fuêre repulsi. Quod vbi Senatus animaduertit, puerum quemdam euestigiò etiam Gordianum nomine, ex Gordiani Cæsaris filiâ natum, ad sese adferri iussit. Hunc cùm domi cum ceteris pueris ludentem offendissent, humeris impositum per mediam pertulerunt multitudinem in Capitolium, vsque populo subinde acclamante, & puerum conspergente frondibus. Cùm itaque Senatus Cæsarem illum declarasset, quando adhuc per ætatem Rempublicam gerere non poterat, iræ multitudinis resederant: passi videlicet sunt in aulam palatinam senes Imperatores commigrare. Intereà dum hæc Romæ aguntur, venit Maximinus in Italiam, quem multitudo Germanorum sequebatur haud contemnenda, quam partim armis partim amicitiâ sibi comparauerat. Assumebat item secum omne genus armorum, quibus Italicas ciuitates oppugnare posset, eaque trans Alpes magnis sudoribus transuexit; quod suum etiam iter aliquantulum remoratum est. Exercitus Hungaricus qui præcesserat, portas vrbis Aquileiæ offendebat clausas; quam fortiter oppugnarunt, donec Maximinus cum potentissimâ iaculatorum Orientalium ac Maurorum copiâ adueniret. Tum bellica ista instrumenta quæ secum adduxerat, parantur sedulò, & quidquid ad bellum idoneum esse posset. Sed fortiter vrbani resistebant, cuncta occludebant templa, ædesque vniuersas; ita vt nec femina nec puer quispiam esset, qui non pro patriâ animosè dimicaret. Intereà res Romanæ pessimè sese habuerunt inter ciues ac milites Prætorianos, eò quòd milites aliqui fuerant interfecti, qui Maximino inseruierant.

XXXIV.

MVLTOS TIMEAT NECESSE EST, QVEM MVLTI TIMENT.



Regnauit cum Balbino & puero Gordiano II. annis; iniuſtè occiſus periit.



CÆLIVS BALBINVS postquam Vrbis custodiam ac tutelam sibi commissam haberet, videretq; quotidie infinitos pænè ciues trucidari, ac ciuitatem ipsam humano passim cruore contaminari; populo per edictum obnixè supplicabat, monebatque, vti cum equitibus & militibus in gratiam rediret, ac potiùs præsentis casus, communisque patriæ detrimenti, vellet meminisse. Pollicebatur etiam equitibus, omnium, quæ hucusque patrauerant, obliuionem atque impunitatem. Sed id neutris persuadere potuit, gliscente indies malo. Ac tametsi quidem Romæ ob intestina hæc bella pessimè agebatur, res tamen tempusque acriorem ciuium pugnam contra Maximinum absque morâ aliquâ aggrediendam admonebat. Pupienus igitur collecto exercitu Româ probè expeditus discessit, vti Maximino resisteret. Vt autem milites, qui in Prætorio agebant, penuriâ conficiebantur, vniuersi patentibus portis eruperunt, congressiq; multitudinem fugientem in Vrbem vsque persecuti fuerunt, ignemq; domibus passim admouerunt, vt iam bona pars Vrbis conflagrarit, pluresque ædes ex eo perierint incendio, quàm in plerisque ciuitatibus essent. Intereà dum hæc Romæ aguntur, res ad finem paulatim deducta est. Nam cùm Aquilienses Maximiniensibus insignia atque imagines Imp. Pupieni, Balbini ac Gordiani, coronis lauroque redimitas ostendissent, ita grauiter Maximinus suis militibus succensuit, vt plurimos extremo supplicio affecerit: quasi verò per eorum stetisset inertiam, quò minùs ciuitas capta fuisset. Hinc milites seditionem aduersus ipsum excitabant, obrutumque tandem vnà cum filio Maximo obtruncabant. Neque enim iis clam erat, quàm duo hi vniuerso orbi essent odiosi, quamque nemo foret, qui non in horum necem iurasset. Capita igitur amborum præcisa, hastisque imposita Aquiliensibus ciuibus ostendebant, ex quâ re pax illicò vtrimque conciliata est. Cadauera verò canibus dilanianda proiiciebant, ac capita tantùm Romam Imperatoribus perferri curabant. Equites qui capita hæc ferebant, in itinere Pupienum in vrbe Rauennâ inuenerunt, ei victoriam ac successus rerum prosperos nuntiantes. Pupienus capita dimittebat Romam; vbi ea Balbinus contis infixa ante rostra populo conspicienda ostendebat. Deinde vbi Balbinus victimam hecatomben appellatam (hoc est, in quo sacrificio ex quocumque animalium genere centena mactabantur, vt centum boues, centum sues, &c.) immolasset, capita in Campo Floro magnâ cum lætitiâ populi combussit. Hac subitâ rerum mutatione omnis tristitia vrbis Romæ sedata est. Intereà Pupienus Rauennâ profectus Aquileiam peruenit, vbi omnes Maximini milites parato habitu laureati obuiàm ipsi procedebant: quos vbi Pupienus oratione amicâ benignè in gratiam recepisset, cum omni militari copiâ Romam reuersus est, venientemq; Balbinus, ac Gordianus, Senatus Populusque Romanus lætis acclamationibus veluti triumphantem exceperunt. Confestim Parthi cornua aduersus Imperium erigere, itemque Germani cœperunt; ita vt Pupienus ex decreto contra Parthos, & Balbinus contra Germanos, cum totâ militum multitudine proficisci debuerint. Inter hos duos discordiæ quædam nascebantur tacitæ. Balbinus Pupienum quasi ignobilem ac fabri dumtaxat filium contemnebat, atque hic illum contrà ceu hominem effeminatum, debilem, luxuriosum ac socordem. Quare alter alterius vitæ insidiabatur; sed quia vterque fidissimis stipatoribus, adeoque Germanis, probè munitus erat, res perfici non poterat. Interim noua deintegrò coorta inter Prætorianos milites seditio est, qui Germanis militibus quotidie dira minitabantur, ac pigebat modò quòd Pupienum tantâ fide ac reuerentiâ in Vrbem deduxissent. Facilè autem suspicabantur, si quid inceptassent, milites Germanos id fore vindicaturos. Quamobrem iratis animis ex Prætorio strictis ensibus ad Palatium vnanimiter concurrerunt, ac turbatis ianuarum custodibus, impetuq; facto in aulam irruerunt, ac senes Imperatores ambos detractis laceratisq; vestibus nudos ex aulâ abstraxerunt. Deinde, euulsis etiam barbis & superciliis, ignominiosè ipsos, nullo non ludibrio affectos, per mediam Vrbem ad castra deduxerunt. Decreuerant enim eos non in Palatio, sed in Prætorio interficere; ac lento priùs mortis genere excarnificare, quò dolorem diutiùs paterentur. At verò vt comperer unt, Germanos raptis armis in auxilium concurrere, statim vtrumque Imperatorem in viâ trucidarunt, corporaque dilaniata sparsim reliquerunt.

XXXV.

BONIS NOCET, QVISQVIS PEPERCERIT MALIS.



Imperium vnà cum Pupieno & Gordiano iuniori per II. adminiſtrauit annos: ignominiosè perijt.

ANTONIVS GORDIANVS Imperium solus, cùm annum ageret decimum tertium, adeptus est anno CHRISTI ducentesimo quadragesimo primo. Amabatur autem plurimùm à Romanis ob pulchritudinem ac bonos mores. Nec istud sanè infimâ laude dignum, quòd in suâ adolescentiâ sapientiæ amator fuerit tam eximius, vt bibliothecam librorum haberet circiter sexaginta duorum millium. Admodum adhuc adolescens bellum contra Persas (qui in Romanas prouincias passim incurrebant) aggredi demortuo Pupieno debuit. Verùm ei Senatus dedit in subsidium ac ducem exercitus Philippum ex Arabiâ oriundum, militem satis laudatum. Atque ita quidem Gordianus, cùm Tranquilliam, Misithei viri honestissimi filiam, vxorem duxisset, multis copiis omnique vi militari instructus, Orientem versus profectus est. Postquam verò in Asiam traiecisset, ita se cuncta pessimè habere offendit, vt ad socerum suum Misitheum, qui adhuc domi relictus erat, litteras scripserit huiusmodi: *Nisi Dÿ omnipotentes Romanum tuerentur Imperium, imperitiâ certè, socordiâ ac perfidiâ hominum diu stare non posset.* Scribebat etiam, quosdam sibi in aulâ displicere: querebaturq; *Imperatorem sanè miserum esse, apud quem vera reticentur; qui cùm ipse publicè ambulare non poßit, necesse est vt delatores tantùm audiat, & audita ab ÿs confirmet.* Vt autem frequentibus præliis Artaxerxem Parthorum Regem deuicisset, Saporem Persarum Regem aggressus est: quem eò redegit, vt regnum suum etiam libens in Prouinciam Romanis tradiderit. Inde per Syriam in Antiochiam venit: quam à Persis possessam recuperauit. Hinc rursum iter in Thraciam ac Mœsiam fecit: in quibus breui tempore tantum vicit, tantum deleuit, fugauit, expulit atque submouit, vt plurimas inde sibi victorias compararit. Namque omnes istas regiones Imperio Romano iterùm recuperauit; ita vt hinc ad Senatum scripserit, obsecrans, vti se suo nomine Diis commendare vellent: omnemq; honorem socero adscribebat, illi soli gratias agens, quòd eius ductu, vt aiebat, & dispositione cuncta transegisset; ac quæ deinceps esset peracturus, eius item fierent operâ & consiliis. Philippus, quoniam propter Misitheum voti compos fieri haudquaquam poterat, clàm veneno hominem interemit. Deinde ipsum Gordianus fecit præfectum Prætorij. Hic autem vbi secum cogitaret, quàm ex humili genere fortunâque tenui ad eam dignitatis sublimitatem subuectus fuisset, cœpit superbire, cornuaque sumere, vt pauperes solent dum è sordibus paullò nitidiores emerserint; atque id sedulò indies operam dare, quâ ratione Imperium adipisci posset. Nunc hoc, nunc verò istud studiosè excogitabat: postremò rem ita aggressus est. Naues frumentariæ, quæ commeatum ex Ægypto atque Italiâ ad exercitum conueherent, auersæ aliò deflectebant, vbi exonerari haud poterant, ita vt hinc seditio inter milites coorta sit. Ea res Philippo ex sententiâ optimè succedebat, studebatque inde etiam vultum fingere, tristitiam simulare, quasi militibus condoleret. Prætereà inter milites passim spargebat, Gordianum esse adolescentem imperitumque, ac melius fore si alium eligerent, qui in periculis suâ prudentiâ gubernare posset. Atque ita extemplò illi Imperium demandabant, vti iuxta Gordianum imperaret. Verùm hoc ei satis non erat. Gordianum prope esse æquo iure ferre non poterat: studebatque diligenter, quâ viâ Gordianum Imperio prorsum expelleret. Semper ipse apud milites esse, facere quò iam naues frumentariæ aduenirent: denique ipsum milites ceu vnicam exercitus salutem colere. Quod quidem Gordianus molestè tandem ferre occipiebat, ac militibus querebatur, ipsum beneficiorum, quæ in eum contulisset, planè esse immemorem: at nihil penitus impetrabat, quin magis aduersus ipsum incendebantur. Petebat vt saltem Cæsaris loco se haberi paterentur; quod minimè potuit obtinere. Dein petebat, vt vel præfectus Prætorij, quod antè Philippo concesserat, esse posset: sed nec id quidem impetrauit. Tandem cùm ab omnibus sese derelictum animaduerteret, petebat vt saltem posset viuere: quod quidem ei Philippus annuit, sed falso prorsus animo. nam simul atque potuit Gordianum clàm in secessu aliquo deprehendere, laqueo ipsum strangulauit; idque ideò, ne successu temporis Gordiano Imperium restitui posset.

XXXVI.

MISER IMPERATOR APVD QVEM VERA RETICENTVR.



Vnà cum Pupieno & Balbino duobus annis Imperio præfuit, ſolus VI. anno XX. ætatis laqueo extinctus.

ROMÆ ab Senatu, statim atq; scelus Philippi in Principe suo Gordiano (qui Vrbem à multis periculis grauissimisq; hostibus vindicarat) cōmissum populo innotuerat, Marcus quidam nomine Imperator eligebatur. Hic vbi morte subitâ decessit, SEVERVS HOSTILIANVS Imperium tamquam successor adeptus est. Volebant enim Romani Philippum, profugi cuiusdā latronis ex Arabiâ filiū, pro Imperatore haud quaquā agnoscere. Quamquam verò & Hostilianus non multò pòst ex incisione venæ interierit, tamen tamdiu imperasse, iudicio Æneæ Vici Parmensis dicitur, vt & nummos suâ effigie ac titulo percuti iusserit. Nam in libro suo secūdo, cui titulus, *Discorsi sopra le medaglie*, taxat notatq; grauiter Iacobum de Strada Mantuanum in suâ Epitome Thesauri Antiquitatū, quòd Hostilianum hunc rarâ barbâ depinxerat nomine M. Seuerum Ostilianum. Nec sanè huius tantùm nomine ita in illum Æneas inuehitur, sed & multorum aliorum, quasi sit figurarum, titulorum, partiumq; auersarum fictor. Quare & huic placuit hoc in loco eiusmodi ponendū numisma, cuiusmodi ipse atque alij duo in Italiâ habēt, quale & mihi vnum est facie iuuenili, imberbe, ac sine serto laureo, cum inscriptione huiusmodi: C. VALENS HOSTIL. MES. QVINTVS N. C. in dorso: PRINCIPI IVVENTVTIS. Princeps dextrâ Signa tenet, sinistrâ lanceam. Æneas hic & Iacobus multos errores ac controuersias inter Antiquarios concitarunt. Ac dubiū quidē mihi sit, num vterque erret. Nummum siquidem habeo, quem hîc expressi, cui est in parte auersâ femina vestita stans columnę innixa, dextrâ supra caput leuans, cum circumscriptione, SECVRITAS AVGG. Ex quo sanè liquidò constat, duos fuisse æquali iure Imperatores, quodq; Senatus hunc, iuxta Æneæ Vici sententiā, Cæsarem Marco etiamnum in viuis agente fecerit, ac posteà Augustum. Atqui id cum omnibus pugnat Historicis. Iam verò Valentiæ in Hispaniâ inter antiquas descriptiones reperiuntur & hæ tres: Q. HERENNIO ETRVSCO MESIO DECIO NOBILISSIMO CÆS. PRINCIPI IVVENTVTIS VALENT. VETERAN. ET VETERES.

C. VALENTI HOSTILIANO MESIO NOBILISSIMO CÆSARI PRINCIPI IVVENT. VALENT. VETERAN. ET VETERES.

CNÆÆ SEIÆ HERENNIÆ SALLVSTIÆ BARBIÆ ORBIANÆ AVG. CONIVGI DOMINI NOSTRI AVG. VALENTINI VETERANI ET VETERES. Cùm igitur iam certò cōstet, Q. Herennium Decij Imperatoris ac Cneæ Seiæ Herenniæ filium fuisse, ac C. huius Valentis Hostiliani, cognomēto Mesij, (quod & Decij cognomen fuit) hîc mentionem fieri, dubito equidem an & Decij filius fuerit. Multa mihi hinc inde cum peritissimis Antiquariis, ac viris grauissimis, Marco Laurino D. in VVatervliet, & Antonio Morillonio Secretario Episcopi Atrebatensis, disputatio huiusce caussâ numismatis (quod apud me non sine admiratione viderunt) fuit. Verum haud dubiè Hostilianum hunc Decij fuisse filium arbitrantur. Quapropter equidē præclarissimos viros, prudentissimos peritissimosq; Antiquarios, tamquam eius rei minimè ignaros, in testes duorum istorum numismatū adduco, nominoque, D. Antonium Perenotū Atrebatensem Episc. D. Maximilianum Morillonium Antonij Morillonij fratrem, Valerium Schottum Mediolanensem, Iulium Calistanum Parmensem, Stephanum Pighium, Melchiorem Schettum, Antonium de Taxis, Maximilianum VVaelscapple, Abrahamum Ortelium, & tandē eruditissimum virum Cornelium Scribonium Grapheum vrbi Antuerpiensi à Secretis, atq; eius filium Alexandrum. Iam nec apud aliquem Historiographum, quàm apud Eusebium in historiâ Ecclesiasticâ libro septimo capite primo, legitur Decius duos habuisse filios. sic enim ait: *Postquam Decius nondum integrè annos imperasset duos, cæsusq; fuisset vnà cum filiis, ac successisset ei Gallus*, &c. Refert item Aurelius Victor, temporibus Decij Imperatorem effectū fuisse Valentem Licinianum, ac post mortem Decij ab Senatu Imperatorem fuisse creatum Hostilianum Perpennam, & mox pestilentiâ consumptum. Quoniam ergo pauca de Decio eiusq; filiis memoriæ prodita exstāt, multaq; in nummis deprehendas, quorum apud Historicos ne mentio quidem fiat, rem certè exactius diligentiusq; dispiciendam opinor. Proinde Iacobum de Strada fictorem esse figurarum, titulorum, partiumq; auersarum, doctis peritisq; omnibus satis manifestū est. Nam numismata ex historiis aut fingere aut corrigere ausus est, vt in Nigerio patet, quem perinde atque historiæ, Nigrum vocat: quod si negat, fateatur necesse est, nullum se huius Nigerij numisma habuisse: quo quid turpius esse potest? Alterutrum itaq; & in Q. Herennio Etrusco, Decio, Heraclio, ac multis aliis commisit. Mihi verò placet historias cum numismatis conferre, atq; hinc eas potiùs restituere: siquidem historiæ numismata sequantur necesse est, dummodò verè sint antiqua, nec contrà. Antiquiora enim ac veriora numismata sunt historiis. Sic & Guilielmus de Choul in lib. de Priscâ Romanorū religione, numismata ex historiis corrigit, vocatq; M. Æliū Aurelium Commodum cum Dione Cassio atque Eutropio L. Ælium Aurelium Cōmodum. Si sic numismata tradenda forent, satius profectò esset tacere, atque à scribendo abstinere. Ita enim si gloria nulla parabitur, certè nec dedecus. Nolo equidē veteres Historicos vituperare aut contemnere, sed illud ausim dicere, exiguam eos nominum habuisse rationem, ideoq; plurimùm in his errasse. Ausim illud quoq; affirmare, quāplurimos nempe errores ex translatione de Græco in Latinum, ac descriptione veterum librorum in nouos irrepsisse. Si quis me in his culpare ac cōtrarius esse velit, næ ille doctis peritisq; scriptoribus haud parū ridiculus videbitur.

XXXVII.



Ita eum sæuissima pestis abstulit, vt vix eius memoria, nomenque, nedum dictum aliquod posteritati relictum sit.



Ivlivs Philippvs cum toto exercitu (quem Gordianus ex Oriente in Italiam reduxerat) non longè agebat ab Vrbe Româ, iam certus fieri haud posse, vt Imperium, nisi multo sanguine, queat obtinere. Verùm simulatque Hostilianum Imperatorem obiisse audierat, recepit animum, cogitauitque vel inuito Senatu Populoque Romano se Imperium reseruaturum. Consilium inuenit huiusmodi: Gordianus ab Romanis plurimùm fuerat adamatus, ideoque priusquam alius in Hostiliani locum succederet, conatus est suspicionem cædis à se falsò remouere, se plurimùm inquiens dolere, & sine consensu suo rem indignam patratam fuisse: cœpitque passim omnes Gordiani cædis conscios interficere. Intereà ad Senatum Populumque Rom. scripsit quàm fieri potuit humanissimè, culpam reiiciens in nebulones aliquos improbos, excusans etiam totum exercitum, vt fauorem beneuolentiamque militum sibi integram retineret. Quare item cupiebat, vt se Imperatorem (creatum quidem à militibus) & eligere & confirmare vellent. Istiusmodi adulationibus ita populi aures obturabat, vt fidem ipsi adhiberent. Necdum enim probè hominem nouerant. Nam Philippus insignis erat veterator, callidus, qui verba colorare, ac vultum simulare optimè calluerat; animo ita planè peruerso, improbo atque astuto, vt innatam sibi ambitionem fuco quodam tegere callidè potuerit. Cùm igitur Senatus Populusque arbitrabatur eum ista ex animo velle ac sentire, vt qui ab intestinis bellis plurimùm abhorrebant, hos Arabes ac ferocissimos Mauros Imperatores elegerunt. Tum ingenti pompâ ac triumpho Romam ingressus, secum aduehebat magnam vim Orientalium animantium cuiuscumq; generis, vt erant elephanti, rhinocerotes, leopardi, onagri, camelopardi, leones, &c. quæ omnia Gordianus collegerat, & in Festum Sæcularium ludorum reseruarat. Hos instituisse fertur exactis Regibus P. Valerius Publicola, itaque à sæculo appellasse, quòd humanæ vitæ terminus sit; ac centesimo quoque anno celebrari consueuerunt. Hos item celebrare cogitabat Gordianus istis animantibus anno ab Vrbe conditâ millesimo, qui iam tum instabat. Sed hoc ei Philippus ademit. Postquam ergo hic anno Christi ducentesimo quadragesimo septimo Imperium adeptus fuerat, mox eâ tempestate Gothi limites transgressi, factâ irruptione in Boreales partes ac Romani Imperij Prouincias, vrbes & agros vastare, prædas abducere, cædes vndique facere, incendia suscitare, domos, villas, tuguria euertere, denique ita cuncta armis peruertere cœperunt, vt vniuerso Orbi metum intulerint haud inanem. Prætereà & prodigium, quod iam antè tum apparuerat, magis singulos deterrebat. Solis enim eclipsis visa fuerat adeò tenebrosa, vti interdiu vbiuis gentium candelis passim vti debuerint quasi fuisset nox. Similiter & ingens contigerat terræmotus, quo multa cùm oppida tum homines interierant. quæ quidem omnia interpretabantur in perniciem Populi Romani. Cùm mihi plurima deinceps Gothorum facienda erit mentio, operæpretium fore duxi, paucis eorumdem referre originem. Gothi sunt Germani ex insulâ Gothiâ oriundi, ac semper vsi fuêre linguâ Germanicâ. Regio hæc adeò fuit populosa, vt patriæ angustiam sæpenumerò questi incolæ, in alias regiones coloniam ducere debuerint. Primùm Boreales plagas omnino opplerunt: cumque in iis plurimùm essent augmentati, multis copiis inde in varias mundi partes eruperunt. Mirabantur passim vnde id genus hominum prodiret. Erant enim Gothi turpes, staturâ admodum proceri, fortesque, moribus adeò incompositis, vt eos exspectare nationes ceteræ non ausæ, relictis sedibus aufugerint. Quamobrem deinde in Thraciam, atque Hungariam, tum Pannoniam appellatam, profecti sunt; inuaseruntque paruas illas regiones circa Constantinopolim. Quo quidem tempore Romanis visum fuit sese ad resistendum expellendumq; parare. Sed iam aliud cogitarat Philippus, quod maioris sibi fore momenti putabat, presertim quòd ad fidem Christianam iam aures accommodarat. Facilè item sciebat Gordianum fuisse conatum Gothos istos expellere, sed nihil profecisse. Nihilominùs simulabat se exercitum aduersus eos parare, vt ita filium suum Cæsarem vnà crearet.

XXXVIII.

SI VIOLANDVM EST IVS, REGNANDI GRATIA VIOLANDVM EST.



Imperium Romanum dolo ſibi adſciuit, illiq́ue præfuit VIII. annis, tandemq́ue occiſus.



IVLIVS PHILIPPVS ad Imperium à patre Philippo Principatus sui anno primo in Cæsarem, regnique collegam, assumebatur. Hi inter omnes Cæsares primi fuêre, qui fidem Christianam publicè professi sunt. Posteaquam enim Christiani effecti fuissent, pridie Paschatis eò venerunt vbi eius diei sacra peragebantur, volueruntque participes sacrosanctæ Eucharistiæ cum ceteris fieri: verùm iis recusauit summus Christianorum Pontifex Fabianus, nisi priùs crimina confessi inter pœnitentes sese collocassent; quod etiam libentissimè fecerunt. Pater fidem Christianam re verâ, licet verbis dumtaxat, attigit: filius autem cùm verbis, tum opere, eam ipsam satis expressit; Deum quippe plurimùm metuebat. Iam verò Germani illi Gothi quantumuis longiùs proficisci facilè potuissent, dum iam eos ceteri mortales verebantur, partaque iis sæpenumerò esset victoria; mansêre tamen in Thraciâ ac Pannoniâ, sedesque in eâ fixêre, nec vlteriùs procedere voluêre ob eiusce terræ fertilitatem. Romæ itaque sese Imperatores quietos continebant, erantque toti in apparandis iis quæ ad Sæculares ludos pertinerent. Cùm iam triennio imperasset, rediit Vrbis conditæ annus millesimus: qui dum ab vniuerso populo ingenti pompâ magnoque sumptu & apparatu celebraretur, varia animantium genera in Amphitheatrum inducta fuêre, vti magnâ cum lætitiâ strangulanda spectarentur. Amphitheatrum hoc Circus erat sanè ingens ac rotundus, circumquaque gradibus pulchrè ædificatus, in quibus vniuersi commodè sedere ac ludos spectare poterant. Huc enim Populus Romanus atque etiam exteri confluebant, ludosque absque vllo impedimento facilè omnes spectabant. Vt igitur Amphitheatri pauimentum arenâ vndique esset consperssum, ne pugiles interfectorum sanguine inficerentur, neve cruor spectatores forsan deterreret, foribus Amphitheatri apertis populus intromissus est, Cæsaresque item inter Senatores assederunt. Cumque pugiles (quorum pars morti adiudicata, pars in bello capta, in hos ludos fuerat reseruata, coactaque vt cum bestiis vel ad necem vsque concertaret) parati essent, armisque instructi, antra in quibus bestiæ illæ detinebantur, fuêre reclusa, atque item in Amphitheatrum admissa. Interim dum cruentus hic ludus, qui cum ingenti, horribili ac miserabili luctu celebrabatur, peragеretur, cœpit Philippus pater paulò petulantiùs cachinnari: quamobrem à filio suo auerso vultu notatus est. Hic enim adolescens adeò fuit seueri ac tristis animi, vt à quinquenni ætate nullo prorsus cuiusquam commento ad ridendum solui potuerit. Ob quam etiam caussam tantò herclè magis ipsum puduit videre patrem adeò dissolutè ridentem. Hoc die plurimi cùm homines tum bestiæ interierunt. Deinde in Campo Martio varij ludi populo exhibiti fuerunt, quos tribus diebus totidemque noctibus peruigil spectabat. Sic & diuersæ Comœdiæ ac Tragœdiæ actæ fuerunt. Breuiter, nihil, quod ad tristitiam & triumphum possit attinere, omissum fuit. Non multo tempore pòst Imperatores rem insperatò tristem accipiebant, quæque animos eorum magis percellebat quàm Romanum Imperium; nempe Marinum ducem ab ipsis desciuisse, qui Populi Romani nomine, cum exercitu Illyricorum, in Sarmatiæ finibus ad repellendos coërcendosque Scythas castra habebat: qui postquam ab Imperio discesserant, nusquam non in Romanas Prouincias irrumpebant. Vt enim Marinus hic audiisset, atque ipsemet etiam considerasset, Imperatores socordiæ sese dedisse, cùm nihilominùs causam haberent legitimam aduersus Gothos bellandi, se facilè cogitabat Imperium adepturum. Quod cùm Imperatores minimè ferre possent, contra ipsum miserunt Decium, militem sanè fortissimum ac clarissimum. Hic vbi ad conflictum peruenit, cecidit Marinus. Interim thesauros suos Imperatores dono dedêre Fabiano summo Christianorum Pontifici: quâ de re iratus Decius, vt qui idolis seruiebat, Romam properè rediit: cui Philippus pater obuiàm profectus est. Conuenerunt vnà Veronæ; vbi Philippus medio capite supra ordines dentium præciso interijt.

XXXIX.

NON EST EIVSDEM ET MVLTA ET OPPORTVNA DICERE.



A patre Cæſar factus, eo officio functus ſeptem annis, XII. ætatis religionis ergô vitam amiſit.



C. Messivs Qvintvs Decivs Traianvs, canis ille humani ſanguinis ſitientiſſimus, Imperium adeptus à Christi natiuitate ducenteſimo quinquageſimo. Hic irâ excandeſcens cum omni militari expeditione Romam ingreſſus, Philippum filium Chriſtianiſſimum Imperatorem, vt Chriſtianis eſſet formidini, interfecit. Deinde & Fabianum ſummum Pontificem martyrio ſuſtulit è vitâ. neque id quidem illi ſufficere potuit. Odium iſtud quod in Philippos Chriſtianorum nomine ſuſceperat, multo ſanguine extingui debebat. In Chriſtianos igitur eâ tempeſtate ob odium Principum multò magis ſæuitum eſt quàm Maximini temporibus, propter odium quod inter ipſum atque Alexandrum, eiuſque matrem Mammæam item Chriſtianam, coaluerat. Nam in hoc Decius etiam cunctis rem gratam præſtare voluit, inquiens ſe ſingulari quodam eſſe amore in Deos ac Romanos propenſum. Vtque Chriſtianos hoſce duos enecaſſet, ſperabat ſe & integram deinceps religionis Chriſtianæ ſectam exſtirpaturum ac planè deleturum, vti nulla eius in poſterum memoria reliqua eſſet. Huius igitur edicto multa millia Chriſtianorum paſſim nouis atque inauditis cruciatibus interierunt; inter quos fuere Serapion, Meniacus, Abdon, Sennes, Olympiades, Hippolytus cum ſuis ſociis, Maximus, Polychronius, Apollonia, ac Victoria. Ante eius oculos Romæ diris cruciatibus enecabantur, ſummus Pontifex Cornelius Fabiani ſucceſſor, deinde & huius ſucceſſor Sixtus cum Archidiacono ſuo Laurentio, & complures alij. Breuiter, tanta hac tempeſtate in Chriſtianos excitata eſt perſecutio, vt paucæ ciuitates, atque adeò paucæ domus huius calamitatis expertes fuerint. In quâ temporis anxietate Cyprianus Carthaginenſium Pontifex miſerabiles infelicesque Eccleſias litteris paſſim conſolabatur, atque ad conſtantiam hortabatur. Plurimi tamen à fide Chriſtianâ deſciuerunt. Cùm iam Decius ſanguinis humani ſatur ac plenus eſſet, expeditionem parauit aduerſus Germanos & Gothos, vt Barbaros iſtos Romano Imperio rurſum vi ſubigeret. Ac tametſi quidem in Chriſtianos ſe tyrannum præbuiſſet, ſummopere tamen laudatus fuit, quòd abſque Senatus auctoritate nihil quidquam inceptabat. Vir ſanè erat artibus probis, vitaque honeſtâ excultus, modeſtus, acutus in negotiis gerendis, & qui grauiſſimas etiam ſeditiones in Galliâ ſedabat, vt Imperium per Gothos amiſſum Romanis reſtitueret. Verùm antequam Gothicum bellum aggrederetur, voluit, vti eius filius Q. Herennius Decius Imperator ac ſucceſſor patris crearetur: quod à Senatu, ordine Equeſtri, Populoque Romano, facilè impetrauit. Nonnulli volunt hunc fuiſſe à Senatu coactum, vt filium ſibi Imperij collegam de more aſſumeret. Alij autem, huc à militibus atque equitibus impulſum.

XL.

AVCTORITAS RERVM GERENDARVM TELVM.



Annis III. Imperio præfuit, primus Auguſtorum qui hoſtili gladio perijt, ætatis L.



Q. HERENNIVS ETRVSCVS MESSIVS (siue MESIVS) DECIVS postquam ad Imperij administrationem à patre ceu collega assumebatur, in Pannoniam aduersus Gothos omni militari expeditione vnà cum patre profectus est. Ex quâ quidem regione Imperatores erant oriundi, nati videlicet in ciuitate Bubaliâ. Cùm iam se Gothi ad resistendum Romanis fortiter parassent, Danubiumque traiecissent, de improuiso ab Imperatoribus opprimuntur, ita vt eorum ceciderint circiter triginta millia, non tamen absque clade Romanorum. Verùm quoniam Gothi numero erant trecenties mille, virique omnes strenui, parui stragem istam fecerunt, vt qui plus spei in multitudine quàm in acie ordinatâ collocabant. Rursum igitur cum Romanis in pugnam descenderunt: quos ita cinxêre, quasi laqueo capti fuissent. Romani autem considerantes se tantæ multitudini difficulter posse resistere, tantùm corpora ab imminentibus sagittis tutati, cogitarunt se honestè satis pugnaturos, si absque cædibus euadere queant. Verùm cùm iam multùm diuque, clypeis instar muri coniunctis oppositisque, acriter vtrimque pugnassent, tandem seiuncti cessare, armaque abijcere, ac tergum vertere debuerunt. Hac fugâ ita se mutuò oppresserunt, vt maius detrimentum à seipsis quàm ab hostibus paterentur. In eo conflictu Decius filius iaculo transfixus, cum maximâ parte sui exercitus interijt; quâ re mœstus iratusque Decius summopere est: nihilominùs ita fortiter se in fugâ defendit, vt suâ manu triginta occiderit. Sed cùm ea regio ob Danubium lutosa ac palustris sit, Decius ab hostibus fugatus, seque victum cognoscens, equo in voraginem paludis desilijt, nec vmquam eius cadauer posteà repertum. Hinc tanta Romanis tristitia luctusque fuit, vt dici haud possit; vtpote quòd ad istum modum Imperatores suos exercitumque amisissent; qui tamen fide, constantiâ ac fortitudine priscis Ducibus essent meritò annumerandi. Omnes, qui fugâ elapsi erant, ad fines Mœsiæ profugerunt. Ex hoc rerum successu Gothi multò plura conati, nunc demum Romanis irasci cœperunt: quamobrem se in expeditione continentes, suis sedibus contenti esse noluerunt.

XLI.

TIMIDI NVMQVAM STATVERVNT TROPHÆVM.



A patre Romanis in Cæſarem datus, primuſque Cæſarum omnium hoſtili gladio percuſſus.



C. Vibivs Trebonianvs Gallvs, Patritiorum familiâ ortus, Dux ac Præſes Mœſiæ iam olim à Decio inſtitutus, agebat eâ tempeſtate in eius Prouinciæ finibus, quò profugerant quotquot fugâ è ſuprà dicto conflictu euadere poterant. Cùm iam diſperſus ille exercitus ſe aliquantulùm collegiſſet, milites inito in agris conſilio, Gallum vnanimi voce Imperatorem fecerunt, idque à Christo nato anno ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Romæ item alius Imperio præficiebatur: verùm vbi Gallum à militibus electum audierant, horum electionem Senatus Populuſq; Romanus confirmarunt, Gallumque pro more Auguſtum appellarunt: quâ in re plus ei fortunæ quàm fidei fuit. Intereà dum hæc Romæ aguntur, fœdus cum Gothis (quorum aliqui Scythę nominabantur) turpiſſimè percuſſit, pacemque ab iis mercatus eſt drachmis aureis ducentis, non ſine maximâ Romani nominis ignominiâ. Præterea ſe totum ſeruitio Gothorum addixit, ne ſaltem, quia etiamnum debilis & inermis eſſet, ab iis opprimeretur. Gothi autem vbi ſe formidini eſſe intellexerant, inſolentiores facti ſuprà dicto auro contenti eſſe noluerunt, atque in circumiacentes terras incurſiones facere, prædas abigere, ingentique agmine terrâ marique facere cædes atque incendia cœperunt. Depopulabantur Dardaniam, Thraciam, Theſſaliam, Macedoniam & Helladam. Deinde mare traiecti Helleſpontiacum, venêre in Aſiam, ita vt vel nulla propè regio ab eorum incurſionibus potuerit eſſe libera; atque adeò ne Italia quidem, cui rurſus dira minitabantur. Vt verò Gallus Imperator nihil ſpei ampliùs vidiſſet, properè Romam rediit. Quo quidem audito, Senatus Populusque Rom. plurimùm doluit, certum Imperij exitium metuens. Deinde præter omnium ſpem atque opinionem fors veteranum peritumque Cæſarem Æmilianum dabat, qui interfecti Marini loco dux limiti Sarmatico in Mœſiâ à Decio ad reſiſtendum Scythis præpoſitus, ſæpenumerò furentes Gothos repulerat. Quod ſanè ob facinus Imperator ab exercitu ſuo eligebatur. Quo audito Gallus, qui tum Romæ agebat, confeſtim Voluſianum filium ſuum Imperij conſortem fecit.

XLII.

PRÆSTAT HABERE ACERBOS
QVAM SVAVES AMICOS.



Imperium gubernauit II. annis, mensibus VIII.
& occisus XLVIII. ætatis anno.


VIBIVS VOLVSIANVS, poſtquam ad Imperium à patre Gallo aſſumptus fuiſſet,vt id ſimul adminiſtraret,ambo ad ciuile bellum aduerſus Æmilianum ſeſe pararunt. Res enim dignitatem eorum concernebat Imperatoriam, minimè verò Reipublicæ commodum. Atque in hoc quidem cum Philippo ſuperiori optimè comparandi ſunt, qui ſimili ratione Imperij iacturam,perniciem atque exitium per Gothos æquiori ferebat animo, quàm ſi quidquam à dignitate titulóve perdidiſſet. Ita profectò & hi patiebantur Gothos Imperium paullatim arrodere, atque (vt ferrum rubigo) exedere; idque adeò, vt poſteris difficile fuerit, idipſum repurgatis ſordibus in integrum reſtaurare. Gallus itaque & Voluſianus ad opprimendum interficiendumque Æmilianum profecti ſunt: qui item cum ingenti Illyricorum exercitus multitudine properè in Italiam contrà proceſſit; primuſque conflictus habitus eſt prope Interamnam in Vmbriâ. Cùm autem eò res vtrimque deductæ eſſent, vt iam acerbiſſima pugna immineret, vterque Gallus ac Voluſianus à ſuis militibus ſunt interfecti. Deinde milites Æmiliano hæſerunt,Imperatoremque ſtatim appellarunt. Erat enim vir prudens, ſagax, atque in re militari probè expertus. Verùm Gallus & filius Voluſianus maiorem capiebant voluptatem in ciuilibus negotiis, & dum Romæ agitabant, ſtudioſiùs Chriſtianorum perſecutionem curabant, quàm quæ ad Imperium maximè ſpectabant. Dionyſius Alexandriæ Pontifex in hunc modum de eo ſcribit: Nec Gallus quidem ab Decij impietate potuit abſtinere, quin & ipſe eidem ſe illiſit lapidi, viroſque pios ac ſanctos perſecutus eſt. Tanta ſub id temporis peſtis paſſim ſæuiit, vt ne mentio quidem Chriſtianorum tandem fuerit. Hac præterea tempeſtate Chriſtianus ille Philoſophus ac Preſbyter Origenes,annum agens circiter ſeptuageſimum, obiit mortem; cuius item ſanguine Gallus ſe libens contaminaſſet, niſi diuina prouidentia hunc ab eius ſanguinolentis manibus præſeruaſſet. Poſteaquam igitur Gallus ac filius Voluſianus eſſent interempti, Æmilianus cum toto exercitu Interamnâ Spoletum profectus eſt, eo animo vt hinc Romam peteret. Ceterùm & litteras ad Senatum Populumque Romanum dabat oppidò quàm amicas, quas ex itinere præmittebat, promittens ſe Thraciam, Meſopotamiam & Armeniam recuperaturum, neque liberaturum dumtaxat patriam, ſed Gothos etiam depulſurum, populumque in omnem libertatem reſtituturum, & ab omni ſeruitute, in quam eos Gallus aſſerüiſſet, vindicaturum. Quamobrem ſe electum quidem ab equitibus militibuſque Imperatorem, etiam ab Senatu cupiebat confirmari.

XLIII.

NON OMNINO TEMERE EST QVOD VVLGO DICTITANT.



A patre Cæſar factus, vnà cum patre interfectus eſt.


EMILIANVS natione Maurus, erat ex Libyâ Africæ humili genere ortus; quamobrem & Romanis minùs profectò acceptus, vt qui genus ac familiam pluris quàm egregia claraque gesta faciebant. Ac tametsi quidem illos ex miserâ anxietate atque ingenti crudelium Gothorum periculo tam fideliter præter omnium opinionem liberasset, dici tamen vix potest, quàm parui eius petitionem æstimarint. Intereà dum iam multum diuque Romæ consultabatur, milites in Germaniâ Valerianum alium Imperatorem fecerunt, Augustumque nominarunt. Quæ quidem res vbi Romæ nuntiata est, etiam Gallienum eius filium Imperatorem elegerunt. Erant enim nobilissimò genere Romanorum prognati, Liciniorum videlicet, Corneliorum & Valeriorum. Vt autem milites Æmiliani istiusmodi accepissent, etiam scelerati insidique effecti, suum Imperatorem absque occasione aliquâ interfecerunt; idque sub specie quadam boni, quasi Barbarus esset, atque ideò timerent, ne olim sæuior crudeliorque effectus, in nobiles Romanos desæuiret. Quâ re magnam apud Valerianum, Gallienum ac Senatum Populumque Romanum gratiam inire volebant. Ad hunc ferè modum propè omnes Romani Imperatores à suorum militum gladiis fuêre interempti. Si quando enim Imperatorem quempiam fecissent, qui per omnia illorum votis minimè respondebat, eum illicò, non aliter atque si canis fuisset, occidebant: & quò probior erat, eò minus apud illos potuit impetrare. Raro etiam inuenitur occisores fuisse punitos: idque, vt plerique existimant, ideò, quòd cùm miles aliquis audierat Imperatorem militibus parum fuisse beneuolum, huic extemplò visum fuit rem gratam exercitui præstare, atque Imperatorem è medio tollere. Atque hinc quidem factum est, vt ab Iulio ad hunc vsque Æmilianum dumtaxat nouem naturali morte obierint. Quatuor fuêre extincti veneno, duo ab hostibus cæsi, tres qui sibi mortem consciuerunt, ac viginti sex suorum aut militum aut domesticorum gladiis in ciuilibus bellis interfecti. Pari modo & cum sequentibus aliis actum est, vsque ad Carolum primum Imperatorem Germanum. Tum enim religio esse cœperat, Cæsares ita apertè circumuenire ac trucidare: ob quam caussam eos clàm veneno tollere quasi deinceps successit. Huius Æmiliani temporibus mores equitum militumque adeò ex Imperatoriæ Maiestatis contemptu degenerarunt, vt hinc nationes Barbaræ originem cœperint in suâ quæque regione creandorum Principum. Imò & vnaquæque natio omnem adhibuit operam, vti Romanos sibi subijceret; atque ipsum etiam Imperium ludibrio habuit, variis id incessans dicteriis, quasi nullam deinceps auctoritatem, potentiam aut vim haberet. Atque ita quidem strenuus ille Imperator Æmilianus indignè occisus est, qui paullò antè Romanos ab omni periculo ac pernicie vindicarat.

XLIIII.

GENEROSITAS VIRTVS, NON SANGVIS.



Regnauit, & fideliter patriam Romanam IIII. mensibus tutatus est: at quia Barbarus, à militibus occisus.

M



P. LICINIVS VALERIANVS, anno à CHRISTO nato ducentesimo quinquagesimonono, ex Germaniâ Romam profectus, Imperium adeptus est. Erat quidem hic nobili genere ortus, sed stolidus, & multùm iners, neque ad aliquem Reipublicæ vsum aut re aut consilio accommodatus. Iam antè & Censor fuerat Romanorum; quod illi Decius demandauerat. Romanis item leges tulit, atque eius mira passim ferebatur sanctimonia. In Principatus sui initio pios ac Dei cultores summo colebat opere, ita vt domus eius templum Dei sit appellatum. Verùm hinc tandem discessit; atque ab istiusmodi moribus plurimùm mutatus, Ecclesiam persecutus est. Quod quidem plurimi admirabantur, nec intelligebant quâ ratione hic fautor amicusque Christianorum tam subitò in hostem insecutoremque mutaretur. Eius crudelitas eò serpsit, vt Christiani omnes per vniuersas Romani Imperij Prouincias, qui idola aut honorare aut colere recusabant, variis cruciatibus sint interempti. Præcipui autem, qui sub hoc Imperatore passi fuêre, sunt hi: Cyprianus Carthaginensium Pontifex Christianorum doctor eximius, Valentinus, Quirinus, Romanus, & Concordia. Cùm iam Barbari rerum passim potirentur, fecit Valerianus filium suum Gallienum Augustum, ac Saloninum Valerianum Gallieni filium Cæsarem. Deinde ad bellum expeditus, cum suo exercitu Orientem versus profectus est, vt inprimis Sapori Persarum Regi bellum inferret. Primus igitur conflictus habitus est in Mesopotamiâ, ex quo captus atque oculis cassus, à Sapore in perpetuum carcerem abductus est: & quamdiu vixit, Rex Persarum incuruati eius ceruici pedem imponens, equum ascendebat. Hanc ignominiam, atque hoc turpe seruitium, in innoxij sanguinis vindictam, vel ad necem vsq; perferre debuit. Proinde capto ad istum modum Valeriano, fusoque in Oriente exercitu, tota Asia Gothorum armis obruitur. Nihil non cædibus, incendiis, ac direptionibus prorsum absumebant. Tum item vniuersa Macedonia ac Pontus euertebantur, adeò vt iam nulla propè esset natio, quæ non aduersus Romanos insurgeret. Germani magnis copiis veniebant in Italiam, cunctaque miserè depopulabantur Rauennam vsque: sed hinc reuersi, Galliam cædibus, direptionibus atque incendiis opprimebant. Ad hunc sanè modum vniuersum Imperium Romanum extinguebatur. Vt enim Persæ ac Scythæ Orientem, ita Occidentem deuastabant Germani. In his tumultibus etiam Africa sese vndique Imperio opponere cœpit, atque vnaquæque natio iam vlciscendi tempus esse cogitabat.

XLV.

AMICVM INIMICVM FVGITO.



Poſtquam regnaſſet VI. annis, captus ab hoſtibus, in ignominiosâ ſeruitute LXX. ætatis anno diem ſupremum clauſit.

P. LICINIVS GALLIENVS agebat Romæ luxui ac popinis deditus, nec Imperij quidquam pensi habebat. Hic compertâ patris captiuitate gaudebat, vt solus Imperio potiretur, atque inultum patrem apud Barbaros relinquebat, excusans subinde se dicto istiusmodi philosophico, Non mirum sibi videri patrem aut mortuum aut captum esse, quòd eum mortalem sciret. Verùm cùm animaduerteret Romanos vndique à diuersis nationibus opprimi, adeò fuit patris captiuitate motus, vt iam tum Christianis mitior paullò esse cœperit, persecutionisque suæ finem fecerit. Tantum enim negotij illi cetera facessebant, vt Christianorum planè obliuisceretur; aut certè iudicio Dei permotus, istorum meminisse nolebat. Nam facilè considerabat, patrem suum meritas dedisse pœnas, eò quòd incantationibus erat deditus, Christianosque, qui iis resistebant, persequebatur. Siquidem infantes sæpiùs perimi fecerat: cumque è teneris istis artubus vitam sustulisset, etiam in venis sua incantamenta perficere conatus erat. Igitur Gallienus exemplum cepit à patre suo, passus nihilominùs maxima ac varia detrimenta, ob immensam suam detestabilemq; libidinem. Nam præter seditiones ac turbas quas barbari dederant, etiam vniuersus Orbis Imperio Romano fuit incommodo. Hinc inde varij exciti fuère tyranni, ita vt multis indies ciuilibus bellis ortis infinitum passim Romani fuderint sanguinem. Primus enim, qui ex tyrannis Imperium affectabat, erat Cyriades, atque occidebatur prope Myrsam. Item Postumus etiam in inferiori Germaniâ (quæ tum Gallia Belgica dicebatur, atque vbi tum Franci habitabant) tyrannidem affectauit, cum maximo Reipublicæ commodo. Siquidem fortiter probeque Imperium decennio administrauit; repulsis insigniter hostibus, amissas terras rursum suæ integritati restituit. Victorinus vnà cum filio suo Coloniæ, cùm iam noui quidpiam molirentur, fuère occisi. Victoria autem cum suo filio ad Imperium à Germanis eligebatur. Deinde & Tetricus Aquitaniæ Præses subsecutus est. In Oriente Odonatus ingenti collectâ multitudine, Persas & Gothos è Syriâ expulit, ac Mesopotamiam rursum recuperauit. Trebellianus in Isauriâ Imperium plurimùm affectabat, sed breui tempore occisus est.

XLVI.

OMNIA DECRESCVNT, VBI QVO CRESCANT, NON HABENT.



Poſtquam cum patre atque filio VI. annis Imperium diuexaſſet, ſurrexêre triginta tyranni;& IX.annis pòſt occiſus,L. ætatis anno.

ALONINVS VALERIANVS cum patre Gallieno habitabat Romæ: ſed cùm nullum Reipublicæ remedium amplius ſpeabant,ac iam facilè conſiderabant eò cuncta fieri deteriora, quò diuturniora; Mediolanum profecti, Imperium planè deſeruerunt. Proinde horum nihil Salonino imputandum eſt, vt qui necdum decimum annum exceſſerat. Cùm verò indies Gallieno nuntiabatur,vniuerſum Imperium terraſque Romanis per vim eripi,fertur reſpondiſſe: Equidem mihi abundè ſatis ſeruabo. Atque ita omnem vitam,luxui, libidini, popinis, meretricibus ac turpibus voluptatibus deditus, traduxit. Hinc complures exorti tyranni, illorum quiſque Imperium affectabat, ita vt eâ tempeſtate tyranni ſimul fuerint triginta. Quantum miſeriæ & calamitatis tum temporis vniuerſus Orbis perpeſſus ſit, haud difficilè perpendi poteſt. Ad vnum quippe omnes multo ſanguine fuſi ſunt. Mæonius in Oriente Imperium ſumpſit, atq; Odenatum interemit,qui & ipſe poſteà occiſus fuit. Ingenuus Panno-niæ Præſes à ſuis militibus Imperator dictus eſt: ac deinde ab iis, qui ab Gallieno ſtabant,interfectus. Regillianus Illyrici dux à ſuis item Imperator factus, poſteà in conflictu à Moſcouitis occiſus eſt. Confeſtim in huius locum ſubrogabatur Aureolus, quem itidem Claudius habito cõflictu interfecit. Macrianus vir probus ac ſenex defendere Imperium volebat,quare cum militibus ſuis profectus contra Gallienum, ab Aureolo cum filio in acie interemptus eſt. Quietus alter Macriani filius, poſt mortem patris ac fratris, à reſiduis militibus Imperator conſalutatus,ab eodem Aureolo interfectus eſt. Piſo Frugi,quem Macrianus in Theſſaliam aduerſus Valentem miſerat,etiam à ſuis militibus factus eſt Imperator, ſed ab Valente paullò pòſt occiſus. Æmilianus in Ægypto coactus Imperium ſumpſit: at deinde à Theodoro captus, ac Gallieno viuus tranſmiſſus,laqueo in carcere ſtrangulatus eſt. Celſus volens noui quidpiam in Africâ moliri,die Principatus ſui ſeptimo à ſuis peremptus eſt. Herodes, Herennianus, & Timolaus fratres atque Odenati filij, vnà cum matre Zenobiâ, per vim Imperium ſuſceperunt, diuque in Oriente vixerunt: ſed eos tandem ſuperauit Aurelianus. Saturninus vir prudentiæ ſingularis, grauitatiſque inſignis, à ſuis militibus ad Imperium coactus eſt. Hic multis aduerſus Barbaros Populi Romani nomine victoriis potitus, tandem à ſuis militibus interemptus eſt. Baliſta vir inſignis,& ad gerendam Rempublicam oppidò eruditus, cùm inter ceteros etiam tyrannidem affectaret, in tentorio ſuo à milite quodam gregario occiſus eſt. Titus à Mauris Imperator ſalutatus eſt, atque à ſuis quoque militibus trucidatus. Extemplò vxor eius Calphurnia Imperium ſuſcepit. Vſqueadeò ſe Gallienus in Imperatoriâ dignitate deiecit, vt ne feminas quidem puduerit Imperium affectare.

XLVII.

MAGNVM SATELLITIVM AMOR.



Cum patre tamquam Cæsar regnauit, & post IX. annos
vnà cum patre interijt.



Cassivs Latienvs Postvmvs, quotquot ſuo tempore tyranni Imperium affectabant, facilè omnes virtute ſuperabat. Vniuerſas haſce inferiores ditiones fortiter defendebat, quæ itidem vt ceteræ pænè fuerant perditæ. Et quidem dum Populi Romani nomine apud Francos Præſes eſſet conſtitutus, geſta mehercle inſignia fortiaque Francorum fide ac præſidio perpetrabat. Verùm vt paullò dilucidiùs de Francorum dignitate diſſeramus, præſertim quòd eorum in toto hoc libro nobis facienda ſit mentio, operæpretium fore arbitramur, ſi ab origine primâ eos paullò altiùs repetamus. Ob quam equidem cauſſam Poſtumum primo loco præ ceteris tyrannis ponere cum ſuâ imagine viſum fuit, quamquam cum reliquis inter Cæſares haudquaquam numeretur. Expreſsè igitur litteris proditum habemus, captâ Troiâ Priami nepotes ex Aſiâ in Europam profugiſſe, partemque in Italiam Romam deueniſſe, & partem ſedes in iis fixiſſe terris vbi Danubius mari immergitur, atque hinc ortos Sicambros. Id autem contigit anno ante natum Christvm milleſimo centeſimo octuageſimo tertio. Ceterùm cùm à Gothis, qui ingenti multitudine ex inſulâ Gothiâ erumpebant, plurimùm infeſtarentur, ita vt in iſtis locis quietos eſſe non liceret, educti à Rege ſuo Marcomiro alias quæſierunt ſedes. Hic vbi Diis de more ſacrificaſſet, in ſomnis clàm accipit, vt iſtuc cum ſuis proficiſceretur, vbi Rhenus mari illabitur, ſe iſtic pacatum fore. Et quidem vt aliquantò certior redderetur, item nocte huic prodigioſa quædam viſio apparuit. Erat autem monſtrum triceps, cuius alterum caput Aquilæ, alterum Bufonis, ac tertium Leonis. Caput itaque Aquilæ Marcomirum ita allocutum eſt: Tui, ô Marcomire, nepotes olim me Leonemq; oppriment, & Bufonem enecabunt. Quo quidem ſignificabatur, eius poſteros in Romanos, Germanos, & Gallos, olim fore dominaturos. Aquila enim Romanum denotat Imperium, Germaniam Leo, ac Bufo Galliam, quæ ab hoc populo Francia appellata eſt. Hic poſteaquam iſtam viſionem ſatis edidiciſſet, cunctis ad profectionem paratis eò ſuos confeſtim educebat, vbi mare influit Rhenus: eaque regio ab his Sicambria nominata eſt. Contigit autem id anno ante natum Christvm trecenteſimo trigeſimo quarto. Proinde vt à Saxonibus amicè exciperentur, eorumque proximi vicini, amici ac cognati dicerentur, oppidum conſtruxerunt, quod ſuo idiomate *Nevvmagen*, Latinè autem Nouiomagum appellarunt. Item Rhenum circa ea loca, in quibus ciuitatem illam ædificarant, nominabant *VVal*, terramq; circumiacentem *VVelou* & *Bætu*, quaſi per electionem (quam illi *Ervvelung* vocant) aquæ ac nouæ regionis commodum vtilitatemq; iam percepiſſent. Exſtruxerunt prætereà ciuitatem, quam Arlemiam & Germanicè vocarunt *Adlerheym*. Siquidem is locus erat, quem demonſtrarat Aquila. Multa in iis locis oppida condiderunt, quibus & nomina indiderunt ab occaſione quâ in iſta loca deuenerant: cuiuſmodi etiamnum hodie quædam exſtant, vt ſunt *VVeick, Groll, Hadervveick*, &c. Hi ipſi populi, quos Geldrenſes nominamus, etiamnum eo modo regionem, fluuium, oppidaque vocitant. Neque enim verè Teutonicè loquuntur. Vbique pro h proferunt k: & pro s, t. Temporibus Iulij Cæſaris Regem habuerunt nomine Francum, qui in præliis tot tantiſque victoriis potitus eſt, vt ab eo Franci, nec Sicambri ampliùs dici maluerint. Iulius vocat eos Menapios ac Batauos. Batauí autem ſic dicti ſunt à *Bætu*: ac verſus Occidentem ſeſe extendunt ad mare vſque Septemtrionale. Druſus regionem hanc temporibus Auguſti ac natalis Christi Prouincialem fecit, atque etiamnum pars illa, quæ inter *Venlo, Nevvmagen, Calcar*, & *Santem* ſita eſt, non Geldria, ſed Prouincialis, atque illorum idiomate *Vogtey* appellata eſt, eò quòd Romani in eâ parte Prouinciam conſtituerunt. Hos Francos ſibi Poſtumus comparauit, Imperiumque apud hos decennio poſſedit, atque ex eâ occaſione primùm Franci ad bellum exciti fuerunt. Cùm enim Poſtumus rebellione quadam ab equitibus Romanis vnà cum filio ſuo eſſet interfectus, Franci in expeditione militari perſeuerantes, Lollianum in Poſtumi locum Imperatorem ſubrogarunt.

XLVIII.

FORTES FORTVNA FORMIDAT.



Horum triginta afflixerunt orbem terrarum, qui non Cæſares, ſed Tyranni dicti ſunt. Hic x. Imperij ſui anno confoſſus eſt.

LAVDIVS, dux ille ſub Gallieno ac Salonino perquam fidus fortiſque, vt Tyrannum Aureolum, qui Imperatorem Mediolani obſidebat, vi repuliſſet, morientis Gallieni ſententiâ Imperator deſignatus eſt, ab eodemq; Imperialia ornamenta ſuſcepit. Cùm namque Cenſorinus, Marius, Cecropius, & complures Tyranni alij cum Aureolo conſpiraſſent, quaſi Reipublicæ prodeſſe voluiſſent, iſtorum tandem induſtriâ Gallienus interemptus eſt: ceterùm priuſquam moreretur, cum Claudio ita egerat, vti paullò antè dictum eſt. Mox Lollianus cum exercitu Francorum è Galliâ petebat Italiam, vbi tantum hoc Francorum effecit præſidio, vt Germani, quorum copiæ iſtic paſſim agebant, Romam viâ aliquâ inuadere haudquaquam potuerint. Deinde reuerſus in Galliam, collapſas deſtructaſque à Germanis arces vel in Hiſpaniam vſque reſtituit. Intereà verò, cùm ab Senatu Populoque Romano Claudius Imperator ſuſceptus, Auguſtuſque appellatus eſſet, etiam Lollianus occultâ proditione occiſus eſt. Atque hinc primùm quidem Franci ſeſe Romanis oppoſuêre, eaque ex re in Germaniâ & Galliâ deinceps potentiſſimi facti fuêre, vt qui in iſto bello victoriâ fortunaque ampliſſimâ fuerant potiti. Claudius igitur, educto Româ exercitu, contra Aureolum ceteroſq; Tyrannos profectus eſt: quos vt à Reipublicæ gubernaculis depuliſſet, ipſe Imperium, nomine tenus ſectum raptumque in partes, ſibi arripuit. Id autem accidit anno poſt CHRISTVM natum ducenteſimo ſeptuageſimo quarto. Proinde cùm iam equites Aureoli exercitus communeſque militares legiones Claudio ſeſe adiungebant, ac pro Imperatore ipſum venerabantur, grauiſſimum in Italiâ conflictum aduerſus Germanos habuit. Germanorum erant circiter ducenta millia, quorum pars dimidia vix ſuperfuerat. Quamobrem illi à Senatu conſtituta eſt aurea galea ac ſtatua, atque in Capitolio clypeus aureus, itemque aurea imago. Prætereà & Gothos bello ſanè acerrimo adortus eſt; qui iam annis quindecim Illyricum, Macedoniam, Salonicam, Theſſaliam, Lacedæmoniam, itemque Orientem verſus in Aſiâ Pontum, Chalcedona, Mœſiam, Pamphiliam, Meſopotamiam, Syriam, & ceteras regiones deuaſtarant, funditusque euerterant; atque etiamnum in ſuâ poteſtate obtinebant Sarmatiam, Daciam, Thraciam, Dardaniam, Bulgariam, Tranſſiluaniam, ac partem pręcipuam Pannoniæ. Horum tantam multitudinem Claudius bello apud Danubium fudit, vt victoriâ potitus litteras ſcripſerit huiuſmodi: *Deleuimus trecenta viginti millia Gothorum, duo millia nauium ſubmerſimus. Tecta ſunt flumina ſcutis; ſpatis & lanceolis littora omnia operiuntur. Campi oſſibus latent tecti, nullum iter purum ex fœtore cadauerum. Omnes prouinciæ ſeruis captiuisq; Gothorum ſcatent.* Cumque Romam triumphans ingreſſus eſſet, cognomento Gothicus appellatus eſt, atque incredibili lætitiâ à cunctis exceptus.

XLIX.

QVOD, DVM PRIVATVS ERAM, NEC LEGES CVRABAM, ABSTVLI; HOC FACTVS IMPERATOR RESTITVO.



Poſtquam Imperio præfuiſſet I. anno & IX. menſibus, mortuus eſt.


VINTILLVS à fratre ſuo Claudio Præfectus atque Italici præſidij Dux inſtituebatur, vt ab omni tyrannorum rebellione ſecurus Barbaros poſſet oppugnare. Erat autem Quintillus hic homo planè ciuilis ac modeſtus; quâ virtute ſolâ fratrem Claudium anteibat. Verùm Claudius tametſi & ipſe multâ probitate ac virtute præditus eſſet, vir tamen erat inſuper ſtrenuus fortiſque, ac iuris obſeruantiſſimus, & qui ad Rempublicam maximè natus videri poſſit. Traiectus igitur cum omni exercitu in Africam Claudius, Libyam, Numantiam atque Ægyptum recuperauit, Imperiumque ex parte aliquâ paullatim inſtaurauit. Cùm iam vniuerſum ferè orbem peragraſſet, plurimaque & fortia bella victor perfeciſſet, repentè in morbum incidit; ac Sirmij, priuſquam expeditionem abſoluiſſet, vitâ deceſſit. Senatus, Equiteſque, atque vniuerſus exercitus, nuntiatâ Romæ morte Claudij, Quintillum Cæſarem fecerunt, Auguſtumque appellarunt. Tantus Romæ Claudio poſt obitum ab Senatu honos exhibitus fuit, vt Diuum ipſum appellarit, atque inter Deos etiam connumerauerit. Complures tituli ſanè magnifici, inſcriptioneſque in perpetuam eius memoriam marmori inſculptæ conſecrabantur, quæ inſignes ac præclaras eius victorias aduerſus Germanos & Gothos teſtabantur; cuiuſmodi etiam nunc Romæ liquidò conſpici queunt. Quintillus verò eâ tempeſtate cum ſuo exercitu agebat Aquileiæ; & cùm iam rumor eſſet, Aurelianum alibi à militibus Imperatorem lectum fuiſſe, ita ab ciuili bello planè abhorrebat, vt manum ſibi ipſe intulerit. Narrant aliqui, ipſum ſe, cùm ſuos milites Aureliano fauere animaduertiſſet, paullò ſeueriorem aduerſus eos præbuiſſe, ideoque ab iis decimoſeptimo die Imperij fuiſſe occiſum. Habebat & alium fratrem Criſpum nomine, vnde genus ſuum ſequens Conſtantini familia ſumpſit. Nonnulli volunt & hunc Criſpum in catalogum Imperatorum ingerere, idque ex numiſmate Criſpi cuiuſdam ſequentis, qui Conſtantini Maximi erat filius. Mille equidem vidi numiſmata, ſed Criſpos duos facie diuerſos numquam offendere potui: nec vmquam ab iis, quibus antiqua numiſmata curæ ſunt, audiui, ſe aliquod in iis deprehendiſſe diſcrimen. Præterea quod in nummi dorſo eſt ALEMANIA CAPTA, facilè indicat illum non hunc eſſe Criſpum. Nam Conſtantij primò temporibus Germania nomine tenus partita fuit. Franci inferiùs ad Rhenum ſiti, à Germanis ac Sueuis nomen *Garman* linguâ Sueuicâ adepti ſunt: atque hi contrà ſuo idiomate Germanos ac Sueuos vocarunt *Aleman*: quæ duæ dictiones *Gar* & *Al* Teutonicæ ſunt. Ceterùm Romani & hos & illos vno nomine Germanos appellarunt; habito tamen diſcrimine nomenclaturæ Inferioris, quâ Germani inferiores denotantur. Atque ita ſanè Franci, qui in Galliâ Celticâ modò agitant, dictionem illam *Aleman* retinuerunt; quemadmodum & Geldrenſes etiamnum hodie *Al* pro *Gar* vſurpant. Verùm Franci qui inter Danubium ac Mœnum ſiti ſunt, ſucceſſu temporum, eò quòd prope Germanos habitabant, etiam Germanicè loqui aſſueuerunt.

L.

HONESTA TVRPITVDO,
MORI PRO BONA CAVSSA.



Decimo Imperij sui die seipsum occidit.



VRELIANVS natione Germanus, ex ignobili quodam rustico in Vindeliciâ oriundus, cùm superstite etiamnum Quintillo à militibus Imperator lectus esset, mortuo iam illo etiam ab Senatu Populoque Romano susceptus, Augustusq; appellatus est, anno CHRISTI ducentesimo septuagesimo sexto. Fuit autē hic Princeps staturâ procerus, neruis validissimis, atque in bello fortissimus, sed seueritatis immensæ, sanguinarius, & ad tyrannidem nimiùm procliuis: in castigandis commilitonibus ac prauis moribus admodum diligens. Primus apud Romanos diadema capiti innexuit; gemmisque, & auratâ omni veste, quod adhuc ferè incognitum Romanis moribus videbatur, vsus est. Præterea & porcinæ carnis vsum populo instituit. Intereà verò dum hæc Romæ agebat, Prouinciæ Septemtrionales aduersus Romanos conspirarunt, Italiamq; maximo cum detrimento, cuncta loca passim cædibus, incendiis, ac direptionibus deuastantes, inuaserunt. His sese Franci adiunxerant, qui Romanis longè erant infestissimi. Nam præter ceteros Germanos hi maximo semper studebant opere & Prouincias obruere, & Romanum nomen prorsus extinguere. Hos contra profectus est Aurelianus: sed magnâ clade affectus, atque in fugam pulsus, cum exiguâ multitudine vix saluus euadere potuit. Quo quidem infortunio Romani adeò grauiter fuere perculsi, vt potentissimi quique fugam ex Vrbe iam iamque adornarent. Verùm enimuerò Aurelianus collecto rursum ingenti exercitu, & secundò hostes aggressus est, victorque tribus præliis exstitit; apud Placentiam nempe, iuxta amnem Metaurum, ac postremò in campis Ticinensibus. Tot eo tempore Barbaros fudit, vt iam nullus esset qui auderet resistere. Ab sexcentis millibus virûm superfuerant vix centum millia. Francos non longè à Moguntiâ ad Rhenum ita grauiter adortus est, vt ferè omnes istic interierint. Refert Theoclius, Aurelianum ducem fuisse in bello adeò fortem, adeò strenuum, vt manu suâ vno die viros quadraginta & octo interfecerit, pluribusque diebus & diuersis vltra nongentos quinquaginta. Cùm iam Aurelianus multis copiis è Germaniâ in Galliam proficisceretur, Tetricus (cuius paullò antè mentionem fecimus) vniuersum Gallicum prodidit exercitum, atque Aureliano in manus tradidit: quâ quidem re tota Gallia pacata fuit. Exstruebat autem ciuitatem ad Ligerim, quam de suo nomine appellabat Aureliam. Deinde hinc versus Orientem proficiscebatur, atque Imperatricem Zenobiam vnà cum filio, de quibus in præcedentibus dictum est, suo Imperio subijciebat. Atque ita rursum ab Oriente cum Septemtrionalibus ad Occidentem vsque cum Australibus cuncta recuperauit. His itaq; ad istum modum gestis, denuò Gothi vltra Danubium nouam pararunt rebellionem, eoque profectus est Aurelianus cum toto exercitu, & præcipuè cum Germanorum ac Francorum præsidio: atque ingentem hominum multitudinem, simulque regem illorum Canabam interemit: inter quos & mulieres decem habitu virili, quæ fortiter dimicauerant, captæ fuerunt. Iam ergo Gothis domitis, incredibili triumpho Romam reuersus est. Ante currum Tetricus ac Zenobia cum filio suo catenis ferreis ornati incedebant. Milites qui currum præcedebant, quique sequebantur, prædas titulosque ingentes præferebant, cum viginti elephantis, ac ducentis feris cuiuscumque generis Orientalibus atque Africis. Præcedebat item magna multitudo captiuorum Barbarorum; cuiusmodi erant Persæ, Arabes, Gothi, Alani, Sarmatæ, Franci, Germani, &c. atque omnes manibus ibant in tergo reuinctis. Non multo tempore pòst à militibus Aurelianus interemptus est: Imperiumque septem mensibus sine Imperatore aliquo fuit.

LI.

SVBLIMIVS EST REGERE ALIQVAM ITALIÆ PARTEM QVAM TRANS ALPES REGNARE.



Cùm Imperium v. annis & vi. mensibus gubernasset, atque ab omnibus Tyrannis vindicasset, occisus est.

NNO à CHRISTO nato ducenteſimo octuageſimo primo, ab Vrbe autem conditâ milleſimo trigeſimo ſecundo, milites Imperatorem creare nolebant, omnemque electionem ad Senatum referebant. Indignum quippe rati, ex iis, qui Principem adeò inſignem trucidaſſent, Imperatorem facere. Sed nec Senatus volebat, ſciens lectos à ſe Principes militibus non placere, remque ideò ad milites referebant: atque hi rurſum ad illos; qui item, cùm recuſabant, ad milites rurſum referebant. Tum tertiò milites reſcribebant, nolle ſe ex eorum numero qui tam indignè cum Principe ſuo Dominoque egerunt, Imperatorem pati, nedum legere, obſecrantes vt ex ſuo Ordine Senatus eâ prudentiâ ac ſapientiâ, quâ ſemper præditus fuit, Auguſtum legeret: eam nempe ſuam eſſe ſententiam ac voluntatem. Tandem inter Senatores quiſpiam exſurgens ita infit: *Exercitus ſine Imperatore aut Principe, rectè diutiùs ſtare non poteſt: quare deligendum aliquem eſſe ipſa cogit neceſsitas. Germani enim, Franci ac Gothi, limitem trans Rhenum rupiſſe dicuntur, Vrbes validas ac potentes occupaſſe, Romanos nobiles interfeciſſe, Prouincias cædibus, direptionibus atque incendiis euertiſſe.* Atque ita Senatus communibus ſuffragiis deligebat M. CLAVDIVM TACITVM, virum ex Senatorio ordine ob virtutem Reipublicæ planè idoneum. Erat item homo magnâ vitæ temperantiâ, ætate prouectâ, atque in conſiliis ſanè prudentiſſimus. Et cùm iam ſenectutem ſuam excuſaret, Senatus reſpondit, ipſum ſe Imperatorem, non militem facere; eius animum, non corpus eligere, vt ſaltem iubeat, ac milites pugnent. Deinde ad Senatum verſus, auream ſtatuam Aureliano ponendam petiit; vtque Aurelianum omnes pictum in ædibus haberent, inter Deos connumerarent, legesque ac ſtatuta eius confirmarent atque approbarent. Cùm ergo omnia iſta facilè impetraſſet, Imperium, quod iam ſeptem totis menſibus Principem non habuerat, auctoritate Senatus, Equeſtris ordinis Populique Romani, ſuſcepit. Vniuerſum patrimonium in milites erogauit, petens, vt Aureliani leges militares etiam approbarent, quæ erant huiuſmodi: *Vis tribunus eſſe? imò vis viuere? manus militum contine. Alter alterum ne opprimat, confodiat, interficiat aut capiat. Vuam nullus auferat, ſegetémve conterat. Oleum, ſal, lignum alterius nemo exigat. Quiſque ſtipendio ſuo contentus viuat. De prædâ hoſtis, non de lacrymis prouincialium milites diteſcant. Arma terſa ſint, ferramenta ſamiata, calceamenta fortia. Veſtis noua veſtem excludat veterem. Stipendium in baltheo quiſque, non in popinâ habeat. Torquem brachialem & annulum ſeponat. Equum ſagmarium aut grauem nullus habeat. Alter alteri quaſi ſeruus obſequatur. A medicis quiſque gratis curetur. Aruſpicibus nihil dent. In hoſpitijs caſtè ſe habeant. Qui litem fecerit, vapulet*, &c. Deinde illos diligentiſſimè inquiſiuit, qui Aureliani mortis aut re aut conſilio forent conſcij. Inuentus igitur Mneſtheus quidam Principis demortui Cancellarius, qui dictitaſſet, Aurelianum quoſdam totius exercitus nobiliſſimos occiſurum; quo tantum quidem effecerat, vt Aurelianum interfecerint. Atque ob hanc cauſſam poſteà Mneſtheus hic ad ſtipitem ſurrectus, beſtiis obiectus eſt. Interfectis igitur Aureliani percuſſoribus, Tacitus ſeſe ad Imperium deinceps propagandum tuendumque parans, etiam à ſuis militibus, quemadmodum eius præceſſores, tandem interemptus eſt.

LII.

MALVS QVI SVA CAVSSA BONVS.



Poſtquam Imperium VI. menſibus adminiſtraſſet, immeritò à militibus interfectus eſt.



ANNIVS FLORIANVS statim poſt mortem fratris ſui Taciti Imperium arripuit, quaſi hereditarium fuiſſet: quamquam ſciret Tacitum fratrem in Senatu adiuratum, cùm in extremis ageret, vt nec fratrem nec liberos, ſed optimum aliquem Principem faceret, qui Reipublicæ Romanæ vtilis eſſet, ac Senatui placeret. Suſcipiebant autem hunc milites, volebantque experiri, ſi quid ſecùs ac rati eſſent ageret, viam facilè ſcire quâ vti ceteros è medio ipſum tollant; ſin probus, vtilis atque idoneus foret ac placeret, non alium petere. Verùm vbi conſideraſſent, in multis ipſum fratri eſſe haud diſſimilem, niſi quòd Imperium paullò auidiùs affectaſſet, nimis quàm ſtrenuus iis videbatur, cogitabantque iam quâ ratione hominem interficerent. Florianus autem ſeſe ſemper in medio corporis ſui cuſtodum continebat, qui vt plurimùm Germani erant. Igitur cùm milites ſe fruſtrà in eo necandi occaſionem quærere animaduertebant, ſublatâ conclamatione Probum è Sirmio Pannoniæ oriundum Imperatorem properè legebant, vt electionem Senatus citò præuerterent, quòd Senatui ac Tacito eam tradidiſſent. Acclamatum erat ab omnibus militibus: Probe Auguſte, dij te ſeruent. Probus facilè nouerat militum mores ac tyrannidem: quamobrem ſe excuſare exemplo cœpit, ac dicere ſæpiùs, non benè eos ſecum agere, ſe militibus haudquaquam expedire; idque ideò, quòd iis blandiri non nouerat. Sed nequidquam hæc omnia: ipſum ſolum cupiebant, ac miris laudibus efferebant. Quod vt Floriano nuntiatum eſſet, tantus ipſum metus extemplò inuaſit, tantumque crudelitatem militum metuit, vt ſolutis ſibi venis animam ſimul cum ſanguine effuderit. Geſtum autem id eſt in Ponto, eo in loco vbi Tacitus necem fratris viderat. Eò enim Tacitus exercitum ſuum duxerat eo animo, vt interim Gothos profligaret, dum eorum milites optimi quique cum Germanis ac Francis in Galliâ eſſent. Tradunt aliqui, milites Florianum adhuc viuum offendiſſe, ipſumque ſuis gladiis interfeciſſe. Probus confeſtim ad Senatum Populumque Romanum iſtiuſmodi litteras dedit, vt iis in Concordiæ Templo lectis, ab omnibus acclamatum ſit: Probus Auguſtus ſemper viuat, feliciter imperet. multoſque ei titulos, nomina & honores attribuerint. Quæ quidem omnia & Senatus confirmauit: tantumque lætitiæ Romæ quantum in exercitu fuit. Hinc omnis triſtitia in gaudium verſa eſt: luxerant enim iam anteà Aurelianum, ac deinde Tacitum & Florianum.

LIII.

QVI VNI FACIT INIVRIAM, MVLTIS MINATVR.



In Imperio vixit II. mensibus & XX. diebus: cùm autem dubitaret quòd regno deponeretur, sibi ipse manum intulit.

PROBVS pollicebatur Romanis sæculum planè aureum absque bellis aliquibus, nec milites ampliùs fore necessarios dicebat, quòd breuî vniuersum orbem Imperio Romano subiicere decreuisset: nullus deinceps mereret stipendia; quin aratro potiùs posthac vtendum foret, pascenda pecora, equi, boues, aliaque id genus armenta; agri colendi serendique: mortales haud immeritò exultare inquiebat, ob felicia illa tempora, quæ iam adfore promittebat. Atque hoc quidem pacto Probus Imperium adeptus est anno CHRISTI ducentesimo octuagesimo secundo. Iam verò Germani, Franci & Gothi, post mortem Aureliani occupabant Galliam: aduersus quos Romanus Imperator Probus cum omni exercitu proficiscebatur, vt eam recuperaret; atque ex Barbaris istis fudit propè quadringenta millia, ciuitates recepit sexaginta: Reges nouem ad pedes eius supplices stratique iacebant, seruitium perpetuum offerebant, atque illi vectigal pendere obsequiumq; præstare pollicebantur. Hinc in Germaniam inferiorem profectus, ad Francos venit, eosque multo sanguine expugnauit. Hinc rursum in superiorem iter flexit Germaniam, ac Cheruscos sibi armis subegit. Post hæc verò Illyricum petijt, vbi tantum Sarmatas ceterasque gentes, quæ sese hostes illi præbebant, in Thraciam vsque contudit, vt ne hiscere quidem auderent. Domuit item Gothos; ac Saturninum, qui Orientis Imperium Byzantij arripuerat, Marte aperto occidit. Intereà sese Proculus ac Bonosus Imperatores prope Agrippinam fecerant, omnèmque sibi Hispaniam, Galliam Braccatam ac Britanniam subegerant. Verùm cùm Germanos ad auxilium rogassent, nec ab iis impetrare, quod peterent, potuissent, à Probo vterque interfectus est. Atque vt rem paucis complectar, sic Probus hic pacem vniuerso terrarum Orbi restituit, vt iam nemo aduersus Imperium Romanum vel mutire auderet: ac passim vulgò ferebatur, *Mures rebelles nullum audire.* Tum & exercitus palàm dictitabat, etiamsi illi Probi nomen non fuisset, saltem cognomen adipisci potuisse; vtpote qui verè erat probus, nec frustrà illi nomen Probi inditum esset. Hoc illud erat sæculum, quod Romanis Probus promiserat. Cùm iam inuictissimum hunc Imperatorem Romam reuersurum vbique nuntiaretur, tantâ vniuersus populus per Italiam lætitiâ perfundebatur, vti omnes ouantem triumphantemque passim honorificè exceperint, fueritque sanè singulis perquam gratus. Vt ergo non longè ab Vrbe Româ abesset, obuiàm ipsi Senatus Populusque Romanus laureis sertis ac palmiferis ramis processit, altisque vocibus à cunctis acclamatum est: Probus viuat, Probus imperet iugiter. Ante currum suum triumphalem captos ducebat Germanos partim superiores, partim inferiores quingentos. Ponè sequebatur inuictus ille exercitus, infinitis spoliis onustus. Ducebat etiam secum ingentem ferarum cuiuscumque generis multitudinem, vt in Amphitheatro cum captiuis de vitâ concertarent. Et ad istum quidem modum Probus Romam ingressus est. Cumque spolia diuiderentur, turpis illi equus indecorusque sorte tantùm obtigit. At verò iam pace terrâ marique partâ, dicebat, minimè profectò conuenire, otiosum esse quemquam; nec decere, vt cuiquam gratis alimenta suppeditentur: iam tempus esse, quo milites in campis nulli futuri sint necessarij. Varias militibus permittebat regiones, easque in suâ cuique patriâ, vti vineas deinceps colerent. Adducebat item secum in patriam multa militum millia; quos circa oppidum natale Sirmium fodere, aggeremque conficere, iubebat. Cuius rei cùm iam tædium illos cepisset, Probum interemerunt. Debebant etenim Imperatorem habere sanguinarium, & qui præter bella ac cruorem nihil propemodum sitiret.

LIV.

ANNONAM GRATVITAM MILES COMEDERE NON DEBET.



Cùm Imperio magnâ cum laude VI. annis & IIII. mensibus præfuisset, indignè strangulatus est.

ARVS natione Gallus, Narbonæ genitus, ſtatim vt Probi mors Romæ eſſet nuntiata, à militibus in Prætorio Imperator Rom. creatus eſt, vt ſic in electione Senatum præuenirent ac præuerterent. Et tametſi quidem miles hic fuerat ſanè perquam ſtrenuus fortisque, (vt cui ob virtutem fortitudinemque inſignem Probus miſſis ad Senatum litteris ſtatuam collocandam iam antè cenſuerat) haud libens eum tamen Senatus ſuſcepit; idque ob Carinum eius filium, adoleſcentem omnium perditiſſimum, ſceleſtiſſimum, nequiſſimum, ac patri in omnibus planè contrarium. verebatur enim ne quaſi iure hereditario ſibi olim Imperium arriperet. Id autem ita geſtum eſt anno ab CHRISTI natiuitate ducenteſimo octuageſimo octauo. Vbi igitur primùm Carus hic Imperium accepiſſet, Romæ nuntiatum fuit, Perſas iam expeditionem paraſſe: quare liberis Cæſaribus nuncupatis, Carinum in Galliam cum viris lectiſſimis deſtinabat, ne Germani, Franci, Gothi, ac Barbaræ gentes aliæ, interim dum in Oriente abeſt, patriam opprimerent ſuam: proficiſcebaturque, ducto ſecum Numeriano altero filio, omni cum exercitu atque expeditione militari Orientem verſus, vti rebelles Perſas expugnaret. In itinere offendebat Sarmatas, qui morte Probi auditâ Imperio Romano deſciuerant, paſſimque Prouincias Romanas inuaſerant, ac miſerè deuaſtarant. Horum Carus vnico conflictu fudit propè quadraginta millia, cepitque immenſam multitudinem, quam ſecum duxit in Perſiam. Cùm iam Carus Perſas vi deuiciſſet, eorumque ciuitates præcipuas funditus euertiſſet, Meſopotamiam recuperaſſet, Parthos expuliſſet, atque omnes Orientales regiones Imperio Romano ſubieciſſet, caſtra prope Tigridem fluuium collocauit, vbi tanta illicò tonitrus ac fulminis tempeſtas exorta eſt, vt ipſa terra concuti planè videretur. Tandem Carus fulmine ictus interiit. Ita fieri ſolet, ſiquando regnum aliquod ſit interiturum: ita, inquam, primùm Duces, Principesque laudatiſſimi, qui iſtud tutarentur, vel manu diuinâ, vel enſe, vel fulmine è medio ſuſtolluntur. Imperium enim poſt mortem Probi, qui illud reſtaurarat, paullatim indies deficiebat: ac contrà Barbaræ nationes magis magiſque efficiebantur potentiores, maximè verò Germani, Franci & Gothi; quemadmodum ex ſequentibus conſtabit.

LV.

BONVS DVX BONVM REDDIT COMITEM.



Sæuâ morte abſumptus II. Regni ſui anno.


VMERIANVS ab militibus Pop. Rom. Imperator Augustuſque mortuo patre ſalutabatur. Quamquam enim Carinus natu maior eſſet, nimis tamen longè à militibus aberat. Id ita actum eſt anno poſt CHRISTVM natum ducenteſimo nonageſimo. Hic autem Numerianus vir fuit admodum doctus, Poëta haud vulgaris, & Orator adeò potens, adeò eloquens, vt omnes ſui temporis facilè ſuperauerit. Adeò, inquam, quocumque dicendi genere diſertus, vt Senatus illi ſtatuam in bibliotheca Vlpianâ ponendam decreuerit, cum inſcriptione huiuſcemodi: NVMERIANO CÆSARI ORATORI TEMPORIBVS SVIS POTENTISSIMO. Hic Antiochiæ Chriſtianorum templum ingredi volebat, vt eorum officia myſteriaque oculis notaret: Sed cùm id fieri Cyrillus Chriſtianorum Pontifex vetabat, dicebatque indignum eſſe, vt arcana cognoſceret diuina, poſteaquam ſacrificiis idolorum contaminatus eſſet; ita his accendebatur, vt enſe educto Cyrillum confoderit. Et quidem cùm iam exercitum victorem ex Aſiâ in Italiam Romam reduceret, oculis cœpit adeò laborare, vt occluſâ lecticâ ferri (ne aut aër, aut ſol, aut etiam puluis obeſſet) in itinere debuerit. Tum autem ſoceri ſui Apri induſtriâ clàm eſt interfectus, vt ſic ipſe Imperium inuaderet. Longè lateque per plurimos dies mortuum Numerianum vehebat, cumque à militibus de ſalute Imperatoris quæreretur, reſpondebat, optimè valere. Tandem deteſtabilis Apri factio (qui mortem Imperatoris tantiſper celare, donec Imperium adeptus foret, decreuerat) diutiùs latere non potuit, resque cadaueris fœtore prodita eſt: tum hic à militibus raptus comprehenſuſque, Diocletis manibus interfectus eſt: quem confeſtim milites ad Imperium ſubrogarunt, ac Diocletianum Latinè appellarunt. Iam verò Carinus in Galliâ etiamnum erat ſuperſtes: agebat iſtic ſecurè omnia pro animi ſui libitu, omnemque ſollicitudinem in Carauſij Tribuni ſui humeros imponebat. Hic cum ſuis copiis Bononiâ per Galliam Belgicam proficiſcebatur ad Mare Britannicum, vt illud à Francorum & Saxonum oppreſſione ac direptione tutum redderet. Et quantumuis Carauſius plurima ſæpè Francis ac Saxonibus abſtuliſſet, opesque pænè infinitas à captiuis corraſiſſet; nulla tamen ſpolia vel Romanis Imperatoribus vel Galliæ Præſidibus numerabat, ſed ſibi omnia retinebat. Ob quam equidem cauſſam in eam vulgi incidit ſuſpicionem, quaſi prudens ſciensque Francos & Saxones Gallicam regionem inuadere permitteret, vt ſpolium iis toties auferre, ſeque ita ditare poſſit, ac tandem Imperium adipiſci; quemadmodum res ipſa etiam poſteà comprobauit.

LVI.

QVOD VIDERI VIS, ESTO.



In Imperio II. annis patri auxiliatus, peremptus est.

ARINVS post patris ac fratris obitum è Cæsare factus est Augustus; quod iampridem Senatus summoperè timuerat. Scelestus enim hic bonis omnibus erat inuisus. Quamobrem illi pater, dum viueret, sæpiùs cogitauit Cæsaris nomen abrogare; fecissetq; vtique (vt Pomponius Lætus existimat) si non morte præuentus per fata minùs potuisset. Negabat item hunc aliquoties suum esse filium, statuebatq; ipsum occidere. Omnibus enim sese sceleribus nimis quàm turpiter inquinabat. Pater ipsum Galliæ, Hispaniæ, Britanniæ, Africæ, Illyriæ atq; Italiæ defensorem decreuerat; sed eâ lege, vti nihil faceret, nisi quod Senatus Romanus iuberet. Lusoribus, mimis, nebulonibus ac lenonibus suum implebat palatium, vt qui stuprator erat contaminatissimus, omnisque probitatis corruptor flagitiosissimus. Plurimos ex optimis quibusque, quos nonnihil verebatur, fictis criminibus partim occidit, partim in exsilium misit: & qui illi maximè fauebant, optimeque consulebant, eos turpiter aulâ exegit, & in eorumdem locum nebulones atq; improbos quosque substituit. Litteras ad Senatum dabat superbas: omnes matronas nobiles vitiabat; & si qui hinc toruè ipsum intuebantur, his minitabatur mortem. Vxores simul ducebat nouem; atque ex his si quæ prægnans esset, à se repellebat. Denique bestia erat adeò crudelis, adeò ferox, adeoque vitiis enormibus infecta, vt cunctis passim horrori esset mortalibus. Nec Prouincias verò indefensas solùm relinquebat, sed Carausium etiam constituebat, qui Francos, Saxones, aliasque nationes Barbaras ad se quasi in prædam alliceret. Ceterùm vt Sabinus Iulianus Imperium inuadere conabatur, hunc contra Carinus omni vi in Italiam proficiscebatur, atque in campis Veronensibus occidebat. Non multo tempore pòst Tribuni sui cuiusdam dexterâ (cuius coniugem dicebatur polluisse) trucidatus est. Intereà dum res in Galliâ atque Italiâ agebantur, milites Orientales post Numeriani obitum multùm diuque in campis consultabant, atque ad extremum (quamquam Carinus adhuc in Galliâ viueret, vt suprà dictum est) Diocletem Imperatorem faciebant, Augustumque appellabant. Qui quidem simul ac Imperium suscepisset, nomen suum Græcum in Latinum mutauit, atque ex Dioclete fecit Diocletianum. Operæpretium autem est, adeoque necessarium ob mutationem Principum, & quòd Augustorum & Cæsarum nomina inter sese commiscebuntur, annorum seriem hoc in loco recensere, vt alterum ab altero faciliùs dignoscamus. Anno CHRISTI CCXC. DIOCLETIANVS Imperator factus est. Anno CCXCI. Diocletianus MAXIMIANVM Cæsarem nuncupauit. Anno CCXCV. Diocletianus MAXIMIANVM fecit Augustum. CONSTANTIVM verò hi ac GALERIVM MAXIMIANVM Cæsares nuncuparunt. Anno CCCIX. Diocletianus & Maximianus Imperij sceptra deposuerunt, CONSTANTINVMque & GALERIVM MAXIMIANVM crearunt Augustos. Tum Constantius filium suum CONSTANTINVM Cæsarem appellauit: itemque & Galerius Maximianus MAXIMINVM ac SEVERVM Cæsares nominauit. Anno CCCXI. CONSTANTINVS post mortem patris Augustus in eius locum successit. Anno CCCXII. MAXENTIVS sese Augustum Romæ nuncupauit. Tum Maximianus, qui Imperium paullò antè deseruerat, rursus regni sceptrum suscepit, ac Galerius LICINIVM Cæsarem fecit. Anno CCCXVI. fuêre simul Augusti quatuor, MAXENTIVS, MAXIMINVS, CONSTANTINVS, & LICINIVS. Anno denique CCCXXIII. Licinius M. MARTINIANVM Cæsarem nuncupauit. Atque ita tandem Constantinus vnicus Monarcha effectus est.

LVII.

POPVLO CEDE, NE PARE.



Cum patre & fratre II. annis in Imperio ſedit, poſteà Auguſtus factus, gladio concidit.

DIOCLETIANVS Romanæ Monarchiæ Imperium suscepit anno post CHRISTVM natum ducentesimo nonagesimo. Ortus autem erat Salonis Dalmatiæ, vir diligens, probus, subtilis, acutus, modestus, in rebus ciuilibus ac militaribus iuxtà peritus, & qui consideratè omnia cum iudicio aggrediebatur. Cæsar quidem, vt dictum est, in castris post mortem Numeriani lectus erat à militibus, verùm Senatus ipsum post Carini obitum primò Augustum nuncupauit. Circa Principatus sui initia passim variæ oriebantur in vniuerso Orbe seditiones ac tumultus. Nam dum Carinus omni vi è Galliâ aduersus Sabinum Iulianum in Italiam proficiscebatur, noui in Galliâ deintegro inter rusticos, quos Bagaudas vocabant, motus exorti sunt, qui Amandum sibi atque Æmilianum Duces ac Tribunos constituerant. Tum Diocletianus sibi Maximianum militem fortissimum Cæsarem creabat, ablegabatque confestim cum omni copiâ in Galliam contra seditiosos factiososque rusticos. Intereà Carinus in Italiâ confoditur. Tum in Imperio Romano cuncta perturbari, ob multitudinem Tyrannorum qui passim exoriebantur. Carausius (qui Galliam Belgicam ab incursionibus Francorum & Saxonum tueretur) purpurâ indutus Britanniam inuadebat, Achilleus Ægyptum, Quinquegentiani Africam, Narseus Persarum Rex Orientales passim regiones quatiebat. Eâdem hac tempestate Maximianus in Galliâ factiosos illos Bagaudas fudit deleuitque; atque inde insigniter triumphans reuersus est. Tum illum sibi Diocletianus faciebat Augustum. Facilè enim animaduertebat, istiusmodi motus per vnum aut alterum sedari vix posse. Ob quam rationem legebat Maximianum, vt pari iure se iuxta imperaret. Duo hi æquali potestate imperantes, appellabantur Augusti. Hi autem Augusti & alios duos sibi legebant, non quidem vt eiusdem secum essent potestatis, sed tamquam Imperij successores, quos non Augustos, sed Cæsares appellabant. Diocletianus Galerium Maximianum Cæsarem faciebat, Maximianus verò Constantium. Confestim inter sese Regna ac Prouincias partiebantur, quò quisque pugnaturus proficisceretur. Diocletianus Ægyptum sibi capiebat, seque cum omni exercitu ratibus committebat, atque in Ægyptum per mare Mediterraneum traijciebat. Hîc Achilleum Alexandriæ, quam octauo mense expugnabat, obsessum trucidabat, ciuitatemque (quæ ceteras Africæ vrbes opibus facilè superabat) militibus spoliandam dabat. Denique breuî vniuersam Ægyptum in pristinum statum restituit, magnâque potitus victoriâ in Italiam redijt; ac mira deinceps Romæ perficere occœpit, vt in sequentibus dicetur latiùs.

LVIII.

NIHIL DIFFICILIVS QVAM BENE IMPERARE.



Post XIX. annos Imperio cessit, multosque Regno præfecit. LXXIII. ætatis anno seipsum interfecit.

MAXIMIANVS Hungarus erat, naturâ ferus, incompositus, stolidus, ardens libidine, parentibus operariis atque agrestibus ortus. Haud enim longè à Sirmio pater eius in campis opera exercuit mercenaria. Huic Africa obtigerat, vti Quinquegentianos domaret. Atque ita quidem hic (quemadmodum in Ægyptum Diocletianus) cum omnibus copiis traiecit in Africam. In hoc autem bello Maximianus incredibili victoriâ Reges quinque deuicit, qui inter sese appellabantur Germani. Hîc tantam Quinquegentianorum fudit multitudinem, vti nullus ei resistere amplius potuerit; redijtq; item (vt Diocletianus) Romam insigniter triumphans; vbi pari iure Imperium pacificè administrarunt. Diocletianus se Iouium, ac Maximianus Herculeum, tamquam Iouis filium, sese appellabat. Intereà dum ambo Cæsares circa exteras regiones erant occupati, nempe Constantius circa Occidentem aduersus Gallos & Francos, Galerius verò Maximianus circa Orientē contra Persas; cœperunt Augusti inter sese consultare, quemadmodum cum Christianis ageretur. Nam de religione dissentientes opiniones diutiùs ferre minimè volebāt. Huic rei non leuem occasionem præbebat hæreticus ille Manes temporibus Felicis summi Christianorū Pontificis. Hic Manes se Christum asserebat verumq; Messiam, atq; eò planè efferebatur, vti duodecim etiam Apostolos selegerit, quos in vniuersum orbē ablegabat, vti cunctos mortales ad suam fidem raperent. Varias, peruersas, impias, ineptas insulsasq; diuersorum hæreticorum collegerat opiniones, quibus venenum suum ita latè effundebat, vt hinc Manichęorum secta originem suam duxerit. Rerum omnium duo statuebat principia, alterum quidem bonum, omnis videlicet boni ac lucis; alterum verò malum, totius nimirum mali ac tenebrarum: & quidquid sub aspectum nostrū cadere possit, id omne à malo Deo fuisse conditum; à bono autem Deo quod oculis cernere non possumus. Statuebat item Deum lumen esse amoris corporeum: diabolum à se principium sumpsisse, atque à Deo minimè fuisse creatum, sed naturam & οὐσίαν esse mali, vt Deus est natura atque essentia boni. Prætereà mundum diaboli esse opificium, quemadmodum etiam ad eumdem humani generis creationem referebat. Hinc enim matrimonium ex diabolo prouenisse aiebat, infantesq; ab eodem in matribus procreari, nec coniugatos fore resurrecturos. His ille rationibus matrimonia prorsus contemnebat. Tandem etiam ignominiosè impieque in Deiparam virginem MARIAM bacchatus est, vanum esse phantasma inquiens, asserere CHRISTVM ex MARIA natum: haud enim credi posse tantam Maiestatem eò se humiliasse, vt in hominis corpus descenderet. Affirmabat item CHRISTVM non verum fuisse hominem, sed corpus quoddam imaginarium humanis oculis apparuisse. Huiusmodi articulos collegerat aduersus Christianos quinquaginta, qui Augustino atq; Hieronymo plurimùm fecerunt negotij. In quantam calamitatem miseriamque hæreticus hic Christianos protraxerit, mox audies.

LIX.

SATIVS EST MORI, QVAM PRIVATVS VIVERE.



Hunc Diocletianus Cæsarem, pòst anno IIII. Augustum secum constituit; anno XV. vterque Imperio cessit. ætatis anno LX. suspendio perijt.

ONSTANTIVS Cæſar in Galliâ cum exercitu ſuo agebat in caſtris apud Lingones, vbi primùm quidem ab Francis Germaniſque tanto impetu opprimebatur, vt ſeſe in fugam cum ſuis vertere debuerit. Ad propinquam vrbem feſſus ſe properè conferebat, cuius portæ hoſtili metu occluſæ fuerant: & niſi ab incolis agnitus demiſſo fune per muros ſublatus fuiſſet, eum haud dubiè inſequentes hoſtes captiuum abduxiſſent. In vrbe hortabatur ſuos, qui eò antè confugerant, ne talem ignominiam paterentur, ſuum honorem defenderent, ac ſe à Francorum Germanorumque iniuriâ vindicarent. Concionabatur etiam ciuibus, qui ſumptis armis victis Romanis auxilium præſtabant. Itaque apertis portis irati in hoſtes irruperunt. Mox fortunâ ad Conſtantium verſâ, Germani ac Franci ſuperabantur, in fugam vertebantur, & propè ſexaginta millia cædebantur. Atque ita Conſtantius vno die aduerſam & ſecundam fortunam expertus eſt, adeò vt hac inſigni victoriâ tota Gallia pacata fuerit, potentiaque Francorum plurimùm arctata. Sic & Carauſius, qui aduerſus Conſtantium fuerat deſtinatus, ab Alecto ſocio ſuo clàm interficiebatur, cùm iam ſeptennio tyrannidem exercuiſſet. Hinc tandem Conſtantius in Britanniam delatus, totam inſulam ſuo Imperio recuperauit. Vxorem duxit Helenam captiui Regis filiam, repudiatâ priore coniuge Theodorâ Maximiani nouercâ, ex quâ tamen nonnullos ſuſceperat liberos. Tantæ erat clementiæ ac modeſtiæ, vt à Britannis & Gallis plurimùm fuerit adamatus. Sub hæc tempora Franci à Sueuis Mœno fluuio, qui prope Moguntiam Rhenum influit, diuiſi fuere: nomenque Alemani tum primò cœptum eſt, Sueuiſque propriè attributum. Ita enim ab inferioribus Germanis vt plurimùm ſunt appellati; atque hi contrà ab illis Germani, exceptâ Francorum Regione, cuius capitalis ciuitas Herbipolis eſt. Hac etiam tempeſtate Alemani cum Saxonibus vicinis ſuis fœdus concordiamque inibant, ac Diocletianus ſimulque Maximianus Romæ in ſummo habebantur honore. Diocletianus gladium ſuum, veſtes calceamentaq; gemmis exornabat, ſeque vt Deum adorari iubebat. Sed eam gratiam apud Romanos haudquaquam promeruerat. Nam præterquam quòd inciuilis planè erat ingenij, naturâ etiam erat ferus, crudelis, aſperitatem ſuam etiam vultus horrore ſignificans, inuidus, libidine ardens, ambitioſus atque in conſiliis ſtolidus. Coniugem duxerat Eutropiam è Syriâ oriundam, ex quâ Maxentium filium ac Fauſtam filiam ſuam ſuſcepit, quæ Conſtantino huius Conſtantij filio poſteà nupſit.

L X.

VIRTVS EXERCETVR, NON PERIT.



In Cæſarem à duobus Auguſtis creatus, ac XIIII. anno
pòſt vbi Imperio cedunt, Auguſtus factus,
II. poſteà anno naturæ conceſſit.

Q

ALERIVM VALERIVM MAXIMIANVM alterum Cæſarem Dacia nobis parentibus agrariis genitum dabat, vt qui cum patre inter ruſticos armentorum fuerat paſtor. Hic autem ad bellum ſe etiam quàm inſtructiſſimè parabat. Erat ſiquidem corpore pulcher, bellatorque ſanè felix atque eximius. Commiſſum igitur huic erat bellum (vt dictum eſt) Orientale contra Perſarum Regem Narſeum. Ac duobus quidem præliis feliciter habitis, tandem inter Gallicinum Carraſque congreſſus, ſuperatus eſt. Eâ fortè tempeſtate Diocletianus Auguſtus in Orientem Meſopotamiam conceſſerat, ad quem victi Galerij milites confugerunt. Tantaque ab ipſo Galerius inſolentiâ exceptus eſt, vt ad Principis vehiculum aliquoties pedes cucurriſſe tradatur. Quæ quidem ignominia Galerium ad alteram expeditionem adeò excitauit, vti arma rurſus contra Perſas ceperit, nouiſque contractis copiis eos tandem deuicerit. Cùm iam cuncta tranquilla pacataque forent, Diocletianus Maximianuſque Chriſtianorum perſecutioné, hic in Occidente, ille in Oriente, adeò procurarunt, vt perſecutiones alias ſuperiores facilè ſuperauerint. Dici etenim vix poteſt, quanta quotidie hominum multitudo in diuerſis Prouinciis fuerit interempta, idque annis decem continuis. Numquam Chriſtiana reſpublica adeò fuit contriſtata, adeoque pænè radicitus exſtirpata. Conſtat vno menſe variis inauditiſque cruciatibus fuiſſe interfecta circiter ſeptemdecim millia. Cuncta paſſim Chriſtianorum templa funditus euertebantur. Prætereà & libri Noui ac Veteris Inſtrumenti cum aliis Chriſtianorum libellis variis comburebantur. Oppidum quoddam Phrygiæ cum vniuerſis mortalibus incendio prorſum abſumebatur, quòd idolis ſacrificare ciues recuſabant. Sub id autem temporis Nicomediæ regium exurebatur palatium: & cùm falsâ ſuſpicione captus Diocletianus, fraude Chriſtianorum incendium paratũ fuiſſe putaret, infinitos Chriſtianos in flammam viuos conijci iubebat. In Palæſtinâ multi beſtijs obiecti fuêre; nec vllum tormenti genus potuit excogitari, quo non Chriſtiani afficiebantur. Nonnullis ſub vnguibus aſperas infixêre ſpinas; atque id quidem cùm feminis, tum puellis etiam teneris. Quin & eadem in occultis pudendiſque corporis partibus horrendè perpetrarunt. Alijs item candenti ferro oculi effodiebantur. Hæc perſecutio etiam trans Oceanum in Angliam ſerpſit, multoſque iſtic trucidauit. Pari ratione & in Africâ atque Ægypto geſtum eſt. Ita enim inquit Euſebius: *Equidem ipſe meis vidi oculis innumeros in Aegypto mortales ſupplicio affectos fuiſſe, quorum alter alterum præcedere optabat; erantque omnes non aliter affecti, atque ſi ducerentur ad quoddam tripudium.* Diocletianus itaque humani cruoris ſatur ita ad Maximianum ſcripſit: Sibi viſum fuiſſe iſtiuſmodi opus committere alteri: ac quia iam ingraueſcente æuo parum ambo deinceps Imperio forent vſui, placere, commodiorem vitam agerent, ſtationemque tuendæ Reipublicæ viridioribus iunioribuſque mandarent. Cui ægrè quidem primò Maximianus obtemperauit: poſteà tamen naturæ ſuæ indulgens vterque, vno die Imperij inſignia, veſtes poteſtatemque vniuerſam depoſuit; ac Diocletianus quidem Nicomediæ, Maximianus verò Mediolani, Imperium Conſtantio ac Galerio committens, Auguſtoſque creans.

LXI.

SPONDE, NOXA PRÆSTO EST.



Duo Augusti hunc in Cæsarem elegerunt; XIIII. annis pòst, cùm illi regnare desierant, Augustus factus, sexto deinde anno crudelissimâ morte animam egit.

Maximinus, qui & ipſe perſecutionem contra Chriſtianos perquam ſedulò procurabat, Cæſar ab Galerio creatus eſt, Conſtantinuſque à patre Conſtantio. Proinde ita tum Imperium diuiſum fuit, vti Conſtantius Italiam, Britanniam atque Africam poſſideret; Galerius verò Illyrico, Aſiæ atque vniuerſo Orienti imperaret. Sed Conſtantius nomine ac dignitate Auguſti contentus, adminiſtrationem Africæ atque Italiæ recuſauit, præfuitque tantùm Galliæ ac Britanniæ, quam non ita pridem è Francorum & Germanorum manibus vindicauerat. Ad extremum etiam filio ſuo Galliam reliquit, atque ipſe conceſſit in Britanniam. Galerius igitur animaduertens Conſtantium reliquiſſe Italiam & Africam, duos ſibi adoptauit Cæſares, Seuerum & Maximinum: illum Italiæ & Africæ præfecit, hunc Orienti, vt & hinc Chriſtianos expelleret: atque ipſe Illyrico ſolus imperauit. Hîc Maximinus tam truculentè Chriſtianos inſecutus eſt, vt iam propè nulli in plateis conſpicerentur mortales. Certè templa cuncta, carceres, domus, penaria, ædiumque abdita Chriſtianis onerabantur. Cumque iam nullus locus vacuus reperiebatur, nec in quem eos ampliùs detruderent ac ſeruarent, ingens ſanè multitudo educta eſt ac beſtiis obiecta. Sacerdotes in ſpectaculum Orbis atque Angelorum diuerſis cruciatibus trucidabantur. Nullus herclè cædendi, laniandi ac fodiendi finis. Tortores iuſſit pro ferreis dentibus ollarum ac vitrorum fruſtis carnem cutemque Chriſtianorum ita laniare, ita lacerare ac rapere, vt integri nihil in iis remanſerit. Feminas penitus denudabant, vt pudenda facilè conſpicerentur. Præterea & gladiis ſuis atque haſtis eas, altero pede circumiecto, alteroque capiti ſubiecto, alligabant, ac totis ita diebus ſuſpendebant. Nonnullas item eò pertrahebant, vbi arbores duæ prope ſe coniunctim excreuerant, quarum ſummitatibus depreſſis alterum pedem huic arbori, alterum alteri alligabant; vt cùm ſe arbores in altum reciperent, eas medias diſcerperent. Atque vbi Chriſtiani lubentes plenâ fiduciâ morti ſeſe manciparent, paululùm tyrannorum animi fuêre commoti, nec minùs tamen ſeuerè cum iis egerunt. Magna item in Ægypto Chriſtianis adhibebantur tormenta. Nonnulli enim poſtquam virgis cæſi fuiſſent, aut comburebantur, aut capite obtruncabantur, aut ſubmergebantur, aut etiam fame enecabantur. Alexandriæ actum ſanè eſt turpiſſimè: quibuſdam enim aures, nares, manus membraque cetera præcidebantur, atque ita dimittebantur. Antiochiæ craticulis impoſiti viui carbonibus aſſabantur. Duo erant adoleſcentes nobiles, quos, vti Diis ſacrificarent, cogebant. Illi autem reſpondebant: Ducite nos ad aram. quò cùm duxiſſent, manum vterque ſuam in ardentem flammam extendebant, atque inquiebant: Tum nos ſacrificaſſe credite, cùm hinc manus extraxerimus. Atque ita manus in igne continentes immoti perſtiterunt. Ad iſtum igitur modum Maximinus in Oriente ſæuijt. Sed huius rabies multum boni Chriſtianis præſtitit; tantum abeſt, vt detrimenti quidpiam adtulerit. Nam virtute ac conſtantiâ, quâ in perferendis cruciatibus præditi erant, magis magiſque celebres ac glorioſi reddebantur.

LXII.

MISERA FORTVNA QVÆ CARET INIMICO.



Galerius Maximianus hunc Cæſarem creauit; duobus annis pòſt aſſumpto Auguſti nomine horribili morte interijt.

SEVERVS, cui in Italiâ persecutio commissa erat, se etiam Christianorum sanguine contaminauit ac miserè cruentauit. Nam in iis etiam regionibus varia tormentorum genera, nunc hæc, nunc illa recenter excogitata proferebantur. Atque inprimis quidem à capite ad pedes vsque miserè excoriabantur. Dein verò bestiis obiiciebantur, quas igne aliisq; modis ad insaniam & furorem anteà prouocarant. Vsqueadeò sese mortales, bestiæ atque elementa aduersus miseros Christianos obarmabant. Cumque ita eos excoriassent, atque in arenâ posuissent, feras in caueis suis antè ad iram ac rabiem concitatas emittebant, vt in Christianos impetum facerent & sæuirent, qui eas læti exspectabant. Et id quidem ita multis in locis multis annis continuatum est; tantâ etiam multitudine, vt sæpè illis dies priùs defecerit, quàm sua potuerint explere tormenta. Quæ tamen omnia nec vir, nec femina, nec etiam puer vmquam expauescebat: sed id potiùs quisque metuebat, ne non breuitate diei impeditus, maturè satis Martyrum catalogo posset inscribi. Atque ita constantiâ quadam fidei præsentem mortem tamquam melioris vitæ principium ouantes exoptabant; nec alter alterius cruciatibus ac morte languescebat, sed vniuersi Domino psalmos atque hymnos diuersis vocibus mortem exspectantes decantabant. Galerius item in Illyrico suo cum exercitu indigna incredibiliaque perficiebat tormenta. In Ponto plerisque plumbum liquefactum in dorsa effusum est: plerisque item in eas corporis partes, quas natura tegi voluit. Feminarum puellarumque pudendis candentia ferra intulerunt. Dici herclè non potest, quantis Ethnici Christianos affecerint cruciatibus; quos illi perstrenuè læti ac lubentes etiam obierunt, superaruntque. Cùm igitur iudices quasi suâ tyrannide essent saturati, animaduerterentque ciuitates suis orbari ciuibus, parentes liberis, ac liberos parentibus, agrique essent absque cultoribus, ita edictum paullò mitigarunt: *Posteaquam indignum est tot passim ciues suis sententiis immorientes trucidari, decreuimus iis parcere: ac si qui eius opinionis deinceps deprehendantur, his dexter oculus effodietur, notaque perpetua genu sinistro & candenti ferro inuretur, atque ita deinde passim per omnes prouincias in metalla lapidesque damnabuntur.* Intereà Romæ Prætoriani per seditionem Maxentium Maximiani filium Augustum crearunt. Quod cùm Maximianus intellexisset, spem cepit repetendi Imperium, quod Diocletiano auctore inuitus deposuerat, incredibilem: propereque Lucaniâ Romam petijt. Diocletianum item litteris admonuit, vti relictum Imperium rursus assumeret. Sed huic ille acquiescere omnino noluit. Galerius autem aduersus Maxentium ingenti cum exercitu Seuerum misit: qui vbi ad vrbem citò venisset, ipsam fortiter obsedit. Sed milites ipsum illicò deseruerunt; ac Maxentio, instinctu equitum, quorum fraude erat proditus, sese tradiderunt. Quod vt Seuerus animaduertit, in Illyricum fugere conatus, ab iis in itinere apud Rauennam occisus est, quos ipsum insecuturos miserat Maxentius.

LXIII.

QVANTO MAGIS RESISTITVR, TANTO MAGIS ADDISCITVR: CHRISTIANORVM SANGVIS, CHRISTIANORVM SEMEN.



Galerius hunc cum Maximino Cæſarem fecit, nec multò pòſt interfectus eſt.


AXENTIVS postquam ita per seditionem Imperium fuisset adeptus, conatus est hunc suum filium Maximianus (quòd erant inter se diuisi exercitus) Imperio priuare. Sed cùm id milites indignati ferre minimè vellent, illicò concessit in Galliam, falsò se conquerens à filio pulsum, vt ad generum suum Constantinum ita commodè veniret, ipsiq; clanculum insidias (id enim quærebat) pararet, ac Regnum inuaderet, qui iam placidè in Galliis tranquilleque imperitabat, plurimumque à ciuibus ac militibus diligebatur. Re igitur per filiam suam Faustam apertâ, ac marito indicatâ, properè Maximianus discessit. Verùm Constantinus ipsum secutus, Massiliæ captum laqueo strangulauit. Sub hæc tempora Constantius pater Constantini Eboraci in fata concessit. Tum Constantinus è Cæsare factus est Augustus. Iam verò Maxentius omnem Romæ perimebat honestatem, Romanis per vim suas abripiebat coniuges, multasque matronas in aulam accersebat, vt cum iis libidinem expleret suam. Contigit, vt cùm Sophronia vrbis præfecti coniunx per libidinum ministros ad ipsum accersita sollicitaretur, ægerrimè id tulerit, ac marito rem lacrymis aperuerit: qui graues ex imo pectore educens gemitus, tandem hoc saltem respondebat: Quid facias? aut obsequendum homini, aut moriendum. Matrona autem vt considerabat maritum metu mortis ad stuprum conniuere, ac planè in dubio esse, rem secum penitiùs perpendens, à lenonibus præstolantibus ornandi tempus flagitabat. Ingressa ergo cubiculum sibi manus inijciebat, malens ita Deo pudicitiam suam offerre, ac mori, quàm impudicè viuere. Prætereà etiam tempore quodã suis Maxentius præcipiebat, vt per vniuersam vrbem discurrerent, confoderent quoscumque Senatores in plateis offenderent: quorum plurimos occiderunt ac disturbarunt, falsâ moti ratione ac testimonio. Tantus item Magus erat, vt multas mulieres grauidas in suis cruentis sacrificiis iusserit super aram cacodæmonis aperiri & dissecari, quò infantes inde eximeret: quos itidem trucidauit, vt horribilẽ suum euentum ex iis prænosceret; atq; ex artubus illis tenellis, quos vita antè priuarat, vocem posteà in venis inquisiuit. Formosos etiam adolescentes cultro aperuit, atque ex eorum extis diuersa rimatus est vaticinia. Similes artes magicas etiam in Oriente Maximinus exercuit, qui Magis & id genus impostoribus certum quoque stipendium statuit. Magnam enim auguriis atque eius farinæ nugis ceteris fidem adhibebat. Verùm Christianis (qui istiusmodi planè contemnebant) tantò erat truculentior. Peruetusta templa renouauit, atque inibi iuxta veterem ritum Diis sacrificare statuit. Post mortem verò Seueri, Galerius cùm decennio Christianos, auxilio duorum Cæsarum Maximini ac Seueri, ab Diocletiani & Maximiani temporibus fuisset persecutus, in grauissimum incidit morbum, ita vt corpore putrefacto cuncti eius præsentiam abhorruerint. Multos Medicos, qui aut desperabant, aut fœtorem corporis, vnde vermes pullulabant, ferre minimè poterant, occidit. Virilia eius planè exedebantur. Creabat nihilominùs Cæsarem Licinium in Seueri locum, hostisque Maxentio vel ad mortem vsq; permanebat. Cepit tandem finem sanè horrendum. Nonnulli referunt ipsum finem haudquaquam exspectasse, sed sibi mortem consciuisse. Orosius autem ait, cùm à Medicis suis quispiam esset subornatus, qui illi dicere auderet, morbum istum Diuinam esse vindictam, eiq; remedia deesse; quòd decreta tum reuocauerit, quæ aduersus Christianos promulgarat, iubens insuper eos redire in patriam: cùm verò dolorẽ diutiùs perpeti haud poterat, quòd tum sibi manum ipse intulerit. Atq; hac quidem re Maxentius summopere gauisus fuit.

LXIIII.

PHRYGES NON NISI ICTI SAPIVNT.



Romanos adflixit IIII. annis, & in Tyberim submersus est.

ICINIVS statim post Galerij obitum sese Augustum nuncupabat; nec inuito id quidem Constantino, vt qui Constantiam ei sororem suam in coniugem dederat, pactumq; cum ipso aduersus tyrannos Maxentium & Maximinum inierat. Id autem Maximinus ægerrimè ferebat, quòd Licinius nempe (qui non ita pridem secum Cæsar fuisset effectus) iam cum alio conspiraret. Quare ad ciuile bellum sese parabat, appellabatq; etiam Augustum. Atque ita quidem Imperium Romanum eâ tempestate quatuor habuit Principes, Maxentium videlicet, Maximinum, Constantinum & Licinium: qui sese omnes Augustos nuncupabant; erantq; eiusdem potestatis, sed cum magnâ discordiâ. Nam dum in Oriente Maximinus ac Licinius ciuile bellum aduersus se mutuò mouerent, Senatus Romanus Constantinum è Galliis in Italiam accersiuit, vt patriæ suæ subsidio veniret, ipsamq; è tyrannide Maxentij vindicaret. Itaq; & Constantinus in Occidente ciuile bellum contra Maxentium parauit, eiusq; exercitum variis excursionibus oppressit. Nihilominùs Constantinus nonnihil Maxentium, quòd magicas exerceret artes, veritus est. Verùm, cùm multum diuq; dubitaret manus cum Maxentio conserere, etiamnum paganus spem tamen auxiliumq; à superis postulans, in somnis versus Orientem in aëre istiusmodi conspexit ☧ signum hisce Græcis litteris conspicuum; quod CHRISTI nomen exprimens, in ipsum ardenti fulgore irradiabat. Quo quidem visu territus, audire videbatur Angelum se in hæc verba alloquentem: Constantine, in hoc vinces. Atq; illicò signum istud in suis vexillis depingi curauit. Cumque iam ab Vrbe Româ Constantinus haud longè abesset, castraq; prope Tyberim ad Pontem Miluium fixisset, Maxentius haud multùm cunctatus, & suum contrà exercitum Vrbe expeditus educebat. Constantinus autem sibi præferri signum istud curabat, ita vt cùm iam manus vtrimque consererent, Maxentius magnâ strage victus sit. Quare ipse fugiens, in Tyberim vnà cum equo insiluit, submersusq; est. Tum Romani Vrbem egregiè expolierunt, ac Constantinum ingenti lætitiâ introduxerunt. Intereà verò Licinius in Orientem venit: aduersus quem vbi Maximinus exercitum educebat, inopinata ipsum tormina inuasere, quibus excruciatus in summam incidit desperationem. Huius Maximini malum ferè Galerij morbo simile fuit. Nullius cibi aut potus odoratum aut gustum ferebat. Quo quidem nomine cùm ex diutinâ abstinentiâ debilis languidusq; esset effectus, ita eius intestina in vlcera putruerunt, vt inter ipsum ac demortuum cadauer nullum pænè fuerit discrimen. Ex omnibus etenim corporis partibus vermes passim pullulabant; sanie putridâ fœtidaq; adeò diffluebat, vt nemo ei adesse posset. Atque hæc quidem purulentus ille patiebatur, vti iram Diuinam in se vltionemq; Christiani sanguinis certò cognosceret. Postremò dolore ac cruciatibus infinitis medullitus consumptus infeliciter periit. Licinius autem rerum successu etiam elatus, magnum inter se ac Constantinum excitabat dissidium; ortaque est inter ipsos (Regnum enim non fert duos) ingens discordia. Nam quemadmodum in initio Christianis fauere simulabat, sic posteà (cùm Constantino cuncta probè succedere animaduerteret) inuidiæ stimulis ita agitabatur, vt quasi Diis gratificaturus per suos ministros ac socios Constantinum clàm intercipere fuerit conatus. Quæ res cùm parum succederet; apertum bellum aggressus, Christianos truculenter crudeliterq; persecutus est. Verùm id Constantinus ægrè ferens, vt qui hactenus concordes imperauerant, Licinium sæpè obsecrauit, vti ab istiusmodi proposito desisteret. Sed Licinius in suâ perseuerans insaniâ, Christianos ceu bestias trucidabat, frustaque in mare proijciebat. Regiones nouis vectigalibus onerabat, matronas ac virgines constuprabat; ac breuiter, Maximino haud erat inferior. Tum Constantinus sese ad bellum parauit, profectusque est Orientem versus: vbi cùm primo conflictu apud Cibalas ad paludem Hiulcam ipsum in castra impetu facto oppressisset, Licinius fugâ elapsus properè Byzantium venit, & M. Martinianum istic Cæsarem fecit.

LXV.

SPADONES ET AVLICI SVNT TINEÆ ET SORICES PALATII: VIRVS AC PESTIS PVBLICA SVNT LITTERÆ.



Galerius Maximianus Cæſarem hunc loco Seueri ſubſtituit; & poſtquam cum Conſtantino XIII. annis regnaſſet, LX. ætatis anno interfectus eſt.



MARTINIANVS anteà Magiſter fuerat officiorum, cuius exigua ſanè apud Scriptores fit mentio. Verùm cùm pòſt Auguſtus etiam effectus ſit (teſtimonio quidem numiſmatum, quæ Antuerpiæ apud ſtudioſiſſimum virum antiquitatum Abrahamum Ortelium vidi) viſum fuit ipſum hoc in loco recenſere: quamquam apud Sex. Aurelium Victorem Cæſar dumtaxat ſit appellatus. Sed huius Victoris tantùm habemus Epitomen, quæ breuiter cuncta ac conciſè tradit. Tempus item edax rerum optimam librorum partem conſumpſit. Sic rabidi illi Barbari infenſiſſimi omnis eruditionis artiumq; hoſtes, ita rerum vniuerſa corruperunt, diſturbarunt ac penitus extinxerunt, vt iam multorum certa ratio reddi haud poſſit. Cùm iam ergo Licinius crebris terrâ mariq; pugnis ſæpè in fugam fuiſſet actus, poſtremò in Bithyniâ prope vrbem Nicomediam grauiſſimo conflictu ſuperatus, rurſum turpiter aufugit. Inſequebatur autem ipſum Conſtantinus, apprehenſumq; cogebat, vti Imperio decederet, veſteſq; & Imperiale diadema deponeret, ac per coniugem ſuam tranſmitteret. Tandem vbi hunc etiamnum Conſtantinus timeret, vt qui naturâ erat ambitioſus, crudelis, moræ omnis impatiens, artium ac doctrinæ planè inimicus (ſcientiam enim Reip. peſtem appellabat) ambos, Licinium nempe & Martinianum, Theſſaloniæ cepit atque interfecit; idque animo prorſus inuito. Siquidem Licinius haud incommodus ei fuerat: eius enim ſolius operâ ad Imperium peruenerat; multoſque tyrannos alios, vt erant Valens, Alexander, &c. qui Imperium in Aſiâ atque Africâ inuadere conabantur, interemerat, ac Chriſtianos tranquillitati in Oriente reſtituerat; eorumdem ſanguine ita probè in ipſis tyrannis vindicato, vt Diocletianus (omnis tyrannidis auctor) cùm ſententiam ac mentem huius Licinij animaduerteret, adeò inde horrere cœperit, vt ſibi manum intulerit, quamquam iam tum priuatus viueret. Namque ita planè quieti ſeſe dederat, vt Maximiano (cùm litteris ei perſuadere conabatur, vti Imperium depoſitum rurſus aſſumeret) reſponderit: Vtinam Dij concedant faxintq; videas Solonis hortos atque herbas, quas meâ manu ſeui, non iterùm me ad Imperium ſollicitares aut prouocares. Hîc quæſo Fortunæ ludum aliquantiſper conſiderate. Extollit ſuos è luto ad aſtra ſurſum, indeque eoſdem deprimit ac deiicit vel in ima maris. Hic enim Diocletianus emptitiis ſeruis genitus ad ſummum Imperij culmen adſcendit, ac deinde in nihilum propè vltrò redactus eſt. Reliquit tamen poſteris de ſe opus inſigne ac memoriâ haud indignum; thermas nempe, quæ infinitis ſumptibus fuere inſtar cuiuſdam oppidi extructæ: cui operi ac labori Chriſtiani multis annis deſtinabantur. In his loca quædam erant ad ſudorem prouocandum idonea, quæ ſalutaribus aquis, partim naturâ partim artificio calefactis, humectabant: eratq; Imperatoribus exercitium quotidianum in his ſeſe cum populo lauare. Æſtate iuuenes quidam ter, quidam quinquies aut ſepties ſeſe lauare interdiu ſolebant, hieme verò bis: atque in iis etiam noctu cœnarunt. Prætereà & feminas huc intromittebant, efficaciſſima luxuriæ ac libidinis prouocamenta. Horti hîc erant ampliſſimi, ambitus latiſſimi, in quibus ſcamna erant, vt in iis periti Oratores ac doctiſſimi quique variis de rebus diſputarent, præcipuè quæ ad eruditionem ſpectarent. Huic opificio adiunctum erat Theatrum, hoc eſt, domus in quâ varij ludi exhibebantur, & quò populus conueniebat, vti homines cum beſtiis pugnare commodè videret: eratque ſemicirculus gradibus extructus, ex quibus populus ſpectabat. Amphitheatrum enim vndique rotundum eſt, ita appellatum Græcè, quòd ludi in eo circumquaque ſpectentur. Etiam illud ſciendum eſt, eos qui cum beſtiis pugnabant, potiſſimùm fuiſſe Chriſtianos, qui cum hoſtibus in bello captis morti erant adiudicati. Nec verò putes pugiles hoſce inſtar globi beſtiis fuiſſe obiectos. Nihil herclè minus. Oportebat enim voluptatem ex dilaniatione diutinâ captare. Atque id quidem in hunc modum fiebat: Inprimis circuli pauimentum arenâ conſternebatur, quæ ſanguinem illicò imbiberet, ne pugiles eo inficerentur, aut populus ab iſtiuſmodi pugnis abhorreret. Deinde in theatrum pugiles ſeminudi inuehebantur vnico armati pugione: tum famelicæ beſtiæ antris emittebantur. Prætereà ſuauiter canere ac variis inſtrumentis muſicis ludere incipiebant, ne miſerorum lacrymis populus commoueretur. Adeò ethnici in humana viſcera ſæuierunt. De his plura in M. Iulio Philippo, pag.78 & mox in Conſtantino, pag.134.

LXVI.



Cùm vnà cum Licinio breui tempore Imperio præfuiſſet, ab Conſtantino occiſus eſt.

ONSTANTINVS Princeps ille celeberrimus, potentissimus, atque in bellis sanè felicissimus, ex Oriente versus Occidentem in Italiam reuersus, magnâ Pop. Rom. lætitiâ Romam deductus est, attributumq; sibi cognomen MAXIMI eodem illo die accepit. Gestum autem id est à CHRISTO nato anno trecentesimo vigesimo tertio, cùm iam antè cum aliis imperasset annis XIIII. ac modò solus Imperium (ceteris tyrannis interfectis) possideret. Nam quidquid hic animo concepisset, id etiam efficere omnino conabatur. Cùm enim ab initio sui Principatus ad quamdam Orbis Monarchiam adspiraret, eò omnes ingenij corporisq; vires tendebat, vti Deorum ministros ac defensores interimeret. Quamobrem in eius honorem Arcus Triumphalis constitutus est cum inscriptione istiusmodi:

IMP. CÆS. FL. CONSTANTINO MAX. P. F. AVGVSTO, S. P. Q. R. QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS MAGNITVDINE CVM EXERCITV SVO TAM DE TYRANNO, QVAM DE OMNI EIVS FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS REMPVBLICAM VLTVS EST ARMIS ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

Quibus etiam alibi additum erat, LIBERATORI VRBIS, FVNDATORI QVIETIS. Fuit autem vir planè probus, omni laude atque encomio omnium iudicio dignissimus, & quem meritò quis cum optimis quibusque potentissimisque conferat Principibus. Siue enim vires ingenij siue corporis respicias, in vtroque suprà quàm credi possit excelluit. Equestris gloriæ oppidò quàm erat auidus, in præliis fortunatus: honestas liberalesque artes semper quamplurimi faciens, iustitiæ æquitatisque obseruantissimus, & qui amari potiùs quàm timeri optabat. Clementiâ ac liberalitate omnium sibi fauorem beneuolentiamque comparabat, ita vt nullus ferè esset, qui non huic cuperet inseruire. Multas ferebat leges; & siquæ nimis erant duræ, eas mitigabat, superfluas item resecabat. Christianis pacem quietemq; concedebat. Tum Christiani animum recipere, & ad sese redire, plurimumque lætari cœperunt. Et cùm iam deinceps se totum Diuinis dabat institutis, edictum promulgauit, vti absq; Christianorum cædibus paganorum templa passim occluderentur. Ceterùm idola templis exigere necdum sanè audebat; idq; metu populi, qui etiamnum ea ex magnâ parte colebat. Vrbem Romam multis egregiisq; ædificiis plurimùm exornauit; etiam thermas suas fecit, vt paullò antè dictum est; sed non ita magnas, neque in eum finem, vt in iis tam sæua cruentaque ederentur spectacula. Nam istiusmodi theatra honestis etiam ludis, probis ac iuuenilibus erant vsui. In his Comici & Tragici poëtæ suas exhibebant fabulas: dumq; horum Comœdiæ, Tragœdiæ ac Poëmata agebantur, Senatus cum Imperatore in medio graduum considebat. Locus enim hic erat, ex quo optimè commodissimeque prospiciebatur. Hîc & Equites sua obtinebant loca. Gradus autem in semi hoc circulo, aut etiam rotundo, ita erant ordine collocati, vt qui in supremis agerent, ceteris viderentur magis proceri, nec nisi eminentia procul capita conspiciebantur. Atque ita insignes in iis exhibebantur ludi. Vt autem rem summatim perstringam, varia in hisce thermis delectamenta exercebantur. Ac præcipuæ quidem thermæ, quas Romæ habuerunt, sunt Antonini, Diocletiani & Constantini. Multæ prætereà aliæ Romæ habebantur, quas alij construxerant Imperatores, sed non ita magnæ ac sumptuosæ; vt erant Agrippæ, Neronis, Tatianæ, Traianæ, Seuerianæ, Philippianæ atque Olympiadis. Fuêre etiam thermæ aliæ multis impensis exstructæ, sed quæ ad nullum vsum prætereà alium erant idoneæ; cuiusmodi sunt Alexandri, Gordiani, Aureliani ac Nouatiani. Quid autem Constantinus antè egerit, & quemadmodum sedem Imperialem Byzantium (quam ciuitatem de se Constantinopolim appellauit) in Orientem transtulerit, in sequentibus, cùm ad eius liberos peruenerimus, deinceps dicemus. Huius enim temporibus multæ variæque rerum exortæ sunt permutationes; in quibus multa etiam memoratu digna incidere solent, quemadmodum eo in loco commodè dicetur, vbi à Pontifice summo Romana Monarchia rursum ex Oriente transferetur ad Germanos. Constantinus igitur ad postremum Cæsares creauit Crispum filium suum natu maximum, & Licinium interempti Licinij ac sororis suæ Constantiæ filium.

LXVII.

IMPERATOR NEMINI, NE SVIS QVIDEM PROPRIIS MEMBRIS, PARCERE DEBET, PVBLICÆ TRANQVILLITATIS CONSERVANDÆ CAVSSA.




Imperauit annis XXXI. vixit annis LXVI. Christianorum persecutionem abrogauit, idolorum templa clausit, Imperium in Orientem transtulit, tandem veneno extinctus.

IVLIVM CRISPVM ex Mineruinâ coniuge, siue concubinâ, susceperat Constantinus. Hic iuuenis erat adeò formosus, vt eius amore Fausta Constantini vxor capta fuerit: sed cùm ad libidinem sollicitanti renuisset, infensissimo odio eumdem est prosecuta. Constantinus extemplò vnà cùm filio ingenti exercitu aduersus Gothos profectus est, qui in Sarmatiâ Romanorum Prouincias obruere occipiebant. Horum illi ingentem fuderunt multitudinem. Intereà igitur dum eo in loco circa Gothos plurimùm essent occupati, nec Franci accepti damni ab Constantio fuêre immemores, rursum Galliam inuaserunt. Hos contra Constantinus cum omnibus proficiscebatur copiis: Francos campis expellebat, Regesque eorum Ascarichum ac Ragaysum capiebat; atque vt terrorem Francis incuteret, bestiis laniandos obiiciebat. Necessarium est hîc considerare, Francos hac tempestate fuisse diuisos, duosque peculiares habuisse Reges: atque eos, qui in Sicambriâ aut Geldriâ remanserunt, vnà cum his Francis, qui in Franconiâ apud Sueuiam ac Vindeliciam agunt, plurima aduersus Gallos ac Romanos, qui Galliam occuparant, mouisse bella, victoriaque sæpissimè potitos fuisse, & interdum etiam succubuisse. Prætereà & multos secum habebant Germanos aut Alemanos, vt eos appellabant Franci, quemadmodum paullò antè apud Constantium audiuimus, ac deinceps in sequentibus latiùs sumus audituri. Cùm iam ergo Constantinus victoriâ apud Francos potitus Istriam rediisset, ac Polæ in oppido degeret, vt hinc in Cyprum traijceret aduersus Calocerum, qui iam seditiones aliquot ac turbas excitasset, Fausta priuignum suum ad patrem detulit, quasi minùs honestè pudicitiam eius sollicitasset, & cùm parêre recusasset, tum vim inferre voluisset. Quare Constantinus coniugis suæ verbis fidem habens, Crispum interfici iussit. Verùm pòst audiuit filium fuisse extra noxam; ac coniugem potiùs adolescentem eò verbis sæpiùs pertraxisse, vt hac occasione ipsum interimeret, ne suis liberis foret impedimento, quò minùs ad Imperium peruenirent. Vt autem Constantini mater Helena ex magnâ commiseratione innocentis filij mortem assiduè increpabat, Faustam tandem instinctu Helenæ in balneum ardens coniecit atque interemit. Ab eo Constantinus mutatus tempore, crudelior paullò effectus, infinitos ex amicis ac propinquis interfecit: inter quos etiam Licinius eius ex sorore nepos fuisse fertur. Porrò cùm iam ita sæuiret, ac complures adhuc in eo essent virtutes; leprâ diuinitus ictus, vnà cum matre Helenâ ab Siluestro summo Christianorum Pontifice baptizatus est Romæ, nec animæ tantùm curatus leprâ, sed & corporis. Hac viâ ac ratione Constantinus fidem adeptus est Christianam, omniaque deinceps ad vtilitatem & commodum conatus est Ecclesiæ.

LXVIII.

HOMO EXTRA CORPVS SVVM EST IRATVS.



Hic à patre ſuo Cæſar factus eſt: & cùm adulterium fugeret, falsâ accuſatione miſerè præfocatus eſt.


ONSTANTIVS à patre Conſtantino Cæſar in Criſpi locum efficiebatur, qui & Dalmatium ex fratre nepotem loco Licinij Cæſarem iuxta hunc Conſtantium creabat. Porrò Dalmatius, iuuenis felicis planè indolis, patruo haud diſſimilis, breui tempore pòſt à militibus occidebatur. Quod factum Conſtantius eius patruelis magis admittebat, quàm iubebat. Sub hæc tempora, Conſtantino ac Conſtantio filio Imperatoribus, à Chriſtianæ fidei puritate Arius Preſbyter ac profeſſor Alexandriæ in Ægypto deſciuit. Hic portentoſa ac noua quædam in vulgus dogmata ſeminauit, nouasque ſcriptorum opiniones in publicum protulit: at breuî Vrbe ab Alexandro Alexandriæ Pontifice pulſus eſt. Ac quoniam multos hic ſecum eiuſdem habebat ſententiæ & opinionis, Conſtantinus Concilium Nicææ in Bithyniâ habuit, in quo congregati erant Pontifices trecenti atque octodecim, qui omnes Arij dogma condemnabant. Quare ab Conſtantino deſtitutus proſcriptusq; è Regno eſt. Atqui huius filius Conſtantius eidem Ario poſteà planè adhæſit. Cùm ergo Conſtantinus diu Romæ imperaſſet, Byzantium cum tribus ſuis filiis totaque aulâ profectus eſt. Hanc ille ciuitatem plurimùm ampliauit, reſtituit, atque ita breui tempore exornauit, vt ad Romam facilè potuiſſet comparari: ipſamque de ſuo nomine Conſtantinopolim appellauit; eo certè animo, vt deinceps hîc aula foret Imperialis. Tandem autem parans ſeſe omni expeditione aduerſus Parthos & Perſas, qui iam tum Meſopotamiam deuaſtabant, & alios ſuos filios Cæſares nuncupauit, Imperiumque iis erogauit: Aſiam nempe, vniuerſumque Orientem Conſtantio, ſedemque eius Imperialem Conſtantinopoli fixit. Conſtantino autem dabatur quidquid ſitum erat infra Alpes, tota videlicet Germania ad Septemtrionem vſque, Gallia, Hiſpania, Britannia, ac regiones illæ quæ verſus Occidentem tendunt. Conſtans denique natu minimus Italiam, Illyricum, ac totam Africam quà ad Meridiem vergit, in partem accepit, ſedemque ſuam Imperialem collocauit Romæ. Vt igitur Conſtantinus mare Ponticum traieciſſet, apud ciuitatem Nicomediam veneno ſublatus eſt: auctor cædis numquam ſciri potuit. Cadauer eius Conſtantinopolim delatum eſt, atque in æde Apoſtolorum ſepultum. Ante mortem ingens aliquot menſibus apparuit Cometa, viſu admodum horribilis, qui horrida illa miſeraque bella portendebat, quæ mortuo Conſtantino ſtatim inſecuta fuêre. Hic idem ille fuit Conſtantinus, qui Romanum Pontificem vt caput omnium Chriſtianorum honorauit, quique coronam ſuam auro gemmisque inſignem de ſuo capite cum Imperiali diademate, veſte purpureâ, ac ſcipione aureo, Papæ Silueſtro fertur impoſuiſſe, induiſſeque.

LXIX.

PRINCEPS ET INIQVA ET ÆQVA PARITER AVDIAS.



In Oriente regnauit XLII. annis, eius frater in Occidente; poſt huius mortem ſolus vniuerſum obtinuit: mortuus eſt XLV. ætatis anno.


ONSTANTINVS post obitum patris vnà cum suis fratribus Imperium adeptus est, anno CHRISTI trecentesimò quadragesimo primo. Imperaret hic quidem in Gallijs; sed parte sibi testamento paterno attributâ minimè contentus, deintegro per legatos suis cum fratribus partiri voluit. Quod cùm fratres recusabant, rem armis aggredi conatus est. Fretus enim optimis suis militibus, ac præcipuè Gallorum opibus, equitibus Hispanis, peditatuque Alpino, facilè his sperabat se fratres suos superaturum; petebatque ita vi magis quàm iure instructus Aquileiam in Italiâ. Hîc Constans, qui in Sarmatiâ aduersus Gothos iam tum agitabat, insignem exercitum contra ipsum eduxit, saltem qui Constantino resisteret, qui militum multitudine ac copiâ longè vincebat. Constantinus copias fratris contemnens, ac suis viribus fisus, bellum incautiùs securiusque aggressus est. Verùm hunc illicò fratris sui militibus circumuentum, atque in ipso conflictu deuictum, equus, cui insidebat, vulnere ictus in terram deiecit, incognitusque ita multis ictibus confossus est; atque in Alsan fluuium, haud longè ab Aquileiâ, proiectus. Atque ita quidem Constans solus Occidentalium regionum imperio potitus est, quemadmodum Orientalium eius frater. Iam verò tametsi Constantinus Magnus Francos in Galliâ deuicisset, atque expulisset; non omnino tamen eorum vires fregit. Mox enim arma capessentes, damna recuperare, iniuriamque vindicare conabantur. Et quamquam quidem statim post Constantini Magni obitum Rhenum ac Mosam traijcere, nonnullasque facere excursiones, ac fines passim depopulari incipiebant: omni tamen vi ac copiâ (dum hi fratres inter se bellum mouebant) vndique Gallorum Prouincias cædibus, incendijs ac direptionibus miserè aggrediebantur, sperabantque ita vel totum nomen Romanum exstirpare. Hæc enim natio præter ceteras libertatis maximè cupida, nullâ ratione Imperio Romano subesse voluit. Quamobrem non exspectarunt tantisper, donec Romani in suas venirent regiones; sed ipsi vicinas Romanorum Prouincias passim oppresserunt, vt hinc Romanis tantum facesserent negotij, quò sic quieti in suis se continerent regionibus. Quâ quidem re eius fuêre apud Romanos æstimationis, vt de ijs vulgò dictum sit: FRANCVM AMICVM HABE, VICINVM VERO MINIME. Itemque & hoc: MALE QVI VELIT PVGNARE, CVM GERMANIS PVGNET.

LXX.

IN MAGNIS ET VOLVISSE SAT EST.



Poſtquam in Occidente III. annis regnaſſet, vixiſſetq́ue XXV. annis, in ciuili bello interfectus eſt.

ONSTANS tertius Constantini filius, quàm potuit ocyssimè fratris interempti Imperium inuadere atque occupare properans, primùm omni conatu Alpes superauit; hinc Prouincias omnes Transalpinas, Galliamque biennio in suam potestatem penitus redegit. Namque illi quàm fortissimè resistebant Franci, ita vt bellum sæpenumerò aduersus hos ancipiti planè fortunâ mouerit. Ad extremum tamen eos domuit, pacatosque reddidit. Atque hac quidem viâ Constans partem fratris assecutus est, anno CHRISTI trecentesimo quadragesimo tertio; vt Eusebius quidem censet. Eutropius verò refert, hac tempestate Constantem Imperio Romano subiecisse; quod mihi non fit verisimile. Nam paullò pòst Coloniam Agrippinam inuaserunt, plurimumque hîc negotij fecerunt Iuliano. Ex quo illud sanè liquidò constat, Constantem illinc quidem Francos repulisse, ac tranquillos fecisse, sed minimè Romanis subiecisse. Refert Blondus, Constantinum ante obitum ita Francos prælijs in Franciâ fatigasse, vt mœsti se in suis regionibus ad tempora vsque Honorij continuerint. Quæ omnia profectò cum Historicis, penes quos rerum fides est, minimè conueniunt. Hic autem Constans primò optimum egit Principem, pòst ad delicias animum flexit, effectusque est difficilis, morosus, austerus, prouincialibus grauis, ac militibus illiberalis; quæ res posteà seditionem peperit. Milites enim Imperatorem fecerant Magnentium, qui Augustæ conuiuium militibus exhibuit à manè ad vesperas, Barbaricæ gentis more. Inde cubiculum ingressus, statim egressus est indutus purpurâ, multis satellitibus cinctus, quasi verus fuisset Imperator. Hinc à plurimis Imperator Augustusque salutatus est. Et quamquam multi essent, quibus negotium istud minimè placebat; fuêre tamen coacti assentiri ac tacere. Res hæc etiamnum celabatur, mittebanturque extemplò percussores, qui Constantem nihil tale cogitantem interciperent, qui iam tum venatibus operam dabat, ludebatque cum formosis pusiunculis. Cùm igitur quodam tempore fessum in tentorio se quieti dedisset, clàm ab ijs, quos miserat Magnentius, interfectus est. Scribunt aliqui, eum procul cognouisse parricidas, & abijsse in propinquum templum, & insignia Imperij deposuisse, & ab altaribus tractum cæsum fuisse. Atque id quidem contigit prope oppidum Helenam, haud longè ab Hispanijs, ad montem Pyrenæum.

LXXI.

FELIX SE ERIGENDO FELICITATEM AMITTIT.



Vbi XIII. annis in Occidente imperaſſet, & XXX. annis vixiſſet, occiſus eſt.

MAGNENTIVS modo prædicto Imperium primò quidem dolo, deinde verò per vim ad se rapuit, anno post natum CHRISTVM trecentesimo quinquagesimo tertio. Perfidus hic beneficij, quod dominus in ipsum suus contulerat, planè immemor exstitit. Cùm enim aduersus Francos præliarentur, ipséque in hostes fortè incidisset, hunc suâ manu Constans defendit, atque hostibus vi eripuit. Vt autem Galliæ iam, Hispaniæ, Italiæ, Africæ, atque, vt rem paucis complectar, vniuersum Constantis Imperium obtineret, noua deintegro in Illyrico coorta seditio est. Hîc enim milites Veteranum (qui Pannoniæ fines ab Gothorum incursionibus tuebatur) Imperatorem eligebant. Erat autem vir hic grandæuus, rudis, rerum artiumque omnino imperitus. Porrò vbi Constantius verus Imperator fratris cædem in Oriente percepisset, ac parricidam Magnentium in eius locum Imperium possidere, etiam Illyrici exercitum Imperatorem legisse Veteranum, mox expeditionem parauit, vti horum omnium vindictam sumeret. Ante omnia tamen Gallum patruum suum Cæsarem fecit, atque Antiochiam in Syriam misit, vt istic regiones defenderet Orientales. Ipse verò ingenti comparato exercitu Hesperios petiit, vlturus fratris necem. Atque vt Sirmium quidem venit, milites Veterani ad ipsum omnes sese receperunt, ac Veteranum in eius manus tradiderunt: qui ab Constantio in gratiam receptus, Imperio tantùm priuatus fuit; plurimis alioqui donatus, magni deinceps habebatur. Intereà Nepotianus, Eutropij sororis filius, Romæ à populo Imperator creabatur, Augustusque salutabatur. Verùm die Principatus sui decimo octauo instinctu Magnentij ab Heraclide clàm interficiebatur, caputque eius per vniuersam Vrbem in spectaculum circumferebatur. Hinc mox Romæ Magnentius crudelitate sæuiit incredibili, iussitque trucidari quidquid Constantio vmquam adhæserat. Interim Constantius ad Vrbem cum suo exercitu properabat, mittebatque ad Magnentium, qui dicerent, si arma deponeret, Italiam atque Africam relinqueret, concessurum se illi Galliam, si modò eâ contentus esse vellet. Sed Magnentius conditioni isti acquiescere noluit, se facilè victurum sperans. Consultum enim ipsi erat à Magis, vt priusquam congrederetur, virginem iugularet, cruorem vino misceret, potandumque militibus præberet; tum enim se haud dubiè victorem fore. Deinde insignem quemdam statuit percussorem, qui traiecto mari, Antiochiæ nouitium Cæsarem Constantium Gallum interimeret. Hac occasione sperabat Constantium Imperatorem in Orientem reuocare. Verùm occisor hic Antiochiæ proditus, cum suis comitibus ab Gallo fuit interemptus. Cùm igitur res ea Magnentium fefellisset, omne negotium Magis tradidit, ac Româ in Galliam profectus est; vbi, ingenti conscriptâ multitudine, fecit quæ Magi consulebant.

LXXII.

PVDOR SENI PVDOR,
IVVENI DECOR.



Aggreſſus eſt Imperium Occidentale, violentâque manu tenuit per III. annos: quinquagenarius ſibi manum intulit.

DECENTIVS Româ cum fratre Magnentio cesserat, ab eodemque Cæsar Mediolani creabatur, vt Galliam Insubriam tueretur. Interim Constantius omni vi propè sequebatur. Pugna magnis vtrimque fiebat copiarum viribus ad Mursam. Tyrannum vincebat Constantius magnâ hostium & suorum strage. Magnentius pedes dimisso equo aufugiebat, vti minùs esset notus, atque ita se in munitionem Mursæ recipiebat. Hîc equites suos solari conabatur, sed animum penitus abijciebant; nec ita amicè ipsum intuebantur, vti solebant anteà, sed assiduè conclamabant, O Cæsar Constanti. Victor Constantius die posterâ tumulum conscendebat, ex quo cæsorum cadauera conspici poterant. Cæsa autem vtrimque fuerant supra quinquaginta quatuor millia pugnatorum, ex Constantij exercitu triginta millia, ex Magnentij verò viginti quatuor. Hac pugnâ vniuersæ populi Romani vires adeò attritæ fuerunt, vt eas recolligere in posterum haudquaquam potuerint. Perierant quippe milites optimi, vt deinceps Barbaris resistere nequirent. Magnentius nouum colligebat exercitum, cupidus rursum aleam dimicationis tentare: & priusquàm experiretur, legatum mittebat ad Constantium, petens vt Galliam sibi concedere tantùm vellet, relinqueret ipsi Italiam atque Africam. Sed hunc Constantius reijciebat, opinatus illum speculatorem venisse. Pòst iterùm saltem hoc cupiebat tantùm, vt liceret Ducis militare titulo, nihil Prouinciarum quærens. sed nihil huic à Constantio responsum est. Quamobrem milites eius præcipui metu victorem Constantium adibant. Quod vt Magnentius vidit, intelligens etiam sibi dimicandum fore, & secundò fortunæ aleam tentans, cum Constantio armis congressus est. Sed rursum victus vix euadere potuit, aufugitque Lugdunum. Cùm verò animaduerteret se à Lugdunensibus obseruari, vt captum Constantio traderent, atque eius ita beneuolentiam captarent; ensem, qui parieti appendebat, arripiebat, ac velut mente captus, fodiebat, secabat, feriebatque obuium quemque, & multos ex amicis & proximis occidebat, vulnerabatque, ac tandem etiam seipsum confodiebat. Proinde Decentius Cæsar qui Galliam tuebatur, audito fratris casu, laqueo sibi vitam finijt. Constantius Siluanum in Galliâ natum Gallis defensorem dabat: quem mox Imperator, calumnijs aures facilè præbens, suspectum habuit. Siluanus autem vbi Imperatorem sinistram de se suspicionem cepisse intellexisset, pro concione id grauiter Gallis questus est; qui ipsum confestim communi voce Cæsarem appellarunt. Ad hunc motum opprimendum à Constantio in Galliam mittebatur Vrsicinus, qui pecuniâ Siluani equites corrumpebat vt occiderent. Iam verò cùm in Orientem redire Constantius debebat, ac Franci passim arma expeditionemque parabant, Fl. Iulianum Cæsarem fecit, iussitque vt Galliam tutaretur; & quò magis sibi fidum deinceps haberet, Helenam ipsi sororem suam matrimonio iunxit, atque in Orientem reuersus est. Erat enim sententia, Gallum (qui infinitis ipso absente cædibus in Præsides, aliosque sæuierat) interimere; quod gestum vtique in itinere est, antequam Constantinopolim veniret. Gallus hic frater fuit Iuliani; atque ex Flauiorum genere postremi fuerunt, qui imperarunt. Intereà Franci expedito exercitu educti, inter ceteras Coloniam ad Rhenum obsederunt, expugnarunt, ac tandem etiam ceperunt atque euerterunt; quemadmodum & ciuitates arcesque alias.

LXXIII.

MISER DOLOR, QVI IN TORMENTIS NON HABET VOCEM.



A fratre in Cæſarem factus, præ mœrore ſeipſum ſtrangulauit.

FLAVIVS CLAVDIVS IVLIANVS Constantini Magni ex fratre nepos, anno post natum CHRISTVM tricentesimo sexagesimo, Româ omni cum militari expeditione aduersus Francos egressus est: qui cùm Augustam Taurinorum venisset, intellexit Francos Coloniam oppidum cepisse. Hac famâ excitus, per Alpes Cottias versus Galliam iter maturauit Viennam. Hinc vltrà in Galliam profectus, hostibus obuiàm processit; sed ab Alemannis aut Germanis (qui Galliam item inuaserant) apud Senonas obsidebatur. Hîc ille cum Germanis fortiter dimicabat, eosque profligabat. Atque ita ad Rhenum profectus, Coloniam rursum ex Francorum manibus asserebat. Deinde Rhenum traiectus, insperatò Francorum Prouinciam opprimebat, vincebatque prælijs haud sanè incruentis, ac multos secum captiuos abducebat. Istiusmodi casum Franci minimè sperauerant. Non enim opinabantur fieri posse, vt quis è suis quidpiam Prouincijs auferre queat; cùm ad illa vsque tempora nullus adhuc Princeps ipsorum regiones fuisset ingressus, donec apud Alemannos habitassent. Pòst Iulianus oppida castraque quæ Franci ad se arripuerant, cuncta recuperauit. Prope Argentoratum Sueuos, siue Alemannos per Rhenum in Galliam traiectos exiguo inæqualique exercitu aggressus est, ac tantam fudit multitudinem, vt peremptorum cadauera montis instar accumularentur, & sanguis instar riui diffluerer. Chonodomarius & Badomarius Germanorum Reges capiebantur: prior mittebatur Constantio Imperatori, posterior verò moriebatur Romæ in monte Cœlio. Post hanc autem insignem victoriam ab vniuerso exercitu Iulianus salutatus est Augustus; & cùm non reperiebatur diadema, Maurus quispiam sibi torquem detraxit, vt hinc ipsi corona fieret. Postquàm iam Gallia ab Germanis ac Francis prorsum erat repurgata; ac Germanorum, exceptis Francis, cæsa fuissent supra triginta millia; Romam egregiè triumphans reuersus est. Verùm Constantius, quòd Iulianus se Augustum nominari passus fuisset, supra modum excandescebat, & haud dubiè bellum ciuile hinc extitisset grauissimum, ni Constantius morte præuentus fuisset. Nam Iulianus se aduersus Constantium iam parabat. Ceterùm vbi Constantius ex Persico bello Constantinopolim rediens contra Iulianum expeditionem moliebatur, mœrore diuinitus ictus apud Taurum montem obijt inter Cilices & Cappadoces. Atque ita Iulianus Monarchiâ solus potitus est, anno CHRISTI tricentesimo sexagesimo quarto. Vt iam Iulianus Constantinopolim venisset, cœpit in primis ipsam mutare religionem, vt tam apud Christianos quàm paganos gratiam ac fauorem sibi conciliare posset, tamquam qui liberum cuique esse de fide sentire permitteret. Deorum templa ab Constantio occlusa ipse recludebat. Nouerat enim paganos ægerrimè ferre, quòd sua sibi vetita essent sacrificia, atque eos summoperè flagitare vt templa ipsorum aperirentur. Adhæc exsules Christianorum Episcopos, quos in exsilium Constantius miserat, reuocauit; & quidquid ab ijs bonorum ad Cæsareum fiscum fuisset deuolutum, id omne restituit. Eius generis multa alia præclarè faciebat: paullò tamen æquior erat paganis quàm Christianis. Siquidem id studiosè operam dabat, vt ethnicam religionem vbique rursum induceret. Et quemadmodum antè Nicomediæ Christianus fuerat lector, ita modò & Pontifex esse volebat. Deorum templa ingrediebatur, ac pro Gentibus sacrificabat. Tum autem à Christianis Apostata meritò appellabatur. Semper penes se Rhetores ac Philosophos habebat: nam & olim in iuuentute Athenis Philosophiæ operam dederat. Aduersus Christianos seuerissimè scripsit; nullos, aut paucos, occidit. Cùm iam bellum contra Persas finiturus exercitum eduxisset, fugitiui cuiusdam dolo in deserta fuit perductus. Hîc vbi exercitus eius siti, nimio solis æstu, atque arenæ ariditate fatigatus, casum & culpam ipsi imputaret, plurimùm sanè formidauit, hominemque dolor & anxietas occupauit. Cùm itaque ad istum modum per deserta huc atque illuc diuagaretur & erraret, ab ignoto quodam milite confossus perijt.

LXXIIII.

ΝΕΝΙΚΗΚΑΣ ΓΑΛΙΛΑΙΕ.



Poſtquam Occidentale Imperium IIII. annis adminiſtraſſet, XXXI. annis vixiſſet, mirabili modo perijt; omniſque eius diabolica ſuperſtitio patefacta eſt.

OVINIANVS communi ſuffragio à militibus inuitus ad Imperium protruſus eſt,qui Iuliani diadema ipſi impoſuerunt. Sed his ille reſpondit, quòd Chriſtianus eſſet nolle ſe in paganos imperium habere. Et poſtquàm ſinguli ſe item Chriſtianos eſſe altâ voce profeſſi fuiſſent, petitioni illorum acquieuit. Actum autem id eſt à CHRISTO nato anno tricenteſimo ſexageſimo ſexto. Hic animaduertens,bis ſe à rege Perſarum victum fuiſſe, idque magnâ rerum, cibi potuſque penuriâ, quâ milites in eremo miſerè laborauerant, neceſſitate planè cogebatur Perſarum Regi Niſibin, ac bonam partem Meſopotamiæ tradere, vt ſuos milites eâ calamitate liberaret. Regiones illæ iam multis abhinc annis Imperio Romano fuerant ſubiectæ: nec fuerat, qui tantæ neceſſitati reſtitiſſet. Pacis igitur fœdere percuſſo, Rex Sapores commeatum extemplò ad exercitum in eremum miſit: quem vt in milites diuiſiſſet, caſtra mouit; duxitque coactus neceſſitate milites ſine victoriâ ac damno ad lares proprios. Cùm verò iam populus in oppido Carrhis ſummoperè lætabatur, peſſimo Principi tam bonum ſucceſſiſſe, templum ingreſſi ſunt; quod ne quis intraret, Iulianus prohibuerat, donicum ex Perſarum Regno redijſſet. Per hanc quippe ciuitatem profectus, in templo quodam paganorum mirabiles cum ſocijs ſuis euentus fuerat rimatus. Oſtijs ac feneſtris optimè proſpexerat, militeſque aliquot conſtituerat, qui ab ingreſſu populum arcerent. Quare cùm ad alterum templi latus perueniſſent, ſigna reperta fuêre incredibilia, ex quibus Iuliani prudentia ac pietas, quam exercuerat, facilè conſtare poterat. Conſpiciebant enim feminam comâ ſuſpenſam, brachijs expanſis, ventre reſecto vt eius hepar ſcrutari poſſet, num victoriâ contra Perſas eſſet potiturus. Antiochiæ in aulâ Imperiali multæ repertæ ſunt arculæ humanis capitibus refertæ, atque in puteis infinita ſubmerſa cadauera. Ceterùm Iouinianus Princeps verè fuit Chriſtianus. Nam cùm Iulianus ſcrutaturus, num qui inter milites eſſent Chriſtiani, edicto præcepiſſet, vti omnes aut Dijs ſacrificarent, aut Ordinem equeſtrem dèſererent; Iouinianus (qui mille tum militibus præerat) militiâ abire maluit, quàm Chriſtianam fidem abnegare. Eo tamen Iulianus in re militari carere non potuit; quippe qui peritus admodum erat, eloquens, tenaci memoriâ, corpore formoſo ac procero, ingenio plurimùm amœno. Et Iouinianus quidem cùm deinceps Conſtantinopolim peteret, in campo Dadaſtane, qui diuidit Bithynos à Galatis, atrium recentis tectorij vt quieſceret ingreſſus, carbonum fumo ac noui tectorij fœtore ſuffocatus eſt, ſpiritumque exhalauit.

LXXV.

SCOPVS VITÆ CHRISTVS.



Imperio Romano mensibus VIII. præfuit: annos natus XXXIII. miserè vitam amisit.

ALENTINIANVS prope Nicæam, quæ vrbs caput est Bithyniæ, ab eodem exercitu in Iouiniani locum Imperator eligebatur, post natum CHRISTVM anno tricentesimo sexagesimo septimo. Hic exercitum Constantinopolim duxit. Ortus autem erat è Pannoniâ apud Cibalas, appellabaturque Funarius, quòd venalitium funem portanti quinque milites extorquere nequibant: quo merito in militiam adscitus, ad eam paullatim dignitatem conscendit, vt sagittariorum Tribunus posteà sit effectus. Cùm verò esset Christianus, ac die quodam in Fortunæ templum Domino suo Iuliano congrederetur, ministri templi vtrimque in ipso ingressu stabant, atque aspersione aquæ ingredientes velut purgare dicebantur. Valentinianus Imperatorem præcedebat, qui vt pallium conspergi suum videbat, templi ministrum pugno iratus feriebat, inquiens, magis se contaminari quàm mundari. Quo viso Imperator hominem apprehendi iubet, cogique ad Idolorum cultum; aut, si nollet, aulam linqueret. Tum Valentinianus aulam extemplò deseruit, & post mortem Iuliani ad Iouinianum in castra redijt: post cuius obitum ipse Imperium adeptus est. Vxorem habebat nomine Seuerinam, quam aliqui imperitè Serenam appellarunt. Hæc illi Gratianum peperit. Hac tempestate relicta erat filia quædam Iustina; quæ, postquàm eius pater Iustus à Constantio fuisset interfectus, innupta manserat. Ea autem Seuerinæ cognita plurimùm amabatur, adeò vt cum reginis etiam balneas intraret, seque vnà lauaret. Quare Seuerina apud maritum multa de eius pulchritudine assiduè referebat, dignam esse inquiens, quæ nuberet Imperatori. Valentinianus meliùs hæc, quàm ipsa rata esset, intelligens, cogitare cœpit, quâ ratione eam duceret vxorem, nec cum alterâ coniuge Seuerinâ diuortium faceret. Hinc igitur per vniuersum Imperium edicto publicauit, si cui duas liberet ducere vxores, ei id liberè concedi: quibus illud adiecit, nempe hinc esse, quòd pagani tantâ nos superent multitudine. Deinde vxorem duxit Iustinam, quæ ipsi peperit Valentinianum, ac filias tres, Iustam, Gratam, & Gallam. Duæ priores mansêre innuptæ, Galla autem nupsit Theodosio. Cùm iam Valentinianus breui tempore Orientem administrasset, confestim ex Occidente insperatæ ad ipsum à Præsidibus datæ fuerunt litteræ, quibus continebatur, quemadmodum Germani omnes ferè nationes armis superassent. Hoc autem nuntium magno Valentinianum affecit dolore, atque extemplò sibi Valentem fratrem suum æquali iure adiunxit, quem ab initio sui Principatus Cæsarem fecerat. Valens Imperium exerceret in eos qui in Oriente Romano Imperio essent subiecti; Valentinianus verò, qui in Occidente ad Romanos spectarent. Dein Valentinianus cum septem legionibus atque omni militari expeditione Occidentem versus profectus est. Et quidem cùm in primis Alani (sic enim se nonnulli Germanici Gothi appellabant) Valentiniano resistere conabantur; eorum pars magna cæsa fuit, pars altera in Mæotidis paludes sese præcipitauit. Tum Valentinianus suis illud addixit, si quæ natio paludes ingredi, atque inde Alanos expellere vellet, ei se decennalem vectigalium atque exactionum immunitatem præstiturum. Confestim Franci aliquot, quos secum in Orientem adduxerat Iulianus, rem aggressi sunt, atque inde Alanos vi armisque expulerunt. Hac re ita gestâ, Valentinianus dixit: Etiamsi hos Francos minimè appellaremus, re tamen ipsâ Franci iuxta Græcam linguam dici deberent; id est, crudeles, fortes ac duri. Complures arbitrantur hinc Sicambros aut Geldros Francorum nomen primò adeptos fuisse: verùm horum sententia nihil planè cum veteribus conuenit.

LXXVI.

ΤΟΝ ΦΡΑΓΚΟΝ ΦΙΛΟΝ ΕΧΟΙΣ,

ΓΕΙΤΟΝΑ ΟΥΚ ΕΧΟΙΣ.



Simul cum fratre & filio XII. annis Imperium Romanum tenuit; ætatis LV. ſanguine ſuo ſuffocatus.


ALENS in omnibus Valentiniano fratri omnino erat dissimilis: nam simul atque ab eo discesserat, instinctu suæ coniugis Dominicæ ab Eudoxio Arianorum Pontifice baptismum suscepit. Christianorum etiam persecutionem maturasset, ni fratrem veritus fuisset. Egit aliquamdiu Antiochiæ, permisitque suum cuique in Deos cultum; Iudæis nimirum, Ethnicis, atque hæreticis: solùm illos odio prosequebatur, qui Apostolicam doctrinam profitebantur. Monachos coëgit in bellum: qui obsequi recusabant, interfici iussit. Intereà cacodæmon eò dementiæ hominem pertraxit, vt sollicitè rimatus fuerit, quinam post se in Imperium succederet, vsurpavitque Necromantiam, quæ ex mortuorum cadaueribus colligit futura. Verùm enimuerò cacodæmon inconsideratâ eius impietate abusus, obscurum homini responsum dedit: quâ occasione optimos quosque prudentissimosque viros interemit. Cùm enim oraculum à dæmone flagitasset, huic quatuor ille litteras ostendit, ΘΕΟΔ, inquiens: Hoc nomen post tua fata rerum potietur. Ob quam quidem causam Valens illos passim occidebat, quorum nomen litteris hisce scribebatur. Hinc Theodori, hinc Theoduli, hinc Theodoti, hinc denique Theodorici, atque id genus complures alij interficiebantur. Inter ceteros autem occisus etiam est Theodosiolus vir sanè probus, ac Theodosius dux ille fortissimus & Theodosij Imperatoris pater; qui eò tyrannum Firmium noua in Africâ molientem Valentiniani iussu coarctarat, vt sibi mortem consciuerit. Complures item metu mortis nomina sua mutarunt, iuramentoque abiurarunt. Intereà verò dum hæc Valens in Oriente conficiebat, eius frater Valentinianus magna grauiaque aduersus Alemannos bella mouebat, tandemque victor ad Germanicum vsque mare in Francorum siue Sicambrorum Prouincias vltra Rhenum perueniebat. In his siquidem locis accolæ erant Saxones Germanici maris inter paludes inuias, parabantque sese ad expeditionem atrocissimam, quasi verò vniuersas Romanorum Prouincias essent vastaturi, funditusque deleturi. Gens hæc Populo Romano bellicosa fortisque æstimabatur. Hos contra Valentinianus congressus atroci pugnâ deuicit, atque attriuit. Hinc deinde proficiscebatur aduersus Alemanicos Lentienses ad Lacum Acronium: sed minimo eos afficiebat detrimento; facilè enim propellebatur. Quare vbi Treueris aliquamdiu egisset, in intimam profectus Galliam, Gratianum necdum planè puberem in oppido Ambianorum Augustum appellauit, Imperijque consortem fecit. Porrò autem vt Parisijs Quadorum legatos (quos hodie Schlesios & Austriacos nominamus) latrocinia sua excusantes audiebat, subitâ irâ adeò in illos accendebatur, vt sanguine naribus erumpente exspirauerit. Circa hanc tempestatem horrendi passim tremores motusque terræ per omnem Orbis ambitum subitò grassati fuere; itaque mare ipsum inundauit, vt in ciuitates insulasque rapidis fluctibus pulsum, multa hominum ac pecudum millia submersa obruerit. Post Valentiniani obitum Procopius Imperium affectabat: sed huius cupiditati finem imposuit Valens. Non multo autem tempore pòst nouus insperatò populus Borealibus montibus instructo exercitu in Pannoniam erumpebat. Hi sese Hunnos appellabant; Gothisque è Pannoniâ vi exactis, suas in eam sedes transferebant, atque ipsam prouinciam Hungariam de se nominabant. Cùm iam ergo Gothi vltra Danubium, Seruiam, Bulgariam, ac Romaniam inuasissent; Valens, quem res hæc plurimùm sollicitabat, vniuersam his Thraciam inhabitandam tradidit. Verùm cùm ea minimè sufficiebat, ac magnam hîc inediam patiebantur; hinc profecti, obuia quæque incendijs ferroque deuastarunt. Quo quidem audito Valens Antiochiâ omni vi Constantinopolim profectus est. Intereà post infinita prælia Gothi etiam Constantinopolim obsedêre, ipsumque suburbium incendio iam deiecerant: nec erat, qui resistebat. Hac re tandem excitus Valens, Constantinopoli eductus, ac post cruentas aliquot pugnas iaculo vulneratus, ad proximum pagum in vile tugurium deportatur. Gothi verò ipsum insequebantur; igneque iniecto, Imperatorem cum pago incendium absumebat.

Hunnorum (qui nũc Hungari) origo.

LXXVII.

SVSPICIONIBVS SECVRVS.



Cum fratre eiusque filijs rexit Imperium XV. annis: quinquagenarius ab hostibus exustus obijt.

RATIANVS Occidentalis Imperator, qui hac tempestate etiamnum adolescens erat, vt audiebat Barbaros vndique magnis copijs Romanas opprimere Prouincias, ac Rempublicam iam propemodum collapsam esse; spem fidemque in vnum CHRISTVM collocans, inæquali hominum multitudine apud Argentuariam oppidum conflictum habuit acerbissimum: cuius tamen euentus illi optimè cessit, vt qui supra triginta Germanorum millia in bello extinxerit: cuius quidem pugnæ certa quædam indicia etiamnum hodie extant. Contigit autem post natum CHRISTVM anno tricentesimo octuagesimo secundo, cùm Gratianus cum Valente patruo suo imperasset annis quatuor. Deinde Gratianus Pannoniam petijt; atque vbi animaduertit patriam suam ab atrocibus Hunnis possessam (qui iam videbantur quasi vinci haudquaquam possint) dubitabat quidnam potissimùm ageret. Nam & suam & fratris sui ætatem apud se considerabat. Tandem accersiuit Theodosium (qui suâ virtute præclarum iam nomen adeptus erat) fecitque ipsum sui exercitus Tribunum summum. Hic intrepidus ingentem secum eduxit exercitum, ac cum populo atroci planeque Barbaro adeò conflixit, vt victoriâ potitus sit. Hinc item Gothos atque Alanos fortiter aggressus, pugnis sanè acerrimis superauit, redijtque deinde victor Constantinopolim. Et quidem ne continuis bellis Populo Romano videretur molestus, cum Athalarico Gothorum Rege fœdus percussit. Vt autem Athalaricus venit Constantinopolim, naturæ legibus satisfecit. Hîc ipsum Theodosius magnificè sepeliuit; atque eâ quidem humanitate Gothos sibi ac Romanis deuinxit. Quapropter Gratianus plurimùm lætatus, cum omnium consensu ac fauore Theodosio prope Sirmium purpuram induit, Orientemque commisit: verùm sibi cum fratre suo Valentiniano Occidentem retinuit. Atque ita benè beateque vtrimque imperauerunt, vt collapsum iam Imperium ex parte aliquâ restituerint. Fuit autem Gratianus litteris haud mediocriter institutus, eloquens, consilijs prudens, pacis amans, & qui controuersias facilè sciret deponere, cibi potusque ac libidinis victor, iaculatoriæ artis peritissimus, ac religioni maximè addictus. Huius temporibus Britannia ab Romano Præside desciuit. Verùm Gratianus, hos contra, Magnum Maximum insignem illum Tribunum ingenti cum exercitu misit: quos sibi confestim Maximus vi subiecit; itaque Britanniâ potitus, etiam Imperium affectabat. Nam illicò in Galliam omni cum exercitu profectus, totam illam regionem planè deuastabat, suæque potestati subijciebat, cum omnibus inferioris Germaniæ Prouincijs ferè ad Francos vsque Occidentales, qui inferiùs in Galliâ Belgicâ habitabant. Aduersus hunc Maximum proficisci maturabat Gratianus in Galliam. Sed Maximus ab infensis Gratiano legionibus confestim excipiebatur: quâ inopinatâ proditione Gratianus territus, fugâque euadere conatus, ab Maximo Lugduni extinctus est. Extemplò Maximus Victorem in filium, Imperijque heredem, adoptabat; expeditumque in Italiam mittebat, vt & alterum Imperatorem Valentinianum bello aggrederetur, interficeretque.

LXXVIII.

NON QVAM DIV, SED QVAM BENE.



Cum patruo IIII. annis, cum fratre VI. annis in Occidente regnauit. Cùm XXIX. annis vixiſſet, interfectus eſt.

MAGNVS MAXIMVS, qui per vim Imperium fuerat adeptus, ingenti cum exercitu in Italiam transire properauit; eo certè animo, vti Romam obsideret. Valentinianus qui etiamnum adolescens erat, Româ cum matre Iustinâ metu Maximi tyranni aufugit, simul atque de cæde fratris sui Gratiani certior esset factus; maturauitque Constantinopolim ad generum suum Theodosium, qui humaniter ipsum excipiebat. Id autem ita gestum est anno CHRISTI tricentesimo octuagesimo octauo. Confestim sese ad ciuile bellum parabat Theodosius; quod necessitate coactus, partim vt alterius quidem Imperatoris necem vindicaret, partim verò vt alterum regno exactum in illud restitueret, aggrediebatur. Eâ autem tempestate Maximus degebat Aquileiæ, felici rerum successu exultans. Dux Adragatius bellum ipsi securo conficiebat, qui cuncta passim itinera castraque militibus probè munierat. Porrò ratus nauali prælio se hostes præuenturum oppressurumque, castra ita munita rursum deseruit. Profecti sunt igitur raptim per Alpeis inuias Theodosius ac Valentinianus, adeò vt nullus eos perceperit; imò vt ne vnus quidem fuerit qui resisteret. Pòst insperatò Aquileiam venêre, Maximumque hostem infensissimum, qui terrore sui tantùm nominis Germanos domuerat, & ad pendenda vectigalia coëgerat, aperto Marte absque dolo oppresère, cepêre, atque interfecêre. Hac re Valentinianus in Italiam vniuersumque Regnum Romanum restitutus est. Adragatius certior de exercitus sui clade factus, in mare se præcipitem dedit. Hîc considera, quemadmodum optimi Principes ciuilia bella necessitate ita vrgente finierint. Victoriâ enim potiti, ciuitatem oppresserunt, tyrannumque Maximum ceperunt, atque vti meruerat, interemerunt. Contrà item huc animum aduerte, quemadmodum hostis Adragatius, qui magis profectò erat metuendus quàm ipse Tyrannus, morte suâ conatus illos ingentes sustulerit. Atque hæc quidem omnia sine dolo ac fraude ita confecta fuêre. Nemo enim huic vmquam restiterat, nec gladius vaginâ eductus fuerat; & tamen bellum istud adeò horrendum absque sanguine vllo absolutum fuit, idque dumtaxat morte duorum. Inuenio Maximum hunc magnâ seditione à Britannicis ac Romanis militibus inuitum Imperatorem fuisse electum, & qui haud malè Imperium administrasset, nisi periurio ac tyrannide pollutus fuisset. Vir enim fuit in militari expeditione, aduersus Francos, Germanos, Gothos, aliosque Barbaros habitâ, fortis ac strenuus, ex prosapiâ Constantini illius Magni oriundus.

LXXIX.

NVMQVAM PERICVLVM SINE PERICVLO VINCITVR.



Poſtquam Occidentale Imperium vix annum moleſtaſſet, occiſus eſt.

ALENTINIANVS ſecundo rerum ſucceſſu, victoriâque quam cum genero ſuo fuerat adeptus, ſuprà quàm credi poſſit, ſeſe extulit. Corrumpebat autem ipſum inficiebatque Arianâ hæreſi mater Iuſtina, cuius ſeſe hoſtes perpetuos atque acerrimos eius pater Valentinianus ac frater Gratianus fuerant profeſſi. Clariſſimum Eccleſiæ doctorem Ambroſium maximoperè perſecutus eſt, qui apud fratrem Gratianum vel quantiuis pretij fuerat. Vt enim Ambroſius Mediolanenſium Pontifex erat conſtitutus, tota ſeſe Italia ad Chriſtianam fidem extemplò conuertit. Nec verò Valentinianus fratre ſuperſtite Chriſtianos apertè perſequi fuit auſus; ſed poſt eius obitum raptim Mediolanum cum matre contendit, ſaltem vt Epiſcopum infeſtaret, damnaretque. Quare iuſſus vti ab Eccleſiâ diſcederet, his ita reſpondit: *Neutiquam id meâ voluntate fecero, ne lupis oues meas permittere aut deſerere videar: ſi libet, me potius occidite; libens enim hoc in loco moriar.* Ab his autem temporibus Romanæ Monarchiæ deuaſtatio primò originem cepit. Nam Gothi, cùm ab Hunnis bello ſuperati profligatique eſſent, ipſi inter ſe diſcordes ac ſeditioſi effecti, ſeſe mutuò prælijs laceſſere cœperunt: altera quippe pars Fridegernum, altera Athalaricum Regem ſibi eligebat. Hic ille eſt Athalaricus, qui cum Theodoſio Conſtantinopoli pacem fœduſque inijt. Fridegernus cum ſuis aliò mutatis ſedibus profectus eſt, Athalaricus in Thraciâ manſit: & qui cum eo hîc erant relicti, Oſtrogothi appellabantur; qui autem hinc verſus Occidentem cum Fridegerno erant profecti, VViſigothi. Hæc Gothorum diſſenſio Imperio Romano planè exitio fuit. Poſt obitum enim Fridegerni, VViſigothorum Rex ſucceſſit Radagaiſus; & poſtquam Athalaricus Conſtantinopoli diem obijſſet, confeſtim Oſtrogothorum Rex effectus eſt Alaricus. Quemadmodum autem hi Romanam Monarchiam deuaſtarunt, in ſequentibus paullò pòſt audiemus. Valentinianus, qui ſecurè alioqui poterat imperare, ex Italiâ in Galliam profectus Victorem Maximi filium interemit, quem pater ibi copijs præfecerat. Et dum Viennæ negligentiùs moraretur, ab Eugenio, olim quidem Grammatico, poſteà verò tribuno, Arbogaſti fraude & pecuniâ corrupto, in cubiculo ſtrangulatus eſt: atque vt voluntariâ morte crederetur obijſſe, laqueo collum indiderunt penſilemque fecerunt. Extemplò Eugenius ab Arbogaſto Imperator conſtituebatur, vt qui hinc Occidentale Imperium ſe adepturum temporis ſucceſſu ſperabat. Hac Tyranni illi occaſione ingenteis Gallorum ac Francorum inferiorum copias aduerſus Theodoſium conſcribebant; eo animo, vt & ipſum perimerent, atque ita tandem vniuerſum Imperium ad ſe raperent. Ad iſtum modum Eugenio Orientale Imperium aſſignabatur.

LXXX.

NOVOS PARANS AMICOS,
NE OBLIVISCARIS VETERVM.



Imperium Occidentale ſumit cum fratre, tenuit VI. annis; deinde cum Theodoſio X. annis: ex inſidijs interemptus eſt.

HEODOSIVS & alterum filium Honorium Cæſarem, ac fratris ſui Arcadij conſortem faciebat: hic enim natu erat maximus, diuque Imperium cum patre adminiſtrarat. Geſtum autem id ita eſt, anno ſalutis Chriſtianæ tricenteſimo decimo octauo. Proinde vtroque filio Conſtantinopoli relicto, inſtructis copijs Theodoſius in Italiam contra Eugenium tyrannum profectus eſt. Complures Danubij accolæ Theodoſio auxilio properabant. Vt ergo tyranni huic multis cum legionibus Gallorum ac Francorum obuiàm maturabant, factum eſt, vt inter Alpes ad fluuium Frigidum ſeſe mutuò aggreſſi manus conſeuerint. Pugna multum diuque anceps fuit. Nam multos ſibi Gothos Theodoſius in primo conflictu adiunxerat, qui à Gallis ac Francis profligati cædebantur propè decem millia. Theodoſius tamen victoriâ potitus, hoſtilia arma pugnantibus etiam pro eo ventis (qui ſponte carceris Æolij cedente obice eruperant, itáque in hoſtium faciem ferebantur, vt neque fundis, neque iaculis, neque enſibus quidquam præſtare potuerint) profudit atque deleuit. Eugenius captus ante Theodoſij oculos pœnas luit. Arbogaſtus verò euaſit: ratus tamen poſt biduum fieri haud poſſe, vt ſe inſequenti Imperatori eximeret, ſuâ manu vſus occubuit. Theodoſius Mediolanum venit: & poſt multos Reipublicæ exantlatos labores in morbum incidit. Cùm autem iam vitæ finem adeſſe ſperabat, magis profectò ei Reſpublica fuit cordi: ſciebat quippe quis rerum ſtatus eſſet poſt diſceſſum Principis. Quamobrem Honorium filium ſuum Conſtantinopoli accerſiuit, Imperatoremque Romanum vice Valentiniani deſignauit. Ceterùm vbi Honorius Mediolanum veniſſet, ac pater iam meliuſculè valere cœpiſſet, ludoſque de partâ victoriâ, quaſi iam planè confirmatus, præſens exhibuiſſet; ſubitò in morbum recidit, adeò vt adeſſe ludis ipſe ampliùs haud poſſet: iubebat tamen vti eos filij præſentes ſpectarent. Intereà filijs ſuis duos viros herclè potentiſſimos adiunxit, Rufinum nempe Præſidem Orientis, ac Stiliconem Occidentis Præſidem: voluitque, vt eis adoleſcentes filij curæ eſſent cum Imperio. Atque hoc quidem ita conſtituto, ſub veſperem hinc ad Superos felix commigrauit. Erat ſiquidem Princeps hic clariſſimus, ac Reipublicæ vtiliſſimus; clemens, miſericors, omnibus æquè promptus ac communis, ſolo habitu differre ſe ceteris putans; in omnes homines honorificus, verùm effuſiùs in bonos: quantâ clementiâ in homines, tantâ pietate atque humilitate in Deum; quod ex eo obedientiæ exemplo facilè liquet, quod in Ambroſio Antiſtite expreſſit. Cùm enim Theodoſius ageret Theſſalonicæ, magna ſubitò coorta eſt ſeditio, ita vt plerique ex Magiſtratu lapidibus obruti occiderentur; inter quos & miles quiſpiam, quem magnoperè amabat Theodoſius, cædebatur. Quâ quidem re irâ plurimùm accendebatur, nec eam temperabat, donec in tyrannidem eſſet verſa. Inuitabat ciues ad ludos Circenſes: quò cum veniſſent, ferro inſontes cum noxijs perimi iubebat. Fuêre itaque cæſa hominum propè ſeptem millia, cauſsâ planè indictâ; tantùm furore quodam animi Imperatoris. Quam profectò cædem vt Ambroſius triſtis accepiſſet, Imperatorque Mediolanum reuerſus templum ingredi voluiſſet, huic ille in limine reſtitit, atque ait: *Noſtíne quanta cædes impietaſq; tua ſit, quam infelix patraſti? quibus oculis templum Domini, cui patent omnia, intueberis? quibus pedibus ſacroſanctum eius pauimentum conculcabis? quomodo audebis manus tuas extendere innoxiorum ſanguine etiamnum manantes? Idcircò ſecede hinc, vinculumq; quo te rerum omnium Dominus ligauit, accipe* &c. His verbis Theodoſius obtemperauit, (ſciebat enim facilè, quodnam Sacerdotis eſſet officium) ac flens gemenſque diſceſſit, atque menſibus octo manſit excommunicatus. Abſolutus tamen poſtremò fuit hac conditione, vt aduerſus iram ſubitaneam (ex quâ nil boni proficiſcitur) legem ferret, ne quiſquam præcipite iudicio iniuriâ poſthac afficeretur. Conſtitutionem igitur promulgabat eiuſmodi, ne Principum aut Iudicum ſententiæ in occiſores latæ ſubitò ad executionem producerentur, verùm ſuſpenſæ triginta diebus ſeruarentur, atque ipſi rei carcere incluſi detinerentur, num quid intereà poſſit exoriri, vnde damnatis iniuriam factam conſtaret, adeoque tum ſententiæ queant reuocari.

LXXXI.

ERIPERE TELVM, NON DARE IRATO DECET.



Vnà cum Gratiano eiusque fratre Orienti præfuit XVI. annis, cum filio vno anno: obijt quadragenarius.

RCADIVS filius Theodoſij natu maximus animaduertebat,Rufinum,quem pater tutorem ipſi dederat, parum fidum in ſe extitiſſe, ac rem clanculùm cum Gothis habere: quod homini magnam peperit ſuſpicionem. Quare cùm Conſtantinopolim cum Theodoſij corpore veniſſet, eique obuiàm ad portam Arcadius proceſſiſſet, à militibus (ob ſuſpicionem quam de illo ceperant) Rufinus pernicioſus tutor occiſus eſt. Hac tempeſtate infiniti pænè motus exorti ſunt. In Africâ ſeſe Gildo Regem faciebat, ac fratrem Maſcezelem, quòd Romanis fidus perſiſteret, Regno exigebat. Stilico Honorij præſes ac tutor magna grauiaque bella in Germaniâ aduerſus ſeditioſos Francos & Saxones conficere debebat. Radagaiſus immaniſſimus ille Barbarus iurabat omnium ſe Romanorum ſanguinem effuſurum, ac Dijs ſuis illo ſacrificaturum. Hic ſanè inter tyrannos veteres & præſentes, longè omnium fuit crudeliſſimus, inopinatoque in Italiam ſecum adduxit pluſquam ducenta VViſigothorum millia. Hi cùm iam prope vrbem Romam adeſſent, Romani Ethnici concurrebant vociferantes pro foribus immanes eſſe Barbaros. Percurrebant peruetuſta Deorum templa, auxiliumque ab ijs implorabant. Tandem omnis culpa conferebatur in Chriſtianos, dicebantque tam luctuoſum Imperij caſum ex contemptu Deorum & neglecto priſtinæ religionis cultu exortum eſſe: quapropter & concludebant Deorum ſacrificia fore renouanda, alioqui enim victoriam vnquam ſperari haud poſſe; adeò vt hinc maximus Chriſtiani nominis contemptus Romæ ſit conſecutus. Radagaiſus obuia quæque vaſtabat, incendebat, ac cuncta cædibus atque incendijs abſumebat. Romæ ſe ad reſiſtendum parabant: ſed Deus, virtutem ſuam in hominum multitudine ac robore haudquaquam conſiſtere, voluit exhibere. Radagaiſus enim ſubitò tanto fuit timore atque horrore captus, vt in Peculanos montes cum ſuo exercitu properè ſeceſſerit. Et quantumuis quidem tantam penes ſe hominum habebat multitudinem, incertus tamen fuit quònam aufugeret, maximâque in aridis iſtis locis cibi potuſque laborauit penuriâ: atque ita in montibus iſtis magno timore cinctus, ingentes illas copias, quarum paullò antè tota vix Italia capax eſſe poterat, in anguſtos coëgit montes. Spem igitur omnem Radagaiſus Rex in fugâ collocans, clàm à ſuis ſeceſſit, & in hoſtium manus lapſus eſt, qui ipſum captum vinctumque catenis Romam duxerunt. Tanta etiam Gothorum multitudo à fugâ retracta fuit, vt gregatim inſtar pecudum diuenditi fuerint, adeoque ex ijs multi vnico floreno. Mox hinc Alaricus Oſtrogothorum Rex cum ſuis conſilium iniens ſtatuit, ſatius eſſe vno negotio Regnum perdere, quàm populo alienigenæ inuito animo ſubijci, expeditionemque cum ſuis parauit, ac profectus eſt Hungariâ per Alpes tantâ cum hominum multitudine in Italiam, vt Romani fuerint demirati, vndenam tot homines confluxerint. Cumque nullus ei reſiſteret, ad pontem venit Condinianum, qui ab Rauennâ diſtabat milliaribus tribus, vbi etiam VViſigothorum Rex ab exercitu reſiduo efficiebatur. Confeſtim Alaricus legatos ad Honorium fratrem Arcadij, qui eâ tempeſtate Rauennæ agebat, miſit, qui agros ad habitandum ab eo peterent. Honorius metu ijs totam Hiſpaniam & Galliam conceſſit; quas regiones Genſericus Vandalorum Rex pænè prorſus vaſtauerat. Huc igitur dum Gothi pergunt, Stilico Honorij præſes ac ſocer inſperatò eos ipſo Paſchatis die oppreſſit, multoſque occidit. In primis quidem Gothi territi mox animos receperunt, Romanoſque in fugâ proſtratos interemerunt. Et cùm iam indignati iter in Hiſpaniam ac Galliam omitterent, deleturos ſe planè nomen Romanum quàm ſanctiſſimè iurabant; reuerſique per Italiam, toto impetu Romam contendebant.

LXXXII.

MAXIMA PAVLLATIM EX MINIMIS, MINIMA SVBITO EX MAXIMIS.



Cum fratre Orientale gessit Imperium XIII. annis: annos natus XXX. occubuit.



ONORIVS se continebat Rauennæ, permittebatque Gothos Romam obsidere, ac totam vastare Italiam: restituendi enim Imperij spes erat nulla. Romæ ingentes passim audiebantur querelæ & blasphemiæ aduersus CHRISTVM, qui tum planè contemnebatur. Hinc seuerissimo sanè iudicio diuino effectum est, vt cùm ex Italiâ Romam ferè omnes confluxerant, eò dementiæ penuriâ coacti fuerint, vt suos sibi liberos coxerint matres, exstiterintque Romani hoc detestabili exemplo soli in vniuerso Orbe Ierosolymitanis omnino comparandi. Vt autem Alaricus ad instructam pugnam sese parabat, consideratâ interim ciuium rabie, sanâ profectò vsus ratione per edictum suis præcepit, vt à cædibus quantum fieri posset abstinerent, præcipueque parceretur confugientibus ad templa Christianorum. Capta igitur tum Roma, deuastata atque incensa fuit, anno ab eâ conditâ M. C. LXIIII. post natum autem CHRISTVM CCCCIII. Principatus Arcadij & Honorij anno quarto. Gothi Româ per Campaniam, Lucaniam, Brutiam, ac Calabriam profecti, in Siciliam contendebant; sed Alaricus Consentiâ subitò decessit. Confestim Gothi Alarici cognatum Ataulphum Regem salutarunt. Hic Romam reuersus, quidquid etiamnum superesset, haud aliter ac locustæ segetes, absumpsit & destruxit. Magnifica illa ædificia, quæ per vim dirui non poterant, partim secando, partim cædendo in ruinas confregerùnt. Et quidem cùm nullus esset qui resisteret, Placidia Arcadij & Honorij soror mulier sanè formosissima, Romæ Ataulphum adijt, animumque eius verbis amicissimis commouit, ne penitus depopularetur funditusque euerteret, quemadmodum conceperat animo. Placatus itaque Ataulphus Romæ pepercit, ab eâque discessit, acceptâ in vxorem Placidiâ. Incertus autem quònam proficisceretur, consilium cepit redeundi in Galliam. Quâ re ita adiacentes regiones fuerunt territæ, vt Vandali istinc in Hispaniam fugerint. Cùm verò & Galliam Ataulphus depopulatam offendebat, eâ minimè contentus fuit; quin & in Hispaniam profectus est, hinc in extremos fines profligatis Vandalis. Locus vbi primùm sedem figebat, Gothaloniam appellabat: cumque triennio in Hispaniâ gubernasset, à suis occisus est, quòd Romanum Imperium sibi minimè seruasset, nec Romanum nomen penitus deleuisset, vrbemque Romam iterùm non instaurasset, ac Gothiam nominasset. Sigericus in eius vicem surrogabatur: quem, cùm nec ipse Romam redire vellet, etiam interfecerunt. Huic succedebat Vallia, qui Gothorum votis respondere conabatur. Verùm aduersus hunc Honorius Constantium virum fortissimum misit; cui, si sororem suam Placidiam reduxisset, eam in vxorem se daturum pollicebatur. Tum Constantius instructis copijs lætus in Hispaniam profectus est, contra quem non minori expeditione Vallia egressus est. Cùm iam alter alteri suos vicissim mittebat legatos, tandem in hunc modum conuenerunt, vt Vallia Imperatori sororem restitueret, contraque Romani præsidia illi præstarent, quibus integram sibi ac liberam haberet Hispaniam, Vandalosque inde pelleret. Hac viâ Constantius suam adeptus est Placidiam, ducebatque exercitum suum subsidio Gothorum acerrimè aduersus Vandalos, Francos, Burgundiones, Alanos, ac Sueuos, (hi enim sese Vandalis adiunxerunt, vt Galliam inuaderent, fugerantque à Gothis cum ijs in Hispaniam) atque eò pellebant, vt Hispaniâ cedere, & in Africam traijcere coacti fuerint. Sub hæc tempora pessimè agebatur in Germaniâ armis cædibusque onustâ. Accolæ Rheni, Vandali, Sueui, Sarmatæ, Poloni, Alani, Gepidi, Heruli, Saxones, & Burgundi, sibi mutuò multum detrimenti attulerunt, agros hominesque attriuerunt, Galliam funditus deuastarunt. Immanes illi Hunni Rheni accolas miserè compresserunt, VVormatiam ac Maguntiam euerterunt, atque infinita hominum millia occiderunt. Vangiones, Nemetes, Quadi, Hedui, Argentoratini, pænè radicitus fuêre exstirpati, Galliæ detracti, ac Germaniæ adiuncti. Hac tempestate Constantinopoli vitâ excessit Arcadius, ac filio suo Theodosio Imperium Orientale reliquit.

Roma à Gothis euersa.

LXXXIII.

CONDVS REQVIRIT PROMVM.



In Occidentem dominatus est simul cum fratre XIII. annis, cumque eius filio XV. annis: in Vrbe vastatâ mortuus est.

THEODOSIVS Arcadij filius post Patris obitum Imperator Constantinopolitanus effectus est, anno CHRISTI quadringentesimo vndecimo, in illo infelicissimo totius orbis sæculo. Cùm autem eius patruus Honorius facilè animaduertisset, Rempublicam indies magis magisque ad interitum ruere, nec Barbaros modò; sed & Tyrannos alios conari Imperium hinc inde discerpere, qui omnes Prouinciarum passim Præsides erant, debebantque iure optimo Imperium defensare, animum certè omnino abiecit. Se tamen in Romano Imperio vsque continuit, ne Barbari opinarentur iactarentque eos se deleuisse, qui vniuersum Orbem sibi subiectum habere enitebantur. Ac tametsi quidem restituendæ Reipublicæ spes ei nulla erat, nolebat tamen quemquam alium Imperatoris nomine appellari. Sciebat enim ab ijs se illo tantùm nomine distare. Quamobrem generum suum Constantium, vice Stiliconis, quem tamquam Romanæ vrbis deuastationis auctorem occiderat, Prouinciarum sibi Præsidem creabat. Huic verò præcepit, vti tyrannos omnes è medio tolleret. In primis itaque profectus hic est aduersus Constantinum quemdam, qui sese in Angliâ Imperatorem fecerat, Galliamque inuaserat. Sed vbi in Galliam venisset, pugnamque aggressus iam fuisset, Constantinum ad primos impetus Arelate compressit interemitque. Eius autem filius, quem Cæsarem fecerat, Viennæ occidebatur. Eodem ferè modo Sebastianus ac Iouianus, qui Imperatores sese nuncuparant, subitò item occidebantur. Deinde & Heraclianus Carthagini confossus est. Cùm iam omnes passim tyranni ita essent interfecti, Honorius in morbum incidit, ac Rauennâ æger Romam delatus decessit. Post eius mortem Theodosius Valentinianum ex Placidiâ natum Cæsarem fecit, ac paullò pòst Augustum appellauit. Hi VVandalis totam Africam, quam vi occuparant, vltrò tradiderunt, vt sè quietos securosque imperare permitterent. Hac tempestate Rex Hunnorum Attila expeditus omnem Thraciam atque Illyricum deuastabat. Quare Theodosius sanè Legatos suos ad illos mittere cogebatur, qui, vt bello decederent, sex ijs auri librarum millia numerarent, pollicerenturque in censum libras mille quotannis. Is iam tum Romanæ Monarchiæ status erat publicus, qui haud collapsus modò penitus erat, verùm etiam Barbaris pendere vectigal cogebatur. Prô Deûm hominumque fidem, quàm subitò res mutantur humanæ! quas cùm in summo loco stare, ac velut in portu (quod aiunt) nauigare putamus, tum sanè calamitati sunt proximæ. Quis enim dixerit, Imperium Romanum, cuius olim à tam multis præclaris Scriptoribus facta est mentio, ità repentè ad istum statum fuisse collapsum? Quod Marcus Varro scribit, duodecim vultures, quos vidit Romulus, auspicium dedisse, duraturam Romam annos mille & ducentos; quamquam & hic numerus non admodum ab hac supputatione remotus sit, tamen existimo eorum interpretationem propriè ad Gensericum Vandalorum Regem pertinere, qui sub Valentiniano & Martiano Romam exussit ac planè deuastauit. Nam posteà toties vrbs capta fuit, vt omnibus tandem Barbaris patuerit. Ad postremum morbo correptus est Theodosius, ac Constantinopoli vitâ decessit. Vir sanè erat prudens, qui clementiâ ac liberalitate multos superabat. Adeò, inquam, clemens erat, vt capite aliquem damnatum ne ad portas quidem vsque educi permiserit, sed motus misericordiâ reuocauerit. Et cùm ex Consiliarijs quispiam rogitaret, quamobrem de illo supplicium minimè sumeret, qui ei insidias parasset, respondit: *Vtinam Deus faxit, vt omnes mortuos vitæ queam restituere!*

LXXXIIII.

PRÆSENTEM FORTVNAM BONI CONSVLE.



Poſtquàm cum patruo Honorio XVI. & cum Valentiniano XXV. annis Imperium adminiſtraſſet, vitam cum morte commutauit.

ALENTINIANVS non erat Conſtantinopoli defuncto iam Theodoſio, ſed in Occidente eâ tempeſtate agebat, Barbaros paſſim liberalitate ac munificentiâ pacaturus. Vt autem etiam Oriens ſuum haberet defenſorem, Pulcheria Theodoſij ſoror, priuſquàm mors eius propalaretur, Martianum ſenem ac prudentem (erat quippe pietate & pudicitiâ inſignis) accerſiuit, atque in hunc modum allocuta eſt: *Poſteaquàm Imperator vitâ functus ſit, atque ego te omnium animo meo commodiſſimum ac gratiſſimum iudicem, hoc mihi quæſo addicas velim, te meam mihi virginitatem illæſam defenſurum, quam equidem Deo ab ipſâ pueritiâ ſemper obtuli; & eris mihi Imperator.* Quod vbi Martianus iuramento quàm ſanctiſſimè promiſiſſet, Patriarcham Anatolium ipſa ad ſe cum vniuerſo Senatu vocauit, Martianumque Imperatorem creauit. Contigit autem id anno ſalutis Chriſtianæ quadringenteſimo quinquageſimo tertio. Mox Africæ Præſes Bonifacius, cùm Valentinianus Prouinciam illam Vandalis tradidiſſet, ſeſe Imperatorem fecit. Aduerſus hunc Valentinianus exercitum miſit, qui ab Bonifacio cædebatur, antequam in Africam venire potuit. Vt verò Clodius Occidentalium Francorum Rex, qui in inferiori Galliâ Belgicâ agebat, hanc Romanorum neceſſitatem accipiebat, totam ferè Galliam armis occupauit. Proficiſcebatur illæſus cum Francis ſuis ex Sicambriâ aut Geldriâ ad Oceanum vſque Occidentem verſus inter Scaldem & Sequanam, capiebatque Tornacum & Cameracum, &c. Hinc longius iter maturantes, Rhemos, Pariſios, Aureliam, atque vniuerſam denique Galliam armis ſubegerunt; itidemque ad Rhenum, Coloniam, ac Treuiros, &c. In hac regione ſuos incolas fecit, & antiquo nomine ſublato à ſuis Francis Franciam eam appellauit, quod nomen etiam nunc retinet. Fuêre olim Germani, ac Germanicè in Franciâ primùm locuti ſunt: verùm bellis populique varietate & multitudine effectum eſt, vt illorum lingua tandem fuerit mixta. Atque ita quidem Geldrenſes Franci cum his Francis in vnum populum coaluerunt. Valentinianus verò cum ijs pacem inire vel inuitus debuit, & Prouinciam illis permittere. Quâ occaſione factum eſt, vt omne Reipublicæ commodum, totumque Occidentale Imperium adeò perierit, vt illud nemo deinceps potuerit inſtaurare. Extincto itaque propè Imperio Occidentali, Attila Hunnorum Rex Dei ſe flagellum publicè aſſerebat, conabaturque Romanum Imperium penitus collapſum ſibi ſubijcere. Imperium autem dumtaxat in Scythas habebat, qui eâ tempeſtate Valente Imperatore ſuis ſedibus erant pulſi; quare horum multitudini ac virtuti fidebat. Ex Hungariâ igitur militum educebat quinquies centena millia, populum ſanè immanem aſpectuque ipſo horrendum. Vaſtabat in primis Thraciam, Daciam, Macedoniam, Mœſiam, Achaiam, ac totum ferè Illyricum. Deinde verſus Occidentem redibat, atque in Germaniam profectus, multas inſignes euertebat ciuitates, vt erat Auguſta Vindelicorum, Baſilea, Argentoratum, VVormatia, Moguntia, Colonia, Neomagium, Tongeri, ac complures aliæ. Hinc dein profectus in Galliam, regem cepit Burgundionum, ac poſteà obſedit Aureliam. Iam verò adhuc vnus Galliæ ſupererat angulus Francis minimè habitatus, vbi ſe Romanorum Dux continebat Ætius; qui apud Francos & Gothos tantum egit, vt communi manu Hunnis reſiſtere fuerint conati. Metuebat autem Attila Gothos, agebatque callidè cum eorum Rege Theoderico, vt nulla Romanis aut Francis præſidia præberet. Verùm Gothi nullâ ratione amicitiam cum Hunnis fouere volebant, adeoque ſeſe ad bellum pararunt. Vbi hæc ceteræ videbant nationes, Gothis, Francis, ac Romanis ſubſidio venêre, Ripalioni, Alani, Armoritani, Ambiani, Britones, Latiani, Saxones, Germanici Franci, Sarmatæ, & Burgundi; hi omnes, inquam, educti ſunt in campos Catalaunicos, qui Francorum ſupputatione longitudine ſunt centum & quinquaginta milliarium, latitudine verò centum & quinque. Atque vt ad bellum ſeſe parabant, Attila ſuos conſuluit aruſpices, vt, quis pugnæ huius foret exitus, dicerent. Hi ſuo more nunc hepar, nunc exta alia examinarunt, reſponderuntque, infortunium quidem illa Hunnis portendere, ſed ita tamen vt hoſtium dux ſupremus in bello ſit caſurus.

Gallia Francia dicta.

Attila flagellum Dei.

LXXXV.

OMNIA MEA MECVM PORTO.



Occidentis Imperator vltimus regnauit XXX. annis, cum Theodosio XXV. & cum Martiano V. gladio transfixus est.

VM Attila Hunnorum Rex aruſpices de morte Ætij dixiſſe ratus eſt; cuius profectò erat auidiſſimus. Nam hic Populi Romani etiamnum nomine, quod ille diutiùs ferre haudquaquam poterat, bellabat. Cogitabat etiam vel cum ſummo ſuorum detrimento manus conſerere, dummodò Ætium interficere poſſet. Itaque in Galliâ vtrimque infeſtis ſignis congreſſi ſunt; hinc à Romanorum parte Ætius, Gothi, & Franci, illinc ab alterâ parte Attila. Et teſtantur quidem hiſtoriæ numquam in Occidente tantum ab vtrâque parte exercitum, tantamque multitudinem collectam fuiſſe, perinde ac ea fuit. Pugnatum eſt à manè ad veſperam vtrimque acerrimè, tantâ animorum obſtinatione, vt nox dirimere prælium debuerit. In eo autem conflictu ceciderunt centena ſeptuaginta fortiſſimorum hominum millia; tantumque fuſum cruoris eſt, vt riuulus, qui propè erat, humano ſanguine auctus, rapidiſſimi torrentis inſtar effluxerit. Attila opinione ſuâ de Ætij morte fruſtratus fuit. Cecidit autem in eâ pugnâ Theodericus Gothorum Rex. Tum die poſtero Gothi diuiſi Hunnorum copias aggreſſi ſunt; Attilamque occidiſſent, niſi iam antè fugiſſet, ac ſe cum ſuis in ſua caſtra recepiſſet. Illo die ſe Attila in caſtris ſuis continuit; & quamquam exire minimè audebat, claſſicum tamen tubis canere non ceſſabat, quaſi qui conflictum rurſum pararet, vti eo pacto victores ſuos terreret. Thuriſmundus Theoderici Regis filius mortem patris deplorans, apud ſe ſtatuebat cum Gothis ſuis Attilam inſequi ac funditus delere. Tum Attila extrema tentans, vndique ſua caſtra clypeatis & ſagittarijs munijt: qui tantiſper Gothis reſiſtebant, donec Attila fœnum, ſtramen, atque eius generis fomenta alia facili incendio apta colligi iuſſiſſet; idque in eum finem, vt ſi Gothi forſan irrumperent, iniecto igne rogum conſcenderet, ſeque incendio abſumeret, ne viuus in hoſtium manus incideret. Verùm Ætius veritus ne profligatis Hunnis Gothi in Romanos facilè impetum conuerterent, Thuriſmundo expedire conſuluit, paternum Regnum defendere, priuſquam ceteræ nationes nitantur Hiſpaniam (quòd eius copiæ iam eſſent ex magnâ parte conciſæ) inuadere, Regnumque patris opprimere. Huius conſilio Thuriſmundus ceu vtili acquieuit, domumque reuerſus eſt. Sed pernicioſum hoc fuit conſilium. Et, prô dolor, ignarus Ætius quantâ patriam clade eo conſilio affecerit, dum cladem auertere detrimentumque omne amoliri ſtudet. Videns enim Attila hoſtem abijſſe, animum recepit, reuerſuſque in Hungariam, reparato exercitu & collectis viribus ſæuiori animo Italiam inuaſit; primoque Aquileiam fortiter obſedit, ac debellauit. Sed cùm hîc parum proficiebat, quòd ita animosè ciues ſeſe defendebant, ac iam velut ſuſurros in ſuo exercitu audiebat, nolle milites inediam diutiùs perpeti, velle ideò diſcedere, confeſtim ingenti vi atque impetu ciuitatem aggreſſus diripuit, cunctiſque cæſis incendio abſumpſit, & in cinerem redactam liquit. Hinc deinceps profectus, Concordiam, Atinam, Vincentiam, Brixiam, Pergamum, Ticinum, Mediolanum, aliaſque cepit ciuitates. Tum verò cùm iam Romæ propè adeſſet, Leo Pontifex (qui adhuc ſe in ruinosâ Vrbe continebat) in Pontificalibus ei occurrens ſupplex petijt, vt retrocederet. Huius viri imagine ac virtute Attila adeò fuit commotus, vt in Hungariam redierit. Quò equidem reuerſus, ſolemnes nuptias egit; & in primâ nocte largiter potus, ferociùs ſtertendo mero repletum ſpiritum efflauit. Valentinianus ac Martianus quocumque circumſpiciebant, cruenta omnia perditaque intuebantur. Vnaquæque gens ſuum legebat Regem. Tum item Franci imperare cœperunt in Gallijs, Hunni in Hungariâ, Saxones in Angliâ, Gothi in Hiſpaniâ, ac Vandali in Africâ, &c. Nec mentio quidem Romani Imperij fiebat. Cùm verò Ætius ad Valentinianum rediret, ab eodem confoſſus eſt, quòd receptũ Gothis perſuaſiſſet. Tum etiam Valentinianus ab Maximo Ætij amico occiſus eſt. Hic appellabat ſe Imperatorem Romanum, cœpitq; imperare cum Eudoxiâ Valentiniani vxore, atq; ingentem hominum multitudinem Romam conuehebat, vti Vrbem inſtauraret. Poſteà verò Vandali cum Rege Genſerico ex Africâ magno impetu in Italiam profecti ſunt. Quâ re territus Maximus cum optimis quibuſq; potentiſſimiſq; fugere conatus, in ipsâ fugâ occiſus eſt: atque omnes ferè ex Vrbe fuerunt profligati. Vandali Romam inuaſerunt, quæque poterant diripuerunt, homines captiuos abduxerunt; & quidquid inſtaurare cœptum fuit, deiecerunt. Hac tempeſtate etiã MARTIANVS Conſtantinopoli in ſeditione fuit interemptus.

LXXXVI.

QVAMDIV PACATE VIVERE LICET, NON EST PRINCIPI DECORVM VT ARMA SVMAT.



Vnà cum Valentiniano v. annis, ſolus II. Orientem rexit: à tumultuarijs occiſus.


EO Tribunus militum Imperator in locum Martiani eligebatur, ac Conſtantinopoli ab Anatolio Patriarchâ coronabatur, poſt natum CHRISTVM anno quadringenteſimo ſexageſimo, qui filium ſuum Leonem Imperij conſortem fecit. Iam res Italicæ peſſimè ſeſe habebant. Vandali, relictâ Româ, per Campaniam diſperſi cuncta ferro incendioque vaſtabant; Capuam oppidum nobile, fortemque Nolam euertebant. Neapolim, dum fortiter erat munita, inuadere non potuerunt, ſed foris cuncta ſunt depopulati. Genſericus autem illorum Rex, vbi multas in Italiâ collegiſſet opes, prædâ onuſtus Africam repetijt, ſecumque Eudoxiam vnà cum duabus filiabus ac multis alijs captam abduxit. Tum multi ſe in Italiâ Cæſares appellarunt. Quiſquis vel aliquantò ceteris potentior erat, hic Auguſtum ſe conſalutari permittebat. Ex his vnus nomine Maioranus haud longè ab Rauennâ agens, breui tempore ad oppidum Dertonam necatus eſt. Hinc Seuerus Rauennæ Auguſtum ſe nominari volebat, ſed breuî item Romæ ſepultus eſt. Horum tertius Leo appellatus nonnullos conuocabat, ac Nouitios equites nominabat, à quibus & ipſe Imperator electus eſt. Hic Antonium quemdam Cæſarem creabat, mittebatque Romam in Imperium. Seruandus, qui & ipſe Imperator eſſe voluit, ab Antonio profligatur. Romanus etiam libens, vt ceteri, Imperium affectaſſet; quamobrem ab Antonio fuit interemptus. Anthemius vt patritius Cæſar ab Leone vero Orientali Imperatore Romam mittebatur, vt tyrannos propelleret. Genſericus verò hoſce motus intelligens, rurſum tempus eſſe experiundi fortunam cogitabat, Italiamque iterùm ingenti Vandalorum multitudine inuadebat. Verùm Anthemius contrà profectus, vi ipſum repulit, populumque & naues multas diſiecit. Genſericus rurſum fugiebat in Africam. Dehinc tyrannus exſtitit quidam Richimer. Hic Romam profectus, eam cepit, Anthemiumque ad pontem Ælium in fruſta ſecari iuſſit. Proinde & hic menſe tertio ſuæ tandem tyrannidis pœnas luit. Intereà Patritius quidam opulentus, Aſper nomine, Imperium cepit; ſed mox ab Olibrio necabatur, qui in Anthemij locum ab Leone erat miſſus. Verùm nec Olibrius diu admodum ſuperſtes fuit. Tum Licerius Rauennæ Imperator effectus eſt. Sed non multò pòſt ab Nepote inſtructo exercitu Regno pellebatur; qui tum ipſe Imperiale nomen ad ſe rapuit. Iam verò Leo, poſtquàm eius filius obijſſet, Leonem nepotem ſuum ex filiâ Ariagnâ & Zenone natum Imperatorem fecit. Baſiliſcus Cæſar creabatur, mittebaturque in Africam, vt traiectionem Vandalorum in Italiam impediret. Intereà ſenior Imperator Leo vitâ deceſſit. Tum Baſiliſcus Imperator publicè declarabatur. Hic ſuo cum exercitu Romam profectus, confeſtim in Baſilicam D. Petri fugam cepit: cumque Imperiale diadema altari impoſuiſſet, vnà cum vxore Zenobiâ vti baptizaretur, feſtinauit. Sed Conſtantinopoli Zeno rerum potitus eſt. Nam Leo ob ætatem iuuenilem huic Zenoni vitrico ſuo Imperij coronam imponebat. Hac tempeſtate Chriſtiana fides primò in Galliâ prædicari cœpta eſt. Nec ſanè multo pòſt Clodoueus quintus Francorum Rex in Galliâ ab Antiſtite Remigio baptizatus eſt occaſione inſignis cuiuſdam victoriæ, quâ potitus fuiſſet in Germanos, qui Franciam inferiorem ſeu Galliam Belgicam inuadebant vaſtabantque. Hic Clodoueus Inſignia Gallica, tres nimirum bufones, in tria aurea lilia mutauit. Inſcriptionem huius nummi equidem non vidi: facilè tamen illud colligi poteſt, nomen iunioris Imperatoris in vacuo fuiſſe ſcriptum.

LXXXVII. LXXXVIII.

AMICVM POSSIDE, VT INIMICVM FIERI PVTES.



Imperio præfuerunt XVI. annis; vterque naturali morte occubuit.

ENO Imperator Constantinopoli creatus est, anno post CHRISTI natiuitatem quadringentesimo septuagesimo sexto, homo non minùs vultu quàm moribus deformis. Basiliscus autem extrema Italiæ linquens, Orientem versus cum suis profectus est. Quo quidem cognito, Zeno fugam adornauit, nec voluit vti ciuitas detrimento aliquo nomine suo afficeretur. Hac fugâ gauisus Basiliscus, filium suum Marcum se iuxta Cæsarem fecit. Verùm Constantinopolitani nec ipsum nec filium admittebant, quin Zenonem potiùs à fugâ retrahebant, subsidiaque illi præstabant, vt patrem ac filium Regno pelleret. Nepos, cuius suprà mentio facta est, Rauennæ se continebat. Sed cùm Basiliscus Romam deseruisset, iamque rem in Oriente cum Zenone haberet, Nepos Romam petijt, ratus Occidentale Imperium se restituturum; adeoque in Italiæ ingressum Tribunum suum misit Orestem, qui Barbarorum siue Orientalium Imperatorum accessum prohiberet. In itinere Orestes filium suum Augustulum Rauennæ Cæsarem creabat. Quod vt Nepos intellexisset, hinc in Dalmatiam, quòd Oresti eiusque filio resistendi consilium habebat nullum, aufugit. Tum Imperiale diadema Rauennæ adeptus Augustulus, pacem sibi cum Vandalis in Africâ conciliauit, sperans vel hac ratione rerum se deinceps potiturum. Hinc Odoacer Hunnorum Regis Dux vltimis Hungariæ finibus egressus est, vt Romanum nomen penitùs deleret, Italiamque ipse habitaret. Iam verò cùm per Noricos campos Germaniam peteret, audiretque Seuerinum, virum esse pium ac beatum, qui eâ tempestate istic agebat; ipsum tandem adijt Odoacer, vt benedictionem ab eo susciperet. Cùm ex Seuerini cubiculo ad suos se reciperet, ceruicemque incuruaret, ne caput in limen impingeret, (erat quippe vir staturâ admodum procerâ) in hæc verba virum beatum sibi loquentem audiebat: *Iam pete Odoacer Italiam, iam proficiscere vili hirsutâque veste indutus, mox ditior apud plurimos æstimaberis.* Hoc autem vaticinium res ipsa secuta est. Imperauit enim in Italiâ annis quatuordecim continuis. Mox vt in Italiam venit, hunc contra Orestes profectus est ad Liguriæ fines. Verùm vbi animaduerteret fieri haudquaquam posse, vt tantæ multitudini resisteret, extemplò sese Ticinum (quod oppidum hodie Papia dicta est) recepit. Hîc, vrbe captâ, cum multis alijs ab Odoacro interfectus est. Posteà autem Hunni totam Italiam cædibus incendijsque deuastabant. Quod quidem vt Augustulus intellexit, metu perculsus, abiectâ purpurâ, Imperator dici ampliùs recusauit. Atque ita sanè Româ est fugâ elapsus, ceterique Italiæ incolæ aufugerunt, ac patriam hostibus Barbaris permiserunt. Hinc profecti in insulam sunt, vbi Venetias posteà condere cœperunt. Odoacer verò vt fortunam sibi arridere animaduertit, confestim dignitatem affectauit regiam; Romamque profectus, annis imperauit quatuordecim, nec fuit qui huic vel contradiceret. Tum Zeno Gothorum Regem Theodericum Constantinopolim ad se accersiuit, promisitque eidem vniuersam Italiam. Quem venientem honorificè vt filium excepit, voluitque ei vt Consulum fasces (qui honos tum erat maximus) præferrentur. Etiam statuam illi ante palatium vnà cum equo collocauit. Posteà verò cum incredibili Gothorum multitudine Italiam ingressus est, quem contra Odoacer cùm ingentem exercitum eduxisset, facta vtrimque pugna est haud sanè incruenta. Pugnabat Theodericus fortissimè; & cùm hostes prælio fugasset, priorem cepit expeditionem, ac Veronam rursus properanti obuiàm iterùm Odoacer profectus est. Hîc secundò Theodericus Odoacri exercitum fugauit. Post ingentes cruentasque cædes Theodericus Veronam inuasit; ac fugientes Gothos insequens, Odoacrum Rauennæ triennio obsedit: vrbe tandem captâ Odoacer crudeliter ab ipso excarnificatus est, totamque Italiam inuasit, ac Veronam de suo nomine Theodericam Veronam appellauit. Atque hinc quidem commixtis Hunnorum ac Gothorum linguis, Latina lingua planè interijt. Zeno Imperator Constantinopoli vitam finijt: cuius frater Longinus Imperium quidem affectauit, sed ei prælatus est Anastasius.

LXXXIX.

INGENTI NODO CVNEVS IVNGETVR ACVTVS.



Cùm Orientalibus XVI. annis imperaſſet, Gothiſque Occidentales voluntariè tradidiſſet, obijt.

NASTASIVS Ariagnæ prædicti Zenonis vxoris operâ ad Constantinopolitanum Imperium euectus est, anno CHRISTI quadringentesimo nonagesimo tertio: quare & Ariagnam sibi matrimonio iunxit. Hic Clodoueo potentissimo Francorum Regi munus aureum oppidò quàm pretiosum dono misit, quòd ciuitates quasdam Arianâ hæresi infectas ad pristinam saniorem que religionem reuocasset. Verùm eâdem illâ hæresi & ipse tandem inquinatus est per Achaium Patriarcham Constantinopolitanum. Intereà verò, dum Theodericus potenter ac pacificè in Italiâ imperabat, ac multa Romæ magnificaque ædificia in regio palatio exstruebat, fœdus cum Rege Clodoueo percussit; cuius item filiam Adelphedam vxorem duxit. Tum Vandali animum ad Imperium Constantinopolitanum adijcere cœperunt, nauibusque crebrò ex Africâ in Thraciam cum maximo regionis detrimento profecti sunt, ita vt Anastasius necessitate coactus damnosam sibi pacem cum ijs inire debuerit. Pòst item multa prælia aduersus Sabinianum & Mondonium in Sclauoniâ gessit, ac deinde contra Pompeium prope Adrianopolim. Sic etiam aduersus Aristum ac Parthos in Syriâ, & posteà contra Vitellianum ad Aquilonem, qui omnes Orientale Imperium affectabant. Quamplurimum negotij etiam cum Bulgaris habuit, qui item eius Imperium opprimere conabantur, diripiebantque Macedoniam, Thessaliam, atque Epirum. Victoriâ tamen non sine sanguine potitus est. Hanc circa tempestatem Romæ ingens religionis schisma fuit; idque Symmachi ac Laurentij nomine, qui ambo diuersis suffragijs Pontifices Maximi erant creati. Cuius equidem rei occasione multæ cædes Romæ commissæ sunt tam inter Sacerdotes quàm laicos, donec Theodericus Rex Romam reuersus Concilium (quamquam hæreseos erat Arianæ) habuit, in quo Symmachus in Romanum Antistitem fuit confirmatus, ac Laurentius Nuceriæ Pontifex institutus, qui non cessauit vel quotidianos excitare tumultus. Ob quam sanè caussam à Symmacho Pontificatu motus, in Dalmatiam relegatus est. Cùm verò iam Anastasius in Arianâ hæresi perseuerabat, Papa Hormisda (qui post Symmachum electus erat) Eunodium Papiensem Episcopum cum aliquot Christianis alijs ad ipsum misit, vt illorum monitis ad fidem rediret Catholicam. Ceterùm non solùm monita dogmataque eorum derisit, sed magnâ etiam contumeliâ ex conspectu suo illos secedere iussit. Deinde in fractâ naui eos collocauit, præcepitque non anteà in terram exirent, quàm è suo Regno in Italiam fuissent reuersi. Item Pontifici nuntiarent, Imperatoris munus esse imperare & iubere, non aliorum iussis obedire. Haud multò pòst fulmine ictus interijt.

X C.

HABET SVVM VENENVM BLANDA ORATIO.



Orientem possedit XXVII. annis; fulmine ictus perijt.

IVSTINVS, post natum CHRISTVM anno quingentesimo decimo nono, à militibus Constantinopoli Imperator electus est, cùm mortuo Anastasio ad Senatum properaret. Erat autem hic adeò ignobilis, vt suum custos ac deinde boum fuerit. Tandem ad militiam se contulit: in quâ tam promptè tamque fortiter versatus est, vt ad extremum Princeps Ordinis effectus sit. Hac verò vsus calliditate Imperium adeptus est: Amantius vir sanè ditissimus ad eum venit, magnam vim pecuniarum secum ferens, orauitque, vt eam in toto exercitu ductoribus & militibus præcipuis partiretur, ac promisit insuper ei multa, si se Imperatorem milites legissent. Iustinus accepit pecuniam non ad votum Amantij, sed suum, atque ipse pro se suffragia cautè emit, vt ipsum Imperatorem legerint. Amantius omnem mouebat lapidem id ipsum callidè vlciscendi, parabatque Principi insidias. Quod vt Iustinus accepisset, ipsum cum socijs suis interfici iussit. Iustinus hic Christianæ religionis erat obseruantissimus, omnemque cùm primis operam dabat, vt Arianorum nomen radicitus exstirparet, ac Constantinopoli pelleret. Quod Theodericus Gothorum Rex summoperè contemnens, hac de caussâ Boëtium & Symmachum, cum ijs omnibus qui aduersus Arium stabant, in exsilium Româ exegit. Deinde Ioannem Pontificem Maximum eâ tempestate ad Iustinum misit, qui nuntiaret vti Arianis sua templa restitueret; sin nollet, gladio se omnes in Italiâ Christianos interempturum, idque adeò vt vel infans in matris vtero eius nomine plectendus sit. Intereà dum legatus etiamnum in itinere esset, Boëtium ac Symmachum ferro truncari iussit. Cumque Pontifex redijsset, in carcere ipsum fame consumpsit, non obstante tamen, quòd Iustinus eius votis satisfecisset. Verebatur enim, ne Romam, Imperiumque vniuersum, aut dolo aut vi ad se raperent, cùm optimè inter sese conuenirent. Sub id temporis cùm Alaricus, qui in Hispaniâ Gothis præerat, à Francis in bello fuisset interemptus, Theodericus in Vasconiâ per Hibbam vno tempore supra triginta Francorum millia fudit, ac Thiodem Equitem post Alarici obitum tutorem & præsidem Almarici nepotis sui constituit. Haud multo tempore pòst naturali morte occubuit anno Principatus sui trigesimo octauo. Post ipsum autem, Gothorum Imperium in Italiâ Athalaricus eius ex filiâ nepos obtinuit. Iustinus vbi Theoderici sæuitiam in Pontificem aliosque accepisset, dolore ac senio consumptus Iustiniano sororis suæ filio Imperium tradidit. Erat autem hic vir acutus, peritus, consilijs promptus, verus, atque in iudicijs oppidò quàm iustus. Hac sanè tempestate Imperij gloria aliquantulum fuit ampliata: habebat siquidem Principes duos longè prudentissimos fortissimosque, Belisarium & Narsetem, qui multa ac præclara facinora commiserunt. Primùm enim Persas aggressus Belisarius deuicit, atque Imperatoris permissu Constantinopolim triumphans reuersus est. Pòst mittebatur in Africam nonaginta & sex annis à Vandalis occupatam, vt eam recuperaret. Ingentem hîc hominum multitudinem fudit, Regem eorum captum Constantinopolim misit; deinde & Carthaginem atque vniuersam Prouinciam Imperio restituit. Intereà Iustinus senior Imperator obijt, postquam Iustinianus cum eo Imperium administrasset mensibus quatuor.

XCI.

CVIVS PVDET, PIGEAT.



Auguſtus per VIII. annos & IIII. menſes fuit; deinde decrepitus naturæ conceſſit.

VSTINIANVS cognomento Magnus, ob ingenij animique magnitudinem sic dictus, vir erat ſanè acutus, fortunatus, & omnibus rebus pænè mirabilis. Imperium autem adeptus eſt anno poſt CHRISTVM natum quingenteſimo viceſimo ſeptimo. Poſtquam iam virtute & operâ Beliſarij vniuerſam Africam & Aſiam recuperaſſet, etiam de reparandâ Italiâ cogitabat, ſperabatque per eundem è manibus Gothorum eam vindicaturum. Huc item occaſio accedebat, quâ Francos ad ſubſidium hortabatur, eiuſmodi: Athalaricus Theoderici ex filiâ nepos, vbi iam diu in Italiâ Gothis præfuiſſet, repentè occubuit. Huius mater Amalaſuntha ex regiâ Francorum ſtirpe oriunda tradidit Imperium cognato ſuo Theodato. Sed immemor hic accepti beneficij, per dolum eam in balneo interfici iuſſit. Hinc Iuſtinianus Francos ad præſidia præſtanda facilè pellexit, admonuitque eos ſuæ cladis, quam à Gothis etiam accepiſſet. His moti Franci, præſidia Cæſari addixerunt, ac Beliſarium Iuſtinianus miſit in Italiam contra Gothos. Iam verò Theodatus Gothorum Rex in ſuſpicionem incidit, quòd Beliſario non reſtitit, quaſi proditurus eſſet Gothos. Quâ quidem de cauſsâ illi Vitigem extemplò in Regem ſuffecerunt; cuius iuſſu necatus eſt Theodatus. Hic copias eduxit aduerſus Beliſarium inſtructiſſimas hominum ſupra ducenta millia, paruitque Pontifici Romano Liberio, ac profectus eſt Rauennam; ſed hinc cruentâ pugnâ repulſus eſt. Beliſarius intra mœnia Romanæ vrbis ſe continebat, quam ad integri ferè anni ſpatium Vitiges obſidebat; & ingens fames non erat Romæ tantùm, ſed in totâ etiam Italiâ. Fugientes autem Gothos ob magnitudinem famis, palanteſque paſſim ſine ordine inſecutus eſt Beliſarius, proſtrauitque, & circumuentum per inſidias cepit Vitigem. Ceterùm Gothi interim deleri prorſus non potuerunt; ſed conſtitutâ cum illis pace, per Iuſtinianum permiſſum eſt, vt regiones ab Alpibus ad Padum vſque inhabitarent, & vltra eas non progrederentur. Reuocabat igitur Iuſtinianus poſt deuictam Neapolim & Siciliam Beliſarium. Nam timebat ne Cæſar conſtitutus, Italiæ Imperium ſibi vſurparet; quamquam interim fidus in agendis rebus Beliſarius nihil tale moliretur. Itaque reuerſus Conſtantinopolim, Vitigem Gothorum Regem captum & alios ex potentiori nobilitate ſecum in ſolemni triumpho ducebat. Intereà, poſt diſceſſum Beliſarij, Rex creatus eſt à Gothis Totilas; atque arma rurſum ceperunt, vt Totilas magnâ cum laude apud Placentiam octoginta Gothorum millibus fuderit hoſtium ferè ducenta millia. Hinc Romam profectus, poſt longam obſidionem cepit eam atque diripuit; & in primâ oppreſſione multi homines ſunt trucidati. Ceterùm ob interceſſorias preces Pelagij Papæ præcepit Totilas parcendum deinde humano ſanguini, neque etiam ſtuprum inferendum vlli feminæ. Sed & Vrbe excedere iuſſit ciues omnes, alioque in loco habitare; ac ſtatim muris & turribus, præter Pantheon, ſolo adæquatis, Vrbem incendi ac concremari mandauit. Totilas hinc Calabriam petijt; ac captis multis oppidis Rauennam proficiſci decreuerat. Intereà verò Beliſarius venit in Vrbem iam vndique patentem, curauitque mœnia reparari ac reſtitui, circumductâ etiam foſsâ modo militari dierum ſpatio viginti ſex. Tum reuerſus Totilas Romam rurſus obſedit: ſed Gothos Beliſarius in fugam egit. Non multo autem pòſt Beliſarius iterùm Conſtantinopolim fuit reuocatus: fecitque vt prudentiſſimus rei militaris; ac de Imperio Italiæ retinendo planè diffidebat. Iuſtinianus Duci huic fideliſſimo fortiſſimoque, vt Conſtantinopolim redijſſet, ex leui admodum ſuſpicione citra culpam oculos iuſſit erui; & profligauit eum, vt mendicando cibum quærere cogeretur: tandemque vt calamitoſiſſimus mendicus obijt. Tum Romam Totilas reuerſus, caſtra in Vrbe locauit. Sed Iuſtinianus aduerſus Totilam miſit in Italiam ſingulari prudentiâ Principem Narſetem. Haud multo tempore pòſt Iuſtinianus vitâ deceſſit, Imperiumque Iuſtino reliquit.

Roma deuaſtata eſt, & exuſta à Gothorum rege Totilâ, anno ab Vrbe conditâ M. CC. XCIX.

XCII.

A BONIS BONA BENE.



Vbi XXXVIII. annis gloriosè imperaſſet, legeſque ac iura conſtabiliuiſſet, vitâ defunctus eſt ætatis ſuæ anno LXXII.


VSTINVS, qui etiam à teneris annis armentarius suibus agendis operam dedisset, Orientale Imperium suscepit anno CHRISTI quingentesimo sexagesimo quinto. Hic Iustiniano planè erat dissimilis, improbus, tenax, prædator, veterum Consiliariorum expulsor, tandem etiam (vt summatim dicam) Dei pariter hominumque inimicus. Pauperes medullitus exsugebat, Senatus amicos bonis spoliabat, cistas ferreas sibi confici curabat, in quas aurum illud argentumque conueheret, quod à miserâ plebeculâ per fas & nefas vndique corradebat. Denique tantâ captus fuit habendi cupiditate, vt mentis impos in furorem inciderit. Quare eius vxor Sophia Imperij gubernacula administrare debuit. Hac tempestate Narses Vrbis Præfectus (quem Exarchum nominabant) Totilam Gothorum Regem bello deuicit, Gothosque ita omnes Italiâ non sine ingenti cruore expulit. Quo facto Romam hic recuperauit, ipsamque ad pristinam formam ædificijs cœpit instaurare. Atque is quidem exitus fuit regni Gothici apud Italos: profectique hinc sunt in Hispaniam ad Gothos alios, vbi potentiores effecti, ad hæc nostra vsque tempora perdurarunt. Narses etiam Bucellinum Francorum Ducem (qui ab Rege Galliæ erat subornatus vt Italiam inuaderet) interemit, ac Sindoaldum Brendorum Regem (qui ex Hunnorum stirpe, quos Odoacer in Italiam duxerat, solus adhuc supererat) cepit, captumque ex altâ trabe suspendit. Postquàm triennio iam Romæ Narses imperasset, Sophia Iustini vxor eò adulatorum ac seditiosorum ciuium instinctibus persuasa fuit, vt Narsetem contumeliosè domum reuocarit, idque hoc pacto: Scripsit vt ad pensa muliebre opus rediret. Tum Narses respondebat aptaturum se illi pensum eiusmodi, quod dum viueret, absoluere haud posset. Hinc indignatus legatos misit ad Gothos (qui in Saxoniâ, Austriâ, ac Sueuiâ annis habitarant centum, & quorum auxilio delendis Gothis ac Totilæ antè vsus fuerat) eosque in Italiam accersiuit. Hi cum vxoribus & liberis expediti cùm in Alpes conscendissent, atque Italiam procul conspexissent, vxorum capillos à capite ad genua religarunt, galeisque impositis arma ijs in manus suppeditarunt, atque vt hostibus terrorem incuterent, copias suas istiusmodi fraude auxerunt. Vt ergo in Italiam sese dimisissent (tantâ autem se multitudine præcipitarunt, vt ad apium examen essent comparandi) vulgò ab Italis mixtâ linguâ Longobardi sunt appellati ob comæ prolixitatem, quæ instar barbæ mulieribus ad genua dependebat. Atque ita quidem per Sirmium ac Venetorum Prouincias profecti, primò Insubriam vi inuadebant, atque omnes deinde ciuitates Galliæ Cisalpinæ ab Bononiâ ad Papiam vsque. Rex verò horum Alboinus sedem suam figebat Mediolani, ipsaq; Regio ab his appellabatur Longobardia. Post triennium Alboinus regiam sellam transferebat Veronam, occupabatque totam Hetruriam ac Tusciam vsque ad portas vrbis Romæ. Longinus quispiam, qui ad resistendum Narseti & Longobardis missus erat, agebat Rauennæ, seque Exarchum faciebat. Hæc enim dignitas his temporibus recens originem cepit, cùm Roma, Imperiumque Occidentale nullum habebat Cæsarem. Proinde tum omnem Roma perdebat magnificentiam; plurimumque annis centum sexaginta, dum Exarchatus hic vigebat, varijs tyrannicis Exarchis concussa vexabatur: idque adeò, vt ciues sæpiùs Vrbem linquere, ac feris inhabitandam deserere fuerint coacti. Exarchus hic aulam suam alebat Rauennæ, nec vmquam proficiscebatur Romam, quam vt ceteras ciuitates censebat. Quo factum est, vt amplitudo Romana, vsque ad Carolum Magnum, Ducatus tantùm, atque is quidem sub Exarcho Rauennæ, sit appellatus. Intereà Iustinus podagrâ grauiter laborare cœpit: quamobrem Senatum & Patriarcham ad se conuocauit; ac Tiberium, qui præfectus erat vigilum, in Cæsarem adoptauit, vsusque est oratione huiusmodi: *En, fili, Deus tecum egit optimè: Imperium hoc tibi tradidit; quod, vt te Deus honestet, tibi sit honori: nec in delicijs habeas sanguinem fundere, néve malum malo rependas. Nequitiâ in hostes mei similis ne esto. Vestes hæ caue te superbum reddant, vt mihi accidit. Memineris semper qui fueris anteà. Hi omnes tui sunt filij ac famuli: hos cùm inspexeris, eos te inspexisse credito, quibus Respublica curæ est.* Atque ita quidem obijt.

Longobardi vnde sic appellati.

Exarchatus dignitas.

XCIII.

NON BEATVS, QVI SE BEATVM NESCIT.



Ab XI. annis ſui Imperij pedum intolerabili cruciatu perijt.



IBERIVS anno CHRISTI quingentesimo septuagesimo sexto Orientale Imperium adeptus, Imperatorium diadema ab Euticio Patriarchâ suscepit. Accersiuit item coniugem suam Anastasiam, fecitque & ipsam coronari. Quod vt Sophia Iustini vxor accepisset, animo fuit oppidò commota. Ignorabat enim Tiberium vxorem habuisse; quin huic se nupturam sperabat, ideoque Imperatricem permansuram. Sunt autem, qui Iustino etiamnum viuente ipsam cum Tiberio rem habuisse referunt, eoque Iustinum verbis impulisse, vt Tiberium adoptaret. Iam verò cùm hic vt Princeps verè Christianus, immensas opes à Iustino malè partas, ac ferreis arculis inclusas, pauperibus erogaret, crebrò ipsum Sophia obiurgauit, inquiens: *Quem multis ego annis thesaurum collegi, breui tu tempore exponis.* Cui sic ille respondit: *Equidem Deo istud planè confido, numquam fiscum regium pecuniæ inopiâ laboraturum. Nam pauperes subleuare eleëmosynis, magni instar thesauri est: captosq; è vinculis asserere, ingens est misericordia.* Sophia autem aliunde rimabatur, quò Tiberium infestaret. Iustini enim nepos etiamnum erat in viuis, quem ad Imperium promoturam se cogitabat. Verùm res parum successit, atque ipsa Imperiali aulâ exacta est; sed Iustinianus apud Tiberium semper in pretio fuit. Quadam verò die cùm fortè Tiberius in aulâ obambularet, lapidem in pauimento conspexit, cui Crucis signum erat insculptum: quare ita astantibus inquiebat: *Fas est frontem pectusq; Cruce consignare, atque en pedibus eam conculcamus.* Iussit itaque lapidem sustolli, sub quo & alius erat eâdem Cruce insignitus; quo item sublato & tertius inuentus est. Hunc simili modo etiam sustulerunt, mirati quidnam res ea portenderet. Tum eo in loco ingens auri thesaurus repertus est: quo sumpto, Tiberius multa sextariorum frumenti millia in Ægypto emit, ac nauibus in Italiam transmisit. Eo siquidem tempore Longobardi cuncta Italiæ loca passim depopulabantur, maximaque erat Romæ penuria; quare solitâ suâ motus misericordiâ ijs opem tulit. Sed nullâ contra Longobardos felicitate vsus est. Rex Clophis post mortem Alboini Romam arctè obsidebat; cepissetque, ni à quodam è proximis suis confossus fuisset. Porrò dum Clophis magnâ tum in amicos tum in hostes crudelitate vtebatur, Regem ampliùs habere Longobardi noluerunt; sed Italiâ inter se diuisâ, triginta crearunt Principes, qui omnia passim oppida vnius anni spatio subigebant, exceptâ Româ ac Rauennâ. Huius Tiberij Imperatoris virtus tam longè lateque innotuit, vt eius amicitiam multi Reges ambierint. Herpericus Francorum Rex legatos suos ad ipsum mittebat, multis insignibusque donis onustos, aureisque nummis eiusmodi, quorum solidus faciebat libram: in altero latere effigies erat Imperatoris cum inscriptione huiusmodi: TIBERII CONSTANTINI PERPETVI AVGVSTI. in altero verò currus Triumphalis cum equis quatuor, illiusque effigie qui currum agit, cum inscriptione huiusmodi: GLORIA ROMANORVM. Verùm in tertio Principatus sui anno induciæ inter Persas ac Constantinopolitanos exspirarunt. Quamobrem Indi legatos suos ad Cæsarem miserunt, atque hic vicissim suos ad Aretam Indorum regem. Hi cùm ingenti cum exercitu ad ipsum maturarent, Mauritium iuuenem fortissimum multis copijs hos contra misit. Hic Persas vnico conflictu fudit, victoriâque potitus domum reuersus est, honorificeque à Tiberio exceptus. Constantiâ filiâ in matrimonium datâ, consortem illum Imperij fecit. Intereà Romæ Narses vitâ functus est, qui cisternam auro onustam heredibus reliquerat; quæ Tiberio à sene quodam demonstrata fuit. Tum Tiberius quosdam mittebat Romam; atque effractâ cisternâ tantum auri argentique in eâ inuentum est, vt multos dies in hauriendo insumpserint. Quod quidem omne pauperibus partiebatur. Erat enim vir planè pius; & quò maiora erogabat, eò certè plura possidebat: opes illi vndique adfluebant. Alium præ se contemnebat neminem, omnes amicè suscipiebat; quare æquè omnibus gratus acceptusque fuit. Cùm iam senio confectus viribusque esset destitutus, nec diu se superuicturum sentiret, Imperij gubernacula genero suo Mauritio tradidit cum istiusmodi præceptò: *Da operam, illud ames, quod æquum ac rationi est consentaneum.* Quod vbi dixisset, repentè occubuit, non sine lacrymis & luctu vniuersi populi, ob incredibilem eius pietatem ac clementiam.

XCIIII.

VIRTVTEM PRÆ OMNIBVS COLITO.



Regno per VII. annos piè adminiſtrato, fato conceſſit.

AVRITIVS Cappadox, humili loco genitus, Orientalis Imperij gubernacula suscepit anno natiuitatis CHRISTI quingentesimo octuagesimo tertio. Cùm iam post mortem Clophis decem annos Longobardi absque Rege subiecti Ducibus fuissent, tandem Atharim Flauium Regem sibi crearunt: cuius sanè successores Flauios deinceps ab hoc Rege nominarunt. Iam pellere Italiâ Longobardos conabatur Mauritius: atque vt commodiùs fieret, hac de re egit cum Sigisberto Rege Franciæ. Hic ingenti conscripto exercitu Italiam instructissimus petijt; sed hinc ipsum Longobardi repulerunt. Hac victoriâ audaces effecti, elatique animum recipiebant: proficiscebanturque ad mare vsque Siciliæ cuncta passim depopulantes, Româ dumtaxat exceptâ, quam post longam diutinamque obsidionem vincere haud poterant. Mauritius creabat Exarchum nomine Romanum, ad quem pecuniæ militumque vim mittebat ingentem, vt Longobardos Italiâ exigeret. Verùm hic clàm ab Longobardis stabat, nec erat suo Principi fidus, quare in se Exarchatum reddebat scelestum. Diuersi eâ tempestate in Italiâ exoriebantur motus. Hunni ac Sclaui eam itidem inuaserunt: sic & Longobardi magnam exercebant crudelitatem. Præterea quatuor erant Rauennæ Exarchi, Gallinicus, Balduinus, Smaragdus, & Romanus. Hi sub specie auxilij ac defensionis spoliabant tam amicos quàm hostes. Nec verò aliud in totâ erat Italiâ quàm rapere, furari, spoliare, cuncta incendijs ac cædibus absumere; idque absque aliquo titulo iuris. Huiusce temporis calamitatem maximoperè questus est Imperatori Papa Gregorius. Mirabatur Ecclesiam in tanto constitutam esse periculo, nec securum quemquam ab incursu idololatrarum Barbarorum reperiri; seque plus detrimenti, cædium, rapinarum ab ipsis Exarchis amicis pati debere, quàm ab hostibus Longobardis. Ceterùm Gregorio solamen nullum. Ad hæc Mauritius vir erat supra modum tenax, qui magis cumulandis thesauris, quàm Imperij commodo operam dabat. Hic primùm militibus sua retinebat stipendia, cœpitque vnumquemque tondere ac deglubere: quin in Italiâ nihil non ad se rapiebat. Quidquid alicunde corradere potuit, id omne Rauennam conuehi præcipiebat. Gregorius militibus rebellibus Romæ commeatum præbere debebat, vt tumultum auerteret. Litteras hic ad Smaragdum dabat, in quibus Imperatorem grauiter accusabat. Hinc Imperator atque Exarchus Gregorio ciuibusque Romanis hostes effecti, Longobardos ad Romanæ vrbis oppressionem hortati sunt. Tum Agilulphus Longobardorum Rex exercitu parato instructoque ita subitò Romam opprimebat, vt minimùm abesset quin Pontifex atque optimi quique cæderentur. Hinc Roma annum perpetuum obsidebatur. Iam verò cùm Mauritius secum cogitaret perpenderetque, quemadmodum Deus vnicuique iuxta merita mercedem tribuat, atque illo cogitatu altiùs dormiret, per nocturnam quietem visionem conspexit ad portam palatij æneam, vocemque audiuit horrendam, quæ ita aiebat: *Vbinam vis tibi rependam quidquid in me mali admisisti, hîcne, an illic?* Respondebat autem: *Mallem equidem, Iudex æquissime, hîc peccati pœnas, si fieri posset, luere, quàm illic.* Vox rursum ita loquebatur: *Trade Mauritium cum suâ prosapiâ militi Focæ.* Mauritius itaque somno experrectus, Philippicum generum suum (quem Imperium affectare ipse diu suspicatus erat) accersiri iubet. Sed hic vbi suspicionis caussâ mortem certò timeret, coniugi suæ Gordiæ Imperatoris filiæ tamquam minimè rediturus valedixit; itaque ad Imperatorem adijt, & ad genua eius in cubiculo supplex procubuit. Imperator autem sic loqui exorsus est: *Ignoscas mihi, obsecro te, tibi enim peccaui, ac modò certus sum te nihil in me molitum fuisse. Proinde nostine aliquem in exercitu Focam? hunc mihi indices velim.* Tum respondebat Philippicus, ipsum Procuratorem ab exercitu, & qui commeatui præesset, electum fuisse, hominem esse meticulosum & minimè metuendum. Tum subijciebat Mauritius: *Si est timidus, est homicida.* ac somnium Philippico enarrabat. Posterâ nocte cometa visus est aspectu horrendus. Hinc in exercitu seditio confestim subsecuta est, in quâ milites Focam legerunt Exarchum, clypeisque impositum subleuarunt, vociferantes in hunc modum: Horribile Imperatori non parêre, horribilius eidem parêre. Cùm iam omnia Constantinopoli perturbari cœperunt, ac Theodosius Mauritij filius cum aliquot cognatis è castris ad Mauritium confugiebat, mutatâ hic veste cum vxore ac liberis per mare aufugit. Focas ipsum cum exercitu insequebatur, capiebatque Calcedoniæ, atque omnes capite obtruncabat. Mauritius miseriæ huius patiens, Deum vsque inuocabat, sæpiusque ante mortem hanc recitabat sententiam: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.*

XCV.

IVSTVS ES DOMINE, ET RECTVM IVDICIVM TVVM.



Anno XXI. ſui Imperij cum omni familiâ capite truncatus eſt.

Focas ab ſcelerato exercitu, anno poſt CHRISTVM natum ſexcenteſimo quarto, Imperator lectus publicatuſque eſt. Simulatque Roma Longobardorum obſidione eſſet liberata, ſcribebat Gregorius ad Focam honorificas ſanè litteras, cuncta illi felicia fauſtaque optans; ad quem etiam Diaconum mittebat, orabatque vti eum in omnibus ſequi vellet. Omnis quippe ſpes, omne auxilium in Focâ erat, quòd hic Italiam è ſeruitute Longobardorum vindicaret. Præbebat enim Focas ſpem de ſe Populo Romano magnam, adeò vt & eius effigies ad aliorum Cæſarum imagines in templo fuerit appenſa. Eo autem tempore aucta contentio de Primatu, quam Mauritius cum Patriarchâ ſuo Ioanne aduerſus Gregorium inchoarat. Quare Bonifacius tertius, poſt multam ſollicitationem, non ſine magnâ contentione ac multorum contradictione, à Focâ Cæſare tandem obtinuit, vt ſanciretur Romanus Pontifex Oecumenicus, & ſummus Epiſcopus totius Eccleſiæ Chriſtianæ. Concedebat item Focas Templum iſtud peruetuſtum, quod ΠΑΝΘΕΟΝ, hoc eſt, omnium Deorum, appellabatur, vt ex eo conficeretur aliud in honorem Deiparæ MARIAE Virginis atque omnium Martyrum, ſublatâ omni idolorum fæce; vt, quo in loco Deorum, hoc eſt, Dæmonum cultus olim celebrabatur, modò omnium Sanctorum ageretur memoria. Ab hoc templo Barbari metu Deorum ſemper abſtinuerunt, ſed ſuis ornamentis crebrò illud ſpoliarunt. In eo enim fuerant imagines mille & triginta; itaque ad ſupremam vſque concauitatem auro argentoque parietes vndique exornati, vt nihil ſuprà. Et quia rotundum eſt, appellatur hodie D. Mariæ Rotundæ. Inter cetera templa, quæ vmquam Romæ fuerunt, hoc certè longè eſt pulcherrimum atque operoſiſſimum; quemadmodum hi facilè iudicare norunt, qui iſtarum rerum maximè ſunt periti. Et quamquam modò gradibus quibuſdam in illud deſcendatur, olim tamen ante Vrbis vaſtationem aſcendi in illud gradibus oportebat. Adeò enim ipſa terra ex crebrâ ædificiorum inſtauratione frequentibuſque ruinis creuit, auctaque eſt. Focas intereà Conſtantinopoli maximam exercebat tyrannidem cædendo, ſtrangulando, ac ſingula quæque diripiendo: quamobrem omnibus ſubitò erat inuiſus. Sub hoc Focâ vehementer debilitatæ & diminutæ ſunt vires Imperij. Perſæ cum Rege ſuo Choſroë vniuerſam occuparunt Aſiam: potiti etiam ſunt vrbe Ieroſolymitana, abductis vexillis ac Cruce Seruatoris noſtri IESV CHRISTI, captoque Zachariâ eiuſdem oppidi Patriarchâ. In tantis autem malis Focas haudquaquam ſe ad reſiſtendum parauit, vt meritò Focas dictus ſit. Focas enim vitulum ſignificat marinum, animal inter cetera maximè ſomniculoſum, quodque ita altùm ſtertit, vt è ſomno excitari à nemine poſſit, atteſtante Plinio. Eius ſomnolentiæ ac ſocordiæ hic erat Focas; idque adeò, vt ſua ferè omnia hoſtibus diripienda permitteret: ac quemadmodum iam nullum Occidentale exſtabat Imperium, ita etiam Orientale pænè interierat. Res hæc genero ſuo Priſco magis erat cordi, quàm quiſquam arbitraretur. Significabat per litteras Heracliano Africæ Præſidi, vti filium Heraclium mitteret, qui cum ipſo bellum aduerſus Focam moueret; fieri alioquin haud poſſe, quin non Imperium modò, ſed nomen ipſum Imperij foret interiturum. Cùm igitur Heraclius magno cum exercitu veniſſet, Focam infeſto Marte deuicit, ipſumque milites captum Heraclio ac Priſco tradiderunt. Hi Imperatorem, manibus pedibuſque præciſis, igne ad Taurum combuſſerunt, atque in mare tandem proiecerunt. Prætereà & tota eius proſapia radicitus abſumebatur. Atque ita quidem Focas ſimili clade perfidiæ ſuæ pœnas dedit, quâ in Mauritium, eiuſque coniugem ac liberos, vſus fuerat anteà.

XCVI.

FACILIVS FORTVNA PARATVR QVAM CONSERVATVR.



Imperator Romanorum VIII. annis minimè probandus, immani crudelitate laniatus est.

ERACLIVS Imperium vi ad ſe rapiebat anno poſt CHRISTI natiuitatem ſexcenteſimo duodecimo. Venit hic copijs inſtructiſſimus Conſtantinopolim, caputque à Sergio Patriarchâ diademate cinctus eſt cum Eudoxiâ; quam eâdem die vxorem duxit. Hæc ſequenti anno filium enixa, cui etiam Heraclius nomen erat, ac cognomen apud pleroſque Conſtantinus, vitâ functa eſt. Tum illicitas dicitur contraxiſſe nuptias cum Martinâ, ſuâ ex fratre nepte; ex quâ alterum ſuſcepit filium, nomine Heraclionem. Iam Imperij vires omnino erant debilitatæ, cæſi milites: quare pacem ſibi cum Hunnis, Longobardis, Gothis, Germanis, & Francis conciliauit in Europâ, in Africâ verò cum VVandalis. Ceterùm populos circumiacentes, & quos ex Africâ pater miſerat, contra Choſroën Perſarum Regem eduxit: cumque totam Aſiam deuaſtaſſent funditúſque euertiſſent, curſum verſus Ægyptum deflexerunt, atque Alexandriam inuaſerunt; ſeque iſtic tantiſper continuerunt, donec rumor ſpargebatur Heraclianum patrem Imperatoris ingentem in Africâ colligere exercitum: tum enim iter Carthaginem parabant. Sed interim moritur Heraclianus. Quo audito, confeſtim inuaſere Carthaginem. Tum Heraclius Imperator eos toto exercitu aggreſſus eſt, confecitque pugnas cum ijs tres acerrimas: in primo conflictu Perſarum fudit tria millia; in duobus ceteris tantum effecit, vt deſperatis rebus Choſroës à Syroe filio ſuo in fugâ ſit interfectus. Heraclius autem eos inſequebatur, ac Perſiam perpetuo ſexennio miſere depopulatus eſt, tandemque in bello Syroem cepit: cui pax data eſt ijs conditionibus, vt Perſiam retineret, vtque limes Perſici ac Romani Imperij Tigris eſſet. Cùm iam in Perſiam cum Syroe proficiſceretur, ipſumque in eam reſtitueret, ecce Palatium ac Thronum Choſrois ingenti theſauro onuſtum ſpoliauit; quo ſeptem oneratis elephantis, magnâ lætitiâ & ingenti gloriâ, lignum Crucis manu tenens, curru aureo Conſtantinopolim redijt. Hinc admirabili pompâ Ieroſolymam profectus, Crucem in locum ſuum reſtituit: cuius rei gratiâ feſtum inſtitutum eſt Exaltationis S.Crucis. Id autem abundè ſatis nummus hic teſtatus eſt. Nam in altero latere ſedet Heraclius in curru triumphali tentorio circumdatus, Crucem penes ſe retinens cum hac inſcriptione: SVPER ASPIDEM ET BASILISCVM AMBVLAVIT, ET CONCVLCAVIT LEONEM ET DRACONEM. In medio autem ſupra equos ita literis Græcis ſcriptum eſt: ΔΟΞΑ ΕΝ ΥΨΙΣΤΟΙΣ ΧΨ ΤΨ ΘΨ. ΟΤΙ ΔΙΕΡΡΗΣΕ ΣΙΔΗΡΑΣ ΠΙΛΑΣ ΚΑΙ ΕΛΕΥΘΕΡΨΣΕ ΤΗΝ ΑΓΙΑΝ ΒΑΣ. ΗΡΑΚΛΕ. hoc eſt: *Gloria in altiſsimis ſit Chriſto Deo: nam portas confregit ferreas, liberauitque ſacroſanctum Heraclij Imperium.* Litteræ verò Græcæ hoc in latere inſculptæ hanc habent ſententiam: *Rex atque Imperator Romanus, Victor, Legumlator, ſemper Auguſtus, fidelis ac pius in Chriſto Heraclius.* Scias autem, Lector humaniſſime, eâ tempeſtate inuenuſtas litteras Græcas in vſu fuiſſe: ita tamen hîc eas tradidi, quemadmodum nummo inſcriptas deprehendi. Quo equidem nomine nulli culpandus ſum, quaſi rem nouam ipſe comminiſcerer, aut quid commutarem, caſtigarémve, adderem aut detraherem. Quapropter literam Ψ vt Ω intelligas oportet; cuiuſmodi ſunt quatuor hæ: ΧΩ, ΤΩ, ΘΩ, & ΡΩ. Animaduerto equidem ſatis Cuſpinianum etiam huiuſmodi nummum habuiſſe, ſed litteras hic nec videre nec ſatis promptè legere potuit. Multa enim verba deſiderat. Hunc imitari voluit Iacobus de Strada in Theſauro ſuarum Antiquitatum, ſed malè, ſcribitque hoc pacto, AMBVLABIS ET CONCVLCABIS. Lapſuſque eſt item grauiter in litteris Græcis. Iam quod in medio habetur, ſignificat, *Vultum tuum Deus illuminet.* Ac Græca illa dictio retro ad eius caput connotat, *Sine ſanguine.* In Lunâ habetur, *Propter tenebras noſtras bella geram aduerſus gentes.* Nummus hic, vt ego ipſum habeo, latitudine eſt digitorum quatuor; nec magnitudine tantâ aliorum Cæſarum alter repertus eſt, præter eum qui eſt Conſtantini Maximi. Huius Heraclij temporibus Antichriſtus ille Mahomet inter Saracenos primò in Aſiâ auditus eſt, ac multa in cælo viſa ſunt prodigia. Hic in Arabiâ apud Agarenos ſe prophetam ac regem fecit; ac ſuos non Agarenos ab Agar, ſed Saracenos à Sara appellauit. Ab hoc paſſim magni exſtiterunt tumultus, adeò vt nomen ceteri abhorrerent. Heraclius autem videns Regnum ſuum à Saracenis planè perditum iri, vndique præſidia conuocauit, filiumque ſuum Heraclium ſe iuxta Cæſarem creauit.

Mahomet in Oriente apud Saracenos oritur.

XCVII.

SVPER ASPIDEM ET BASILISCVM AMBVLAVIT, ET CONCVLCAVIT LEONEM ET DRACONEM.



Imperauit Orienti XXVII. annis; aquâ intercute morboque infando extinctus est.



ERACLIVS cognomento Constantinus, à patre, post natum CHRISTVM anno sexcentesimo tricesimo secundo, in consortem nutantis Imperij susceptus est. Cùm iam Mahometes multis Saracenorum copijs Prouincias passim cædibus, incendijs, ac direptionibus deuastaret, Imperatores sese ad resistendum pararunt, ne ipsi Constantinopoli præuerterentur; belloque Saracenos aggressi sunt, sed admodum infeliciter. Nam in vno congressu ceciderunt Christianorum centum & quinquaginta tria millia. Tum Imperatores ad mare Caspium aufugerunt, atque illas portas aperuerunt, quas Alexander Magnus Macedonum Rex ad mare Caspium exstruxerat, & ob immanes quosdam populos præcluserat. Hinc quotquot vel milites, vel homines passim prouinciales potuerunt colligere, eduxerunt: cumque ante Solis ortum pugnam conficere putabant, nescio à quibus laruis in castris Imperatorum cæsa fuerunt hominum propè quinquaginta duo millia; pars militum residua Ierosolymam sese recepit. Heraclius verò senior Imperator animaduertens haud fieri posse vt Saracenis resisteret, ex mœrore in hydropisin incidit. Fertur & alio morbo, nempe ex genitalibus, perpetuo laborasse septennio. Tum fratrem suum Heracleonam iuxta se Imperatorem fecit. Intereà autem dum senior Imperator laborabat, potens in vniuersâ Asiâ effectus est Mahometes tam viribus quàm doctrinâ, eâque diabolicâ. Profitebatur enim, populum suum & dici & esse populum Dei, qui Diuinâ fruituri forent promissione, solique in vniuerso Orbe rerum essent potituri; adeò vt hinc Saraceni, quos modò Turcas nominamus, in verbis huius Mahometis spem etiamnum fidemque collocent. Apertè in suo Alcorano ingentes profert horrendasque in CHRISTVM blasphemias; nominatim autem CHRISTVM minimè fuisse passum, sed Iudam, qui ipsum prodere conabatur, eâdem horâ, quâ CHRISTVM Iudæi quærebant, fuisse virtute Dei in CHRISTI formam transmutatum, ac pro ipso captum, & cruci tandem affixum. His ita plebs illa misera adeoque demens credidit, rata illum magnum sanè hominem, cui ista reuelarentur, quique ea ita sentiret. Intereà dum senior æger decumberet, Heraclius iunior Imperator sæpè conatus est Mahometi resistere, sed cum maximo suo Imperijque detrimento. Nam Mahometes vi Antiochiam subegit. Heraclius autem veritus ne & Ierosolymam opprimeret, Crucem Domini istinc Constantinopolim transtulit. Atque ita quidem Mahometes intra vitæ suæ terminum vniuersum Orientem suo Imperio subiecit. Quamquam verò Reges aliqui in ciuili administratione persistebant, ad extremum tamen eos vel armis vel dolo ad suam religionem pertraxit: imò sunt qui velint & ipsum Heraclium hanc doctrinam ante obitum oblectasse. Postremò à morte Heraclij eius vxor Martina filium suum Heracleonam in vniuersum Imperium substituere conata est, atque Heraclium priuignum post menseis quatuor operâ Pyrrhi Antistitis Constantinopolitani veneno sustulit. Sed biennio pòst, cùm hæc cædes in publicum emersisset, atque indies ambo magis magisque sæuirent, eos Senatus abripuit. Martinæ lingua præcidebatur, Heracleonæ nares; itaque regno exigebantur. Antistes verò è fugâ abreptus in vrbem, laqueo ignominiosè strangulabatur.

Horrenda clades Christianorum.

Mahometes blasphemus in CHRISTVM.

XCVIII. XCIX.

VOLVPTAS HILARIS INSANIA.

SATIS EST POTVISSE PVNIRE.



Imperij VIII. ætatis XXVIII. anno, veneno perijt;
alter biennio pòst, abſciſſis naribus,
in exſilium miſſus.


ONSTANS Heraclij filius, ac ſenioris Heraclij nepos, Imperium Orientale adeptus eſt, anno CHRISTI ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo. Mittebat autem hic Olympium in Italiam tamquam Exarchum, vt eius hæreſim cuncti Antiſtites velut imbiberent. Et Romanus quidem Pontifex Martinus ſi forſan doctrinam hanc contemneret, mitteretur illicò ad Imperatorem; cui ſi parêre recuſaret, extemplò confoderetur. Patriarcham Conſtantinopolitanum in locum Pyrrhi ſufficiebat Paulum hæreticum, idque in contumeliam Pontificis Martini. Hac verò tempeſtate Saraceni opulentiſſimam potentiſſimamque ciuitatem Rhodum inuadebant, diripiebant, atque euertebant. Inter cetera ſpolia onerabant nongentos camelos columnâ æneâ altitudine cubitorum quadraginta octo, aut pedum ſeptuaginta duo. *Coloſſus Solis.* Hinc per mare Egæum profecti ſunt in Siciliam, atque inde in Italiam: ſed eos Olympius confeſtim repulit. Poſt obitum verò Olympij Conſtans Theodorum veluti Exarchum in Italiam miſit. Hic Pontificem in templo quaſi allocuturus adijt, catenaſque in collum iniecit, ac captum deinde Conſtantinopolim duxit: vnde rurſum tamquam exſul relegatus eſt. Deinde Conſtantinum filium Imperij conſortem conſtituebat, committebatque vt Conſtantinopolim curaret: atque ipſe expeditus iter in Italiam non aduerſus Saracenos, Longobardos, Hunnos, aut hoſtes alios maturabat; ſed vti ipſe tamquam Romani Imperij hoſtis religioſorum theſauros, templa, oppidaque Prouinciarum ſpoliaret. Poſtquàm iam multa in Italiâ oppida diruiſſet, tandem militari inſtructus exercitu Romam ingreſſus eſt, cui Vitalianus Pontifex cum religioſis omnibus obuiàm proceſſit, honorificeque ipſum in Eccleſiam deduxit. Templa omnia ſub pietatis nomine frequentabat, donec ſingula diligenter exploraſſet. Quinto die pòſt hominum viginti millibus inſtructus cuncta templa inuaſit, diripuitque ſingula diebus ſeptem continuis. His ſpolijs quatuor onerauit naues, atque inde lætus Neapolim profectus eſt, indeque in Siciliam. Hic animo conceperat ſedem Imperatoriam Conſtantinopoli Romam rurſum transferre. Nouerat quippe inuiſum ſe Conſtantinopolitanis ob hæreſin ac ſuam tyrannidem. Erat autem vir praui ingenij, hæreticus, Reipublicæ corruptor peſſimus, omni libidine ac ſpurcitie inquinatiſſimus. Maximo, viro ſanè prudentiſſimo, manus pedeſque præcidi, ac linguam erui iuſſit. Sic & multos alios homines Chriſtianos varijs cruciatibus interemit. Cumque in Siciliâ annos aliquot crudeliter imperaſſet, die quadam Andreas quiſpiam cum ipſo balneum ingreſſus vt Gallico vnguento Imperatorem inungeret, lecythum in eius caput effudit, ac fugâ elapſus eſt. Deinde miniſtri, qui pro foribus præſtolabantur, ingreſſi, Imperatorem mortuum offenderunt. Quo quidem audito, Conſtantinus ingenti nauium multitudine in Siciliam traiecit, cædemque paternam grauiſſimè vltus eſt. Hinc tandem Conſtantinopolim reuerſus, fratribus minoribus Heraclio & Tiberio nares amputauit. Narrant aliqui, quòd eos interfecerit, vti ſolus rerum potiretur. Saraceni vt mortem Conſtantis accepiſſent, confeſtim in Siciliam traiecerunt, Cyracuſam inuaſerunt: quâ egregiè vaſtatâ, omne ſpolium ſecum Alexandriam aduexerunt. Non multò pòſt Ieroſolymam oppreſſerunt, viqùe inuaſerunt. Contra hos ſeptennio fortiſſimè bella mouit Conſtantinus, atque in vno congreſſu fudit Saracenorum triginta millia; quare pacem petere coacti grauiſſima tributa pendere debebant. Hic Conſtantinus Chriſtianæ Reipublicæ fuit defenſor celeberrimus, amatorque longè pijſſimus. Eccleſias deſtructas ac variâ hæreſi infectas, quantum potuit, repurgauit, & præcipuè Græcam ac Romanam: quamobrem ſextam congregari fecit Synodum. Poſtremò è Palatio lapſus occubuit, heredemque Imperij reliquit filium ſuum Iuſtinianum.

C. CI.

SEQVERE TRAHENTIA FATA.

MALE QVÆSITA MALE PEREVNT.



Imperium Orientale molestauit XXVIII. annis: ex insidijs interfectus est. Filius regnauit XVII. annis, & ex Palatio præcipitatus interijt.

VSTINIANVS Constantini filius, Orientalis Imperij gubernacula suscepit, anno à CHRISTI natiuitate sexcentesimo octuagesimo septimo. Confestim autem, priusquàm Saraceni de morte patris facti essent certiores, hac lege cum ijs pacem composuit, vt quotannis auri pondo tria millia, quinquaginta captiuos nobiles, totidemque equos ipsi tribuerent. Verùm vbi deceptos se animaduerterent, totam indignati Libyam atque Africam cædibus, direptionibus atque incendijs infestabant. Vt verò Iustinianum copijs instructum ad se properare accepissent, decennales pacti sunt terrâ marique inducias; idque nouis conditionibus, nempe vt Saraceni Libyam & Africam liberam nec grauatam restituerent, atque illo decennio singulis diebus Imperatori mille aureos numerarent, Equitemque ex suis Equitibus equo insidentem singulis item diebus traderent. Iustinianus circa Principatus sui initia vir quidem erat prudens fortisque, sed rerum successu elatus, cœpit se Dijs hominibusque opponere. Inconstans ac periurus in Saracenos efficiebatur: qui cùm ab ipso essent contra fœdus circumuenti, omni metu seposito arma aduersus Iustinianum capessebant, nec tantum cladis patiebantur, quantum inferebant. Tunc istinc reuersus, mare in Europam traiecit, Bulgarosque fortiter aggressus multis calamitatibus affecit, qui ex Scythiâ in Thraciam venerant, pacemque cum patre fuerant pacti. Hic enim sine victoriâ bello infeliciter gesto quibuscumque tandem conditionibus pacem cum ijs inijt, ac Thraciam inhabitandam ijs reliquit. Cùm iam ergo Iustinianus horum Prouincias cædibus, direptionibus, & incendijs deuastasset, animum resumpserunt, ipsumque coëgerunt, vt inhonestis conditionibus cum his pacisci debuerit. Deinde Constantinopolim reuersus, grauem ciuium incurrit indignationem, quòd tyrannidem impunitam reliquisset. Indixit Synodum bonis omnibus aduersantibus, in quâ vt multi erant Episcopi, ita metu nihil aliud concludere audebant, quàm quod ipsi gratum foret, quodque conclusum vellet. Et quidem cùm Romanus Pontifex Sergius his assentire recusaret, Iustinianus Romam Tribunum suum Zachariam misit, & Papam comprehensum Constantinopolim duci mandauit. Sed propositum hoc Exarchus cum vniuerso Equestri ordine Rauennensi facilè auertit. Hi enim Zachariam Româ expulerunt. Tum Iustinianus Christianorum effectus est hostis publicus. Sollicitabat indies Gallinicum Patriarcham, vt orationem ad populum habere vellet, cui persuaderet euersionem insignis templi MARIAE Deiparæ sacri, quod iuxta Palatium erat. Nam aliud hîc ædificium aptum Palatio exstruere cogitabat. Proinde Patriarcha ei respondebat: *Munus nostrum est templa exstruere, non autem destruere: quare isti rei acquiescere fas non est*. Postremò cùm post minas etiam Imperator orare non destitisset, ita locutus est Patriarcha: *Deo sit honor & gloria, qui continuò patiens multumque misericors est ab hoc tempore in æuum vsque*. Quod vbi dixisset, confestim templum destruere cœperunt. Tum Patriarcha Leontium religatum clàm Constantinopolim reuocauit.

CII.

MVLTI NIMIVM, NEMO SATIS.



Perfuncto decennali Imperio mutilatis naribus relegatus;
alteroque decennio transacto, Regno recuperato
ac VI. annis administrato, interfectus est.

EONTIVS vir quidem fuerat anteà Senatorius vrbis Constantinopolitanæ, Patritiusque opulentus ac magni pretij, posteà verò constitutus est ab Iustiniano Archidux totius exercitus aduersus Saracenos, hostesque alios. Ceterùm cùm iam triennio in carcere ab eodem fuerat detentus, posteà in exsilium relegatus est. Tandem operâ Gallinici Patriarchæ clanculùm Constantinopolim ingressus, magnam excitauit aduersus Imperatorem Iustinianum seditionem, qui & omnibus modò inuisus esse magnoperè cœperat. Et quidem cùm iam præter spem plurimi illi adhærebant, vi omnes confestim effregit carceres, liberauitque quotquot erant nobiles ac ciues iniustè capti. Hoc verò tumultu excitum vulgus arma capessebat, seque Leontio adiungebat, atque vrbe Imperatorem cum suis exigebat. Deinde ipsum Leontius properè insecutus, in campo libero aggressus est, Iustinianumque naribus truncauit, atque ita mutilum Chersonam relegauit. Ac postquàm Imperator esset salutatus, Imperij administrationem suscepit anno CHRISTI sexcentesimo nonagesimo septimo. Intereà dum motus hic Constantinopoli ita continuaretur, Saraceni cum Rege suo Habdimelech expeditionem pararunt, Africamque iterùm deuastarunt. Hos contra Leontius Tribunum militarem mittebat Ioannem, qui cum Saracenis sæpiùs fuerat congressus. Cumque Saraceni præsidia ex Arabiâ, Persiâ, atque Ægypto postulabant, etiam sibi subsidia mittenda extemplò scripsit Ioannes. Sed multi ex eius copijs ceciderunt. Tum indignati milites, ita in Leontium exarserunt, vt Tiberium virum sanè eximium in castris Imperatorem legerint, Augustumque appellarint. Hic oblatum Imperium libens suscepit; & quò fortior esset, cum irato exercitu Constantinopolim profectus est. Tum se Leontius contrà expediebat, ijs quæsitis omnibus quæ istuc pertinebant. Verùm milites indignati vrbem armis subitò inuaserunt. Leontius fugâ in Palatium elapsus est; quod item facilè à Tiberio superatum fuit. Leontius igitur capitur, eique nares amputantur; quod paulò antè fecerat Iustiniano: idque vsque adeò ijs frequens, vt truncari naribus tandem apud illos in consuetudinem abierit. Tiberius in Dalmatiæ cœnobio Leontium custodiri curabat, in quo & vitam suam finijt. Confestim autem Tiberius ingentem exercitum in Syriâ aduersus Saracenos eduxit. Vtrimque ita acriter pugnatum est, vt infra paucos dies ceciderint propè ducenta millia Saracenorum. Cumque Iustinianus (qui iam triennio in Ponto exsularat) ad Imperium redire conabatur, nec hærere diutiùs Chersonæ volebat, considerans ciues Leontio fideliter adhæsisse, plurimumque huic Tiberio, qui modò imperare cœperat, fauere, in Bauariam ad Regem Caianum profectus est; à quo honorificè exceptus, eius filiam Theodoram in vxorem accepit.

CIII.

ORIS ATQVE CORDIS PVLCHERRIMA HARMONIA.



Orienti præfuit tribus annis: truncatis naribus in carcere tandem excarnificatus.

IBERIVS anno post CHRISTI natiuitatem septingentesimo Imperium adeptus est Orientale; & confestim Exarchum in Italiam misit Theophilatium, quem nec Romani, nec Itali recipere voluerunt. Nomen enim Exarchi Græcorum ac Constantinopolitani Imperij, Romæ & Rauennæ vulgò inuisum fuit execrandumque. Hac in re tamen Pontifex Ioannes VI. ipsi plurimùm auxilio fuit. Dux autem Beneuenti, qui vnus erat ex triginta Ducibus Longobardiæ, libentissimè hanc discordiam accipiebat; ac Campaniam inuadens, plurima oppida castraque incendijs absumebat, ciues passim rusticosque & pecora secum auehebat. Sed Pontifex, ni pacem daret, excommunicationem homini obtrusit: quare captiuos, ciuitatesque restituit, ac bello destitit. Tiberius verò vt audiuit Iustinianum ex Ponto ad Germanos transfugisse, isticque in pretio esse, plurimùm sanè veritus est, cogitauitque, quânam potissimùm ratione ipsum necaret. Caianum igitur regem Vindelicorum subornauit, vt hominem è medio tolleret: sed hanc proditionem vt Iustinianus intellexit, clàm cum vxore ad Terebellum Bulgarorum Regem fugâ elapsus est. Ab hoc fidelissimè exceptus est, tradiditque illi ingentem multitudinem, vt parato exercitu Constantinopolim clàm profectus dolo *Iustinianus Imperio restitutus.* vrbe potiretur. Tum multi Tiberium deseruerunt, ac Iustiniano adhæserunt; imò & multum fauoris & beneuolentiæ apud inconstantem illam vulgi multitudinem, quæ illum anteà admittere haudquaquam voluerat, obtinuit. Tum autem Tiberium apprehensum captumque, cum Leontio vinculis religato, per vicos in spectaculum educebat. Tandem in Throno residens, humi coram se prostratos pedibus conculcauit, & palàm clamari iussit: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Posteà ante se atque in conspectu vulgi obtruncatos in frusta secari mandauit. Patriarchæ Gallinico vtrumque oculum effodi iussit, ipsumque Romam relegauit. In huius locum suffecit Cyrum. Hic, dum etiamnum exsularet, prædixerat illum Imperio adhuc fore potiturum. Quoties autem truncas nares emungebat, toties vnum ex ijs, qui Leontio aut Tiberio fauerant, ad supplicium rapi iubebat. Mauritium ducem suum cum omni exercitu in Pontum mittebat, vt Chersonæ barbatos omnes sexus virilis strangularet, quòd ipsum in gratiam Tiberij, nisi aufugisset, occidissent. Eodem illo anno quo ad Imperium redijt, vxor eius Theodora illi enixa est filium, quem Tiberium appellauit, coronauitque statim cum ipsius matre. Hic prauus ac periurus tandem etiam Terebellum, cuius operâ fuerat restitutus, de improuiso oppressit: sed Terebellus ipsum facilè repulit. Deinde exercitum suum parabat in Italiam aduersus Felicem Archiepiscopum Rauennensem; qui quidem captus Constantinopolim missus, vtroque lumine priuatus est, relegatusque aliò, atque vrbe exactus. Numquam ferè tantam Rauenna passa est calamitatem, quàm in istâ oppressione. Dux enim Mauritius strangulabat ferè optimos quosque ciuitatis, vrbemque penitus diripiebat. Dein Iustinianus omnibus copijs aduersus Philippicum profectus est, quem Chersonam in Pontum relegauit. Verùm milites eius tyrannidem ampliùs recusantes, Philippico se adiungebant, ipsumque Imperatorem creabant. Huius nummi inscriptionem vlteriùs legere non potui.

CIIII.

MISERIAM NESCIRE SVAM, SINE PERICVLO EST VIVERE.



Vt VII. annis Orientali Imperio præfuiſſet, ignominioſè occiſus eſt.

PHILIPPICVS Orientale aggressus Imperium est anno CHRISTI septingentesimo decimo tertio. Quod vt Iustinianus accepisset, aufugit, exercitumque conscripsit alium, atque acre mox confectum est prælium duodecim milliaribus ab Constantinopoli, in quo Iustinianus captus, interfectus est. Itemque & eius filius Tiberius, puer annum agens ætatis suæ sextum, ab his est interemptus, quibus illud à Philippico fuerat demandatum. Posteà omni cum exercitu Constantinopolim ingressus, Patriarcham Cyrum Vrbe expulit: confregit, destruxitque omnes Ecclesiæ imagines; ac Pontificem Romanum quasi cogere voluit, vt sua dogmata velut bona & salutaria amplecteretur. Sextæ Synodi decreta, quæ in S.Sophiæ templo erant ordine depicta, erasit atque expunxit. Ceterùm eius doctrinam Pontifex vt hæreticam damnauit, vetuitque Romæ ne quis ipsum ceu Imperatorem coleret, nec eius imagine nummos quisquam percuteret, aut effigiem ære aliquo exprimeret. Hinc etiam acta dictæ Synodi rursum in ingressu basilicæ S.Petri depingi curauit. Tum Philippicus Ioannem quemdam, qui eiusdem cum ipso erat sententiæ, in contumeliam Pontificis Romani, Patriarcham Constantinopolitanum constituit. Imperator hic ciuis fuit Constantinopolitanus nobilitatis præcipuæ, qui, quòd visam sibi Aquilam caput obumbrasse dormienti dixerat, Chersonam in Pontum ab Iustiniano relegatus est. Hîc familiariter vsus est Monacho quodam hæretico & veridico, qui imperaturum illum prædixerat: quod quidem Philippicum maximoperè indies magis magisque sollicitum detinebat. Sed huic ita aiebat Monachus: *Cùm ita Deo visum sit, quid tute repugnes? Verùm hoc inquam tibi dictum sit, sextam Synodum iniustè fuisse & celebratam, & conclusam. Quare cùm tu Imperium fueris adeptus, tum memento eam infringere atque infirmare. Quod si feceris, certè stabile tibi Imperium perdurabit.* Illud igitur facturum se iuramento affirmauit. Deinde cùm excommunicatum se à summo Pontifice, atque vt hæreticum ab Ecclesiâ fuisse resectum intellexisset, perniciosum ex diuersis hæreticis Concilium conuocauit: itaque sextæ Synodi decreta alterâ Synodo infirmauit, condemnauitque. Intereà verò cùm iam circa suos hæreticos ad istum modum esset occupatus; subigebantur, Imperioque à Saracenis detrahebantur, Africa, Libya, ac Granata in Hispania. Atque ab eo quidem tempore, vsque ad annum millesimum quadringentesimum octuagesimum septimum, Hispania habitata fuit à Saracenis, ac præcipuè Bætica, quæ Granata hodie est appellata. Tum enim à Ferdinando Rege Aragoniæ (erat autem hic postremus Gothorum Rex, atque auus Caroli V. Imperatoris) vi inde fuêre expulsi: sed Africam sibi & Libyam retinuerunt. Iam verò cùm Philippicus pridie Pentecostes cum aliquot antiqui generis ciuibus in balneas publicas fuisset ingressus, confestim à quodam Rufino nomine ad hoc subornato arreptus, oculis priuatus est. Atque ipso Pentecostes die postero, cùm populus vniuersus in summo templo esset congregatus, Imperator publicitus est coronatus Arthemius. Hic nomen suum mutauit, atque Anastasium se appellari iussit. Mox autem Philippicum in carcerem coniecit, vbi vel ad extremum vitæ diem ipsum conclusum detinuit. Ferunt aliqui in hoc ipsum carcere fame fuisse consumptum enectumque.

C V.

LEVIS EST FORTVNA;
QVÆ DEDIT, REPOSCIT.



Perpetuo carceri addictus, fame enecatus est
Imperij anno secundo, mense nono.

NASTASIVS Orientale Imperium adeptus, anno post natum CHRISTVM septingentesimo decimo quinto, litteras confestim ad Pontificem Romanum per Scholasticum Consiliarium dedit, in quibus se amatorem defensoremque fidei Christianæ appellabat, propugnatorem etiam confirmatoremque Sacrosanctæ Synodi sextæ, atque Ecclesiæ totius Romanæ: robur item Decretorum Pontificum, instauratorem deiectarum ecclesiarum & imaginum, receptorem profugorum Christianorum, exstirpatorem hæreticorum, atque hostem denique ethnicorum longè acerbissimum. His litteris Romæ ita recitatis, animum nonnihil Pontifex eiusque assessor recepit, quibus iampridem Imperatorium nomen sordere cœpit ob improbos quosdam Imperatores: qui quò plures, eò deteriores esse magis magisque cœperunt; atque horum quisque id maximè operam dederat, quò infensissimè Pontifici resisteret. Anastasius ergo hic Saracenos tamquam Christianæ fidei hostes crudelissimos bello aggredi conatus, classem ingentem in Africam emisit. Verùm dissensione inter classiarios ortâ, qui Anastasium oderant, Constantinopolim redire parant; & cùm Adramyttium venissent, Theodosium ignobilem rudemque virum, cuius officium erat publicam exigere pecuniam, exactionesque corradere, Imperio præfecerunt. Sed hic clàm aufugit, seque in montem abdidit. Proinde vbi ipsum inuenissent, inaugurationem ei vltrò præstiterunt, inuitumque ad Imperium suscipiendum coëgerunt. Quo audito, Anastasius festinanter mare Nicæam versus traiecit; vbi se ad resistendum parauit. Theodosius hunc insecutus est, atque ingenti pugnâ victum captumque, quòd necandi occasionem haberet nullam, sacris initiatum in monasterium detrusit, ne qua via pateret redeundi ad Imperium. Quæ quidem res vbi iam Romæ increbuit, nuntiataque esset, cunctos ingens inuasit dolor. Verebantur enim ne Christianum modò hostem essent habituri. Quoniam verò hac tempestate grauis in Ecclesijs controuersia ventilabatur de sustollendis imaginibus, operæ pretium est & de his quædam recensere. Nam paullò pòst in sequentibus etiam horum mentio nobis facienda est, cùm dicemus quâ ratione Imperium Romanum ob dissidium, quod inter Constantinopolitanos Cæsares ac Pontifices increbuerat, ad Germanos & Francos translatum sit. Superioribus ergo Heraclij temporibus orta auctaque hæresis Monothelitarum, qui ex Mahomete originem traxerunt; atque inter ceteros dogmatis sui articulos & hunc cum Saracenis communem habebant, Exodi cap.xx. *Non facies tibi sculptile.* Hæc autem hæresis damnata fuit sub Martino Pontifice in vniuersali Concilio ab centum & quinquaginta Episcopis. Deinde & damnata fuit extinctaque in sexta Synodo Constantinopoli celebratâ. Sed omnes pænè Imperatores ab Heraclio vsque ad hunc labe hac infecti fuêre, atque vbique ferè aduersus imagines pugnauêre. Quid verò ex hac imaginum controuersiâ natum sit, audietur in sequentibus.

Quâ occasione Imperiũ ad Germanos deuenerit.

CVI.

CVI SEMPER DEDERIS, VBI NEGES, RAPERE IMPERAS.



Quindecim menſium Imperator, ex Imperio ad Monachiſmum detruſus eſt.

HEODOSIVS Orientale Imperium vi ad ſe rapuit, anno poſt CHRISTVM natum ſeptingenteſimo decimoſeptimo. Leo autem Anaſtaſij Tribunus cum vniuerſo exercitu Nicomediam profectus, Domino ſuo auxilio venit; ſed aliquantò ſerius, re enim perfectâ abſolutâque. Noluit tamen hic ſe Theodoſio tradere; verùm cepit filium eius cum optimis quibuſque totius Aulæ, abſtulitque omnem theſaurum cum vniuerſis ornamentis Imperatorijs, ac Chryſopolim profectus eſt. Quo ſanè audito, Theodoſius rem cum Patriarchâ ac Senatu vniuerſo expendit, deliberatque. Cùm iam ergo Leo (qui Eccleſias non infeſtaturum ſe pollicebatur) huc perueniſſet, certè Imperium illi traditum fuit. Verùm Patriarcha vitam Theodoſio filioque precibus impetrauit. Tum ſiquidem Leo vtrumque ſacris initiatum in monaſticam vitam protruſit, in quâ diu ſatis ac feliciter vixerunt. Leo tantus deinde imaginum vaſtator effectus eſt, vt hinc à Græcis cognomento Iconomachus ſit appellatus, hoc eſt, imaginum expugnator, quòd imagines ac ſtatuas Sanctorum è templis auferri, incendique mandaret. Quarum quidem perdendarum cùm finis nullus eſſet, tandem Pontifex Comitibus Palatinis (qui tum Maiores domus dicebantur) ſeſe adiunxit. Hi autem præfecti erant Curiæ, adeoque primarij gubernatores apud Reges Francorum, & penes quos ſumma in Germaniâ ac Galliâ à Rege, qui ſceptrum poſſidebat, erat poteſtas. Apud hos etiam ipſe Pontifex, abſente Rege, magnæ erat æſtimationis; adeò vt hinc amplioris dominij ſpes quædam iam velut eluceret. Pontifex igitur ac Palatini operas tradiderunt mutuas; idque adeò, vt Pontifex Imperatorem facilè repulerit, Italiamque poſſederit vniuerſam. Quare cùm regia progenies indies magis ac magis decreſceret ac debilitaretur, hi autem Principes potentiores fierent; factum eſt conſentiente Pontifice, vt regni adminiſtratio ad hos Principes tranſlata ſit. Hac tempeſtate Maior domus Childerici Regis Francorum effectus eſt Carolus Martellus, vir ſanè ſtrenuus fortiſque. Galliâ hic egreſſus, Saxones, Sueuos, Vindelicos, atque vniuerſam Germaniam armis ſubegit. Saraceni, qui iam magnam Hiſpaniæ partem inuaſerant, etiam ſuos vicinos aggredi paullatim conabantur. In Franciam quippe educti, fortiſſimum Arelatenſe oppidum aliaque multa ceperunt. Carolus Martellus huic infortunio reſiſtere cupiens, hos contra profectus eſt ad oppidum Turonenſe. Hîc pugnæ confectæ ſunt, in quibus ceciderunt trecenta ſeptuaginta quinque Saracenorum millia, non autem abſque inſigni Francorum clade. Deinde Gothi ac Saraceni inter ſe conuenêre: aduerſus quos rurſus exercitum eduxit Carolus, pugnauitque ita acriter, vt profugere etiam vltra Pyrenæum montem debuerint. Aſſerunt aliqui, niſi Carolus hac potitus fuiſſet victoriâ, Saraceni cum Gothis hac tempeſtate Franciam, Germaniam, Italiam, totamque Europam, & Aſiam cum ſuâ parte Africâ vi occupaſſent. Hic Carolus ingentes vbique adeptus eſt victorias, adeò vt nihil non captum ſit quod ſuis manibus offerebatur. Tantæ equidem æſtimationis apud omnes, dum in adminiſtratione etiamnum eſſet, habitus fuit, vt nemo non ſatis animaduerterit aliud breuî Regnum aduenturum fore. Quò enim potentior efficiebatur, quoque magis ac magis viribus creſcebat, eò certè Conſtantinopolitani Cæſares magis debilitabantur, decreſcebantque. Cùm iam Carolus hic Martellus Regnum partim in liberos partiretur, Carolomannum Auſtraſiæ, Sueuiæ, atque Alemaniæ præfecit: Pipinum Franciæ: Griphoni partes alias dedit; quibus minimè contentus, bello à fratribus fuit ſuperatus. Non multò pòſt Carolomannus, poſtpoſitis mundanis, in monaſterium ſe dedit: quare integer Maioratus domus deuolutus eſt ad Pipinum. Hic ſocordiam luxuriamque Regum animaduertens, impetrauit à Pontifice auxilium, vt Childericum non ſine fauore populi Regno exegerit, ipſeque Rex ſolus ſit deſignatus. Nunc verò reuertamur, vnde digreſſi ſumus.

Pontifex Cæſarem Conſtantinopolitanum deſerens, Germanis ſe adiungit.

CVII.

CVIVS DOLORI REMEDIVM EST PATIENTIA.



In Imperio Orientali anno peracto, ex Cæsare monachus factus est.

EO ex Syriâ oriundus primò quidem mechanicus, deinde verò Dux militiæ effectus, Imperium Orientale adeptus est, post natum CHRISTVM anno septingentesimo decimo octauo. Circa initium Principatus edictum extemplò Constantinopoli promulgauit, vt siqui haberent CHRISTI imagines aut matris eius MARIÆ, aut etiam aliorum Sanctorum, eas sub pœnâ capitis in publicum proferrent. Ac tot quidem statuæ productæ fuêre vt nihil suprà. His adijciebantur residuæ templorum imagines, atque vniuersæ comburebantur. Deinde publicè edixit, vti in toto Imperio imagines passim abolerent, perderent, ac destruerent. Si quis verò huic se opponere vellet, hic tamquam Cæsareæ Maiestatis contemptor capite puniretur. Quamobrem multi passim trucidabantur. Significauit item Pontifici Gregorio II. vt & ipse similiter faceret. Qui sanè animaduertens rem derisione in Deum atque impietate haudquaquam carere, vetuit Romæ & per vniuersam Italiam tributa Cæsari ampliùs pendi; ipsúmque præterea excommunicauit, ac velut inutile membrum ab Ecclesiâ abscidit. Vt autem Germanus pijssimus ille Patriarcha intolerabilem Imperatoris impietatem considerabat, Pontificatum Constantinopolitanum prorsus recusabat, officiumque suum relinquebat. In huius locum Leo adolescentem Anastasium subrogauit, qui eiusdem cum ipso erat farinæ. Sed cùm audijsset in Italiâ aduersus se conspirationem fuisse inchoatam, Exarchum suum officio motum; idque eos iam ferè operam dare, quasi Imperatorium nomen abolere, nec ampliùs ferre id aut pati vellent; certè Ducem suum Romam misit, vt populum seu vi seu humanitate sibi reconciliaret. Hic vbi Romam venit, in grauissimo tumultu occidebatur, atque alium sibi Ducem pro animi sui sententiâ ciues constituerant. Rauennenses item suum Exarchum Paulum interemerunt. Atque hic quidem Exarchus fuit postremus, cùm iam is Magistratus floruisset centum sexâginta annis. Nec Roma, quæ iam pridem sub Græco Duce steterat, voluit ampliùs eum ab Imperio flagitare, sed ipsa sibi semper Ducem deinceps decreuit vsque ad Caroli Magni tempora. Hac de re consule historiam de Iustino Imperatore folio 184. Longobardi considerantes Imperatorem ad istum modum cum suo Exarcho Italiâ fuisse exactum, dum iam cuncta in tumultu versabantur, magnis sanè copijs è Longobardiâ profecti oppida vniuersa cædibus atque incendijs obruebant, ac Romam tandem etiam obsidebant. Tum Pontifex subsidia non ab Leone, sed ab Carolo Martello Maiore domus Regis Franciæ flagitabat; cuius mentio facta est paginâ 208. Carolus tantum egit apud Luitprandum Regem Longobardorum, vt armis discesserit, restitueritque Pontifici oppida & captiuos omnes, conciliatâ decennali pace. Tertio autem Leonis Imperatoris anno Armirthus Dux Saracenorum ter mille triremes ex Asiâ atque Africâ in Thraciam eduxit, Constantinopolimque terrâ marique fortissimè triennio obsedit: verùm ob inediam, pestem, ac frigus intolerabile, magnam profectò passus est cladem. Naues vi fluctuum, tempestateque partim subactæ, partim artificioso incendio perierunt, vsque adeò vt absque commodo istinc discedere debuerit. Pestilentialis extinctorum cadauerum fœtor etiam in vrbem proserpsit, vti hominum supra trecenta millia interierint. Cùm iam Imperator Saracenorum metu esset liberatus, cogitabat quânam viâ potissimùm inobedientiam Pontificis vindicaret; totusque erat in spoliandâ Italiâ nummis, ornamentisque. Quare Marinum Ducem suum misit Romam, vt Pontificem aut comprehenderet, aut interficeret. Pontifex Longobardorum subsidia implorabat: quamobrem Marinum facilè repellebat, ita vt quod proposuerat, perficere non posset; cum suis nempe in fugam actus vt vix euadere potuerit, multique ex suis interierint. Tum Imperator donis Longobardos à Pontifice abstrahere conabatur, sed frustrà. Atque ita quidem impius hic imaginum expugnator in suo proposito obijt. Hac tempestate Christianam fidem amplexi sunt Germani per Bonifacium Episcopum ad eos missum.

Ab Imperio Constantinopolitano Roma desciscit.

CVIII.

PEIVS TECTVM
QVAM APERTVM ODIVM.



Decimoquarto anno Orientalis Imperij anathemate obſtrictus interijt.

ONSTANTINVS Leonis filius, post obitum patris Orientalis Imperij administrationem in se suscepit, anno CHRISTI septingentesimo quadragesimo secundo. Is planè sceleſtiſſimus non solùm patris impietatem reddidit, sed maiore etiam scelere se modis omnibus contaminauit. Decreta constitutionesque sanctorum Patrum, quantum potuit, contempsit. Ac in primis quidem à CHRISTO discedens, postquam Diuorum imagines passim aboleuisset, ac Patriarcham qui huic impietati se opponebat, è medio sustulisset, & Nicetam hominem eiusdem sceleris conscium in Patriarchæ locum substituisset; sæpenumerò ipsum vxor, vt quæ pia magis, impietatis suæ arguit: prætereà & Pontifex Romanus legatos suos ad ipsum misit, vt aut flagitia sua omitteret, aut censuram exspectaret: verùm nihil monita apud ipsum honesta potuerunt. Sabinum Bulgarorum Regem in gratiam recepit, aduersus quem paullò antè bella gesserat; idque hac conditione, vt imagines item in suo Regno aboleret ac combureret. Quodcumque decretum Constantinus promulgabat, id contrà eius vxor abrogabat: persequebantur sese mutuò velut hostes infestiſſimi: nec hinc sanè melior efficiebatur, sed deterior magis ac magis. Depopulabatur Templa ac Monasteria, Christianosque multos trucidabat. Appellabatur autem Græcè Copronymus, quòd infans baptismi lauacro admotus alimoniæ excremento aquam baptismalem polluisset. Oblectabat se incantamentis ac nefarijs sacrificijs cum inuocatione dæmonum; quibus adeò erat deditus, vt hinc posteà cœperit delirare. Et quidem dum his rebus alijsque infandis occuparetur magis quàm Reipublicæ administratione, Tartari exciti, gens sanè Scythica ad Arctum inter Riphæos sita, ex ostijs Caucasi montis egressi sunt, ac Saracenos siue Mahometicos in Asiâ oppresserunt, rati meliorem se regionem alicubi inuasuros. Quare primùm superarunt Saracenos in Persiâ, Arabiâ, Armeniâ, Cappadociâ, &c. Quemadmodum verò cum Saracenis vniti fidem illorum amplexi sint, & quemadmodum minima scintilla immensum ex se rogum excitauerit, cuiusmodi Orbis non habet alium, mox audies. Erat autem multitudo vaga, incondita, nemini vtilis, scelesta, omni spurcitie ac libidine inquinata, quæ in suis se Prouincijs algore ac perpetuis tenebris propè inhabitabilibus continere non potuit. Hi igitur sedibus suis vagi dispalatique, latrocinantes potiùs quàm belligerantes, eruperunt. Quæ res Romanæ Monarchiæ certiſſimum præbuit exitium. Nec hodie etiamnum arrodere Imperium cessant, quò & residuâ mundi parte Europâ nos priuent. Regnum hoc Turcicum, Tartarorum, seu Saracenorum, plenum terroris in Sacris litteris describitur, ne nesciremus hoc Satanæ regnum esse, & cuius potentiâ atque successu non absterreremur, à CHRISTO ad Mahometicam impietatem deficientes. Ezechiel & Ioannes appellant populum hunc *Gog* & *Magog*. Gog tentorium vocatur, & Magog populus est extra tentoria: nam Tartari habitant in tentorijs. Et apertè scribit Ezechiel permisisse Deum augeri potentiam Gog propter peccata populi. Methodius autem ait Gog & Magog vltra Caspios montes, hoc est, Caucasum, conclusos fuisse, & vulpem illis meatum facturam esse. Vulpes hæc Mahometes est; nam per legem Mahometicam prouocati, potentes facti sunt, & dominari cœperunt. Dicebat enim Mahomet, populum suum Deo gratum esse, atque adeò ad quem benedictionis promiſſio pertineret, & dominaretur in toto Orbe. De principio autem huius Mahometis lege paginam 192. & 194. huiusce libri. Postquam diu Constantinus arctè Imperium administrasset, vindictâ diuinâ ictus intolerabili æstu consumptus exclamauit: *Viuus inextinguibili igne accendor, discrucior*q. Hæretico Patriarchæ ciborum excrementa ore erumpebant.

Turcicæ infandæ gentis origo.

CIX.

CORPVS EXCORS FRAGILE.



Cùm XXXIIII. annis, II. menſibus atque XXVI. diebus, rerum Orientalium potitus eſſet, violentiſſimâ incurabiliq́ue febri interijt.

EO Conſtantini F. patri ſucceſſit, anno à CHRISTI natiuitate ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto. Hic animaduertens patrem ob imaginum expugnationem ſummoperè fuiſſe inuiſum, ſimulabat ſe in principio CHRISTI amicum, fautorem Pontificum ac Monachorum; ſed clàm ne pili quidem cuncta faciebat, imagineſque domi ſuſque deque ferebat. Cùm autem Romæ ipſum ſine aliquâ ſimulatione ita ſentire arbitrabantur, incredibili ſanè lætitiâ fuêre perfuſi, adeò vt filium Conſtantinum Imperatorem legerint. Leo hunc vnicum eſſe ſuum dicebat filium, per ætatem nondum ſapere, ideoque ſibi curæ eſſe maximè: idque ſe vereri, ne huic vſu veniat, quod multis alijs olim contigit, nimirum ne hunc tandem è medio tollant, aliumque Imperatorem faciant. Quamobrem iurarunt nullum ſe lecturos Imperatorem alium præter Leonem, & Conſtantinum, & qui naſcentur ab illis. Cinctus igitur Imperiali diademate eſt Conſtantinus Conſtantinopoli ipſo die Paſchatis: ſed Romam haudquàquam venit. Nam iaſpidem Deo dicatum è Sacrario S. Sophiæ nefario capiti imponens, per vniuerſam vrbem ſuperbus incedebat. Quæ res magnam Romanis peperit ſuſpicionem futuri hoſtis in Deum, vt maluerint Ducem ſuum retinere. Præterea multum ſpei collocabant in Francis, tam his qui in Franconiâ ac Germaniâ, quàm illis qui in Franciâ agitabant, queis omnibus imperitabat Carolus Pipini filius, qui & Magnus poſteà eſt cognominatus. Hic poſt mortem patris regnum adeptus ante quadriennium VVormatiæ Comitia celebrauit, concluſitque bella mouenda aduerſus Saxones: quò item omni exercitu profectus eſt, cuncta ferro ac flammâ deuaſtans. Arcem Eresburgum inuaſit, idolumque Saxonum Irminſul nominatum diſiecit. Hinc ad VViſarim fluuium profectus, duodecim à Saxonibus obſides accepit, atque inde ad Germanicum mare perrexit. Vt autem Hadrianus Pontifex crudelitatem ac ſæuitiam Deſiderij Longobardorum Regis accepiſſet, opem huius Caroli mox implorauit. Profectus itaque hic omnibus copijs in Italiam, Papiæ obſidione Deſiderium compreſſit; quâ integrâ hieme perdurante, res multas herclè præclaras etiamnum aggrediendas animo concipiebat. Intereà Saxones atque Heſſones (qui cum illo diſſidebant) templa paſſim ſpoliarunt, deuaſtaruntque. Quo quidem audito, Carolus Papienſes ita conflictibus coarctauit, vt ad deditionem fuerint coacti, Deſideriumque illi in manus tradiderint. Captum autem Regem Carolus ſecum in Franconiam abduxit, ac tribus exercitibus Saxoniam inuadens, cædibus atque incendijs cuncta populatus eſt. Atque hîc quidem tantiſper egit, donec ab omni idololatriâ repurgati religionis Chriſtianæ fidem amplecterentur; quod ſine ſanguine profectò haud fieri potuit. Ciuitates ſuas caſtraque Francis fortiſſimè munijt, ac domum reuerſus eſt. Nomen eius tam latè cognitum fuit, vt omnibus nationibus terrori fuerit. Natus autem eſt in oppido Ingelheym in Germania ad Rhenum, non procul à Moguntiâ. Eius parentum hereditarium ac primum dominium fuiſſe dicitur Comitatus Palatinus circa Rhenum fluuium; quamobrem Palatini Comites appellabantur, ſed tamen vt Maiores domus Regis Franciæ, quemadmodum paginâ 208. abundè dictum eſt. Nam Franci omnes, tam qui in Franconiâ, quàm qui in Franciâ agebant, vni erant Regi ſubiecti. Quemadmodum verò Carolus poſteà ad Imperium Romanum peruenerit, & quemadmodum quarta Monarchia in Germaniâ initium ceperit, mox dicetur. Leo autem aduerſus Tartaros ac Saracenos profectus, auditâ illorum victoriâ, vi & crudelitate, domum reuerſus eſt; atque in adminiſtratione Imperij planè deſperabat. Poſteà ardentiſſimâ febri obijt, Imperiumque vxori ſuæ Hirenæ ac Conſtantino filio reliquit.

Carolus Magnus in Italiam accerſitur.

C X.

QVO MIHI FORTVNA,
SI NON CONCEDITVR VTI?



Cum filio obijt quinto Imperij Orientalis anno.

ONSTANTINVS cum matre HIRENA Orientalis Imperij administrationem sortitus est anno salutis septingentesimo octuagesimo primo. Confestim autem Hirena conuentu trecentorum & triginta Antistitum Nicææ indicto, septimam Synodum celebrari iussit. Hîc damnabantur εἰκονόμαχοι & imaginum corruptores, censebanturque omnes hæretici, abnegatâ interim superiori Synodo. Hîc, inquam, templis Diuisque suæ restitutæ sunt imagines. Conclusum quippe erat, Sacrarum litterarum imagines laicorum esse litteras. Tum Hirena templis suas reddidit imagines; fidemque Romanam, adeoque Catholicam, vi in Oriente quantum potuit tutata est, quemadmodum in Occidente Francorum Rex Carolus. Mox item cadauer Constantini insignis illius εἰκονομάχου, patrisque soceri sui Leonis, atque huius Constantini aui, effodi curauit & comburi; cineresque in mare proiecit, quòd imagines perdiderat atque impiè aboleuerat. Quod sanè ægrè ferens Constantinus iam adultus, matrem haud ampliùs passus Imperio deiecit, templisque rursum suas imagines detraxit tamquam idololatriam intolerabilem. Decreuerat autem multos excæcare Christianos (quæ res ipsum maximè oblectabat) pluresque interficere. Cùm iam nouam electionem Constantinopolitani clàm moliebantur, atque in Nicephorum defuncti Leonis fratrem suffragia multorum tacitè inclinabant; non multò pòst ipsa conspiratio Constantino cognita fuit, qui comprehensum captumque Nicephorum oculorum & linguæ vsu priuabat. Id autem populo adeò displicuit, vt Hirenam matrem in Imperium restituerint. Hæc captum filium in carcerem detrusit, Nicephorumque liberauit. Tum Senatu populoque congregato decreuerunt, haud velle se à muliere solâ imperari, adeoque Imperatorem è carcere reuocandum, vt vnà imperaret. Verùm cùm rursus se omnibus flagitijs inquinaret, imagines & contemneret & combureret, oculis vnumquemque ferè indies priuaret, multosque leui de caussâ exsilio puniret; mox mater hinc rerum sola potita, filium secundò captum excæcauit, vitamque cæcus in carcere finijt. Hæc autem Hirena ita supra captum muliebrem prudentissimè cum populo egit atque imperauit, vt summâ cum laude omnium in Imperio permanserit. Ab illo tempore deinceps cum Pontifice Leone III. egit, vt eius operâ potentissimo Francorum Regi Carolo posset nubere; Imperatorem enim ipsum faceret, idque sedulò operam daret quò Imperium Romanum iam Orientale, in Occidentem ad Carolum deueniret. Nec mora, Pontifex precibus Hirenæ legatum suum hac de re ad Carolum misit. Quod vt Nicephorus intellexisset, magnam profectò quantumlibet cæcus elinguisque excitauit Constantinopoli seditionem, ita vt Hirenam Reginam comprehensam in perpetuos carceres detruserit, Imperiumque ad se vi traxerit, anno CHRISTI octingentesimo secundo. Proinde cùm hac tempestate regnum Occidentale Imperiumque Romanum atque omnis Cæsarei nominis maiestas operâ Pontificis ad Carolum Francorum Regem deuenerit; consultò hîc prætermittemus Imperatores Græcos, qui adhuc fuerunt circiter triginta quinque, donec Constantinopolis à nefarijs Turcis sit capta anno salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio. Neque enim tum latiùs Imperium Constantinopoli patebat; itaque infeliciter deinceps imperarunt, vt eorum vix vlla exstet memoria. Sub hæc tempora Turcæ, quos antè Tartaros ac Saracenos appellauimus, totam Asiam, Orientem atque hinc Africam subegerunt. Sed in Occidente, quòd Imperium Romanum in Principes Germanos iam translatum esset, potentiores certè effecti sunt. Occasionem verò, quâ Romanum Imperium ad Germanos deuenerit, abundè suprà à paginâ 208. ad hunc vsque locum diximus: sed quemadmodum istud Carolus primò adeptus sit, mox dicetur in sequentibus.

CXI. CXII.

FEMINÆ NATVRAM REGERE
OMNINO DESPERARE.
VIVE VT NON MORIARIS.



Vnà cum matre regnauit annis XVII. quæ, filio excæcato & in perpetuos carceres detruſo, ſola quadriennium regnauit.

AROLVS MAGNVS potentiſſimus ille Francorum in Germaniâ ac Franciâ Rex, quòd aduerſus Leonem Pontificem tumultus Romani concitauerant, Romam ipſe profectus eſt. Iam verò vbi iſtic Natale feſtum celebraret, factum eſt cùm ad ſacra properaret, quæ eo feſto perficiuntur, ſeque cognoſceret peccatorem, atque à precibus ſuis reſurgeret, ac nihil tale quidpiam exſpectaret, ipſi coronam Pontifex Leo impoſuit, atque altâ voce Imperatorem Romanum publicauit. Confeſtim vniuerſus populus Romanus, qui eo Feſto maximè erat congregatus, incredibili lætitiâ acclamauit: CAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORVM VITA ET VICTORIA. Poſt hanc acclamationem à Pontifice inunctus eſt, ac iuxta veterem conſuetudinem ſe Pontifex Cæſari flexit humiliauitque; ac ſublato cognomento Patricij, appellauit ipſum MAGNVM IMPERATOREM AVGVSTVM. Factum autem id ita eſt prædicto die, anno poſt natum CHRISTVM octingenteſimo primo, ab Româ verò conditâ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo. Poſtquam Carolus iam Francorum rebus annis triginta tribus præfuiſſet, comitia coacta fuerunt in eos qui in Pontificem commiſerant, ac iuxta Romanorum decreta capite fuerunt condemnati: verùm Pontifex ex ſuâ clementiâ pro his ſupplex orauit, nequid in vitâ aut corpore detrimenti paterentur. Vbi iam Carolus Longobardos in vniuersâ Italiâ ſubegiſſet, & ad pacem compuliſſet, in Germaniam reuerſus eſt, ſellamque Imperatoriam fixit Aquiſgrani. Hinc paſſim per vniuerſam Europam ingentem militum multitudinem miſit, ac cuncta proſperè ſuo Imperio ſubiecit. Nihilominùs ſuum cuique nationi permiſit Principem præter Longobardos in Italiâ: nam filium ſuum Pipinum vniuerſæ Italiæ Regem præfecerat. Habebat prætereà & alios duos filios, Carolum, & Hludouicum: horum Carolus multa fortiaque bella patris nomine abſoluerat, ac non multò pòſt obijt: ſed Hludouicum conſortem ſibi Imperij fecit. Vſqueadeò enim liberos ſuos adamauit, vt beatum ſe verè arbitraretur, quòd ſibi cohabitabant, atque ideò nullos matrimonio elocabat dum viueret. Filiæ eius ſerica penſa ducebant, lanamque præparabant, atque acu

CXIII.

NIHIL EST QVOD PLVS VALEAT AD PONENDVM LABOREM, QVAM CVM EST INTELLECTVM NIHIL PROFICI, ET FRVSTRA ESSE SVSCEPTVM.



Rerum Occidentalium habenas tenens per XIIII. annos, ætatis LXXII. naturæ debitum persoluit.

acu artificiosè pingebant. Complures matronas Nobiles in Aulâ ſuâ alebat, eaſque ſecum quocumque proficiſceretur conuehebat, nec vmquam ſine his aut prandebat, aut cœnabat. Auguſtinum ſibi ac ſacras Litteras quotidie in mensâ prælegi curabat. Nullum non ſcientiæ genus diſcere affectabat. Aſtronomiæ, Geometriæ, Arithmeticæ, Muſices, atque aliarum artium erat peritiſſimus: in orationibus habendis copioſus, elegans, ornatus, atque eloquens. Balneis ac venandi ſtudio plurimùm ſe oblectabat. Amabat item plurimùm thermas illas naturales, quamobrem Imperialem ſuam Aulam eſſe voluit Aquiſgrani. In hac vrbe operoſiſſimum ſanè templum ſtruxit. Ita erat omnibus imaginum ornamentis, cærimonijs, atque officio diuino ſemper addictus, vt in templo ſacras Lectiones ipſe cantauerit, Pſalmoſque vnà cum Sacerdotibus modulatus fuerit, & omni ſe officio diuino facilè accommodauerit. Et quamquam natione erat Germanus, ſemperque Germanicâ linguâ vſus ſit, dicendo tamen Latinè diſertiſſimus fuit, nec Græcæ linguæ omnino ignarus; adeò vt ipſe legatos Græcos audiuerit, & Græcè reſponderit. Miſſi enim erant ad ipſum legati Regis Perſarum cum muneribus huiuſmodi: nimirum cum Regio tentorio magnificentiſſimo, ac tribus coloris diuerſi alijs magnificè artificioſeque ex ſerico confectis; prætereà cum innumeris ornamentis ſericis, balſamo, alijſque vnguentis ſalutaribus, atque horologio operoſiſſimè ex auro atque ære confecto. Mittebant item perditi Imperatores Conſtantinopolitani tres quatuórve continui ſalutem (nihil enim his ferè aliud relictum erat) per litteras ſe illi ſubijcientes, nihilque aliud flagitare profitentes, quàm eius gratiam & fauorem. Ceterùm omnes Chriſtianos Reges in omnibus Prouincijs obſecrabat, vti pacem conſeruarent: quod vtique factum eſt. Nam metus atque amor, quem de illo cuncti ſuſceperant, per vniuerſum orbem ſeſe diffundebat; exceptis Turcis ſiue Saracenis, quos pugnis herclè cruentiſſimis ſæpenumerò ſubegit, damnoque vix recuperabili affecit. Odioſum ſanè foret omnia eius bella hîc recenſere. Aduerſus Hunnos bella mouit annis octo, in quibus pænè omnes euerſi fuerunt. Intereà temporis Bohemiam quoque cepit, ac Regem Lechon interemit.

Grauia,

Grauia , innumeraque bella aduerſus Danos , Nortmannos , Friſios, atque Anglos geſſit. Poſtremò omnium nationum iura ac conſtitutiones in vnum volumen congeſſit, mutatis correctiſque plurimis. In vniuersâ Europâ ſanctiſſimam ſemper iuſtitiam diligenter obſeruabat. Quater in vitâ Romam profectus eſt. Poſtremam profectionem ſuſcepit nomine Pontificis Leonis (cui oculos Romani effoderant, ac linguam præciderant, & qui ad ipſum in Germaniam confugerat) vt hunc in Sedem Apoſtolicam reſtitueret. Cùm iam Pontifex atque Imperator Romam properabant, obuiàm his Romani cum Sacerdotibus ad pontem Miluium ingenti pompâ procedebant, ac Romam cymbalis, citharis, atque id genus inſtrumentis inducebantur. Proinde Imperator hanc ſæuitiam non paſſus eſt inultam. Nam eodem die obtruncati fuerunt ex præcipuis trecenti. Deinde quatuor annis continuis febri grauiter confectus, Aquiſgrani felix ad Superos migrauit; atque huius nomine ceteri deinceps Romanorum Imperatores in hac ciuitate Imperij diadema ſuſcipere debent.


LVDOVICVS PIVS Caroli Magni filius, rerum potitus est anno CHRISTI octingentesimo decimoquinto. Huic in initio Principatus sui nuntiatum fuit, Romæ aliquos ex optimatibus (auditâ morte patris) coniurasse, atque in necem Leonis Pontificis conspirasse; & quemadmodum Pontifex eius rei iam factus esset certior, iusseratque coniuratores hosce strangulari; ac Romæ cuncta etiamnum in tumultu esse. Hludouicus, eo nuntio accepto, ingenti sanè dolore, tamquam grauissimum perpessus infortunium, perfusus est, mandauitque Bernhardo fratris sui Pipini filio (quem Carolus auus post mortem patris Italiæ præfecerat) vt hæc certiùs rimaretur. Hic vbi Romam venit, morbo correptus est: nihilominùs confestim ducem Heroldum in Germaniam misit, vti Hludouicum de Rebus Romanis certiorem redderet. Hunc legati Pontificis insecuti sunt, qui crimina quæ de illorum Domino ferebantur, coram Hludouico abundè satis refutarunt. Abhinc diebus non multis ipse Pontifex obijt, atque in eius locum Stephanus quartus successit. Hic extemplò properauit in Germaniam, Hludouicumque Aquisgrani diademate cinxit. Intereà postquam tumultus aliquis in Gasconiâ exortus fuisset, quæ ab Imperio desciscere conabatur, Pontificem per Galliam Cæsar Aureliam vsque deduxit. Diutiùs quidem ipsum apud se detinuisset, nisi grauissimis bellis fuisset occupatus, ac nisi ipse aduersus hostes proficisci debuisset. Dum ergo Imperator in Franciâ circa hostes erat occupatus, plures sanè ab Imperio desciuerunt; nempe Angli, Dani, Saxones, Hungari, Nortmanni, ac Saraceni. Gasconienses quidem ferro compescuit. Deinde verò ita acriter Anglos & Danos adortus est, vt omnes facilè domuerit. Profectus est pleno exercitu aduersus Saxones, qui iam Viromachum Ducem fecerant, quem in primo conflictu prostrauit, sibique Saxones parêre coëgit. Lindeuintum denique, quem Hungari Regem sibi legerant, etiam bello deuicit. Volebat item aggredi Bulgaros, qui Hungaris suppetias tulerant; nisi Nortmanni, qui Franciam obruebant, impedijssent, adeò vt hos contra redire debuerit. Hi plurimum huic negotij fecerunt, plurimaque bella terrâ marique aduersus hos mouere coactus fuit. Nam vniuersum mare Occidentale iam opplerant, ac nusquam non eruperant: tandem & hos tamen coërcuit. Deinde collectis vndecumque præsidijs, cum ingenti liberorum suorum multitudine in Hispaniam aduersus Saracenos profectus est; sed in multis prælijs nihil aut parum ab his potuit obtinere. Hæc vbi bella in Imperio sedasset, reuersus est Aquisgranum, ibique comitijs celebratis filium suum natu primum Hlotarium Imperatorem Romanum creauit, consortemque Imperij fecit: filios autem alios, Reges appellauit; alterum quidem Aquitaniæ in Galliâ, alterum verò Bauariæ in Germaniâ superiori. Post hæc intellexit quemadmodum Bernhardus Italiæ Rex tyrannidem affectaret, ac vias iam in Alpibus arctas præmuniuisset, cunctaque Italiæ oppida illi iurassent. Hunc rumorem vti compesceret, expeditionem confestim parauit instructissimam. Bernhardus non multum suis in hac necessitate fidebat; quamobrem arma deponebat, cogitabatque se facilè propter ætatem, genus, ac criminis sui confessionem, in Cæsaris gratiam rediturum. Cæsarem itaque accedebat, permittebat se eius voluntati & gratiæ, culpamque omnem in suos reijciebat nobiles, qui ipsum concitarant, quare vt sibi ignosceretur obsecrabat. Verùm Imperator ipsum cum suis nobilibus captum ad Comitia Aquisgranum duxit, ac publicè interemit. Quo facto, Hlotarium filium suum Italiæ Regem præficiebat, eoque ipsum mittebat, vti cuncta Italiæ negotia suo arbitratu ordinaret. Cùm iam istic singula diligenter restituisset, atque in Germaniam redire cogitaret, Pontifex Paschalis ipsum obsecrabat, vti Romam venire vellet. Quod minimè recusauit, atque in Vrbem ingenti honore exceptus est, ipsoque die Paschatis à Pontifice Imperator vnctus coronatusque est. Multo tempore pòst Imperator senior filio suo Carolo Caluo, quem ex Iudith Sueuâ susceperat, concessit Sueuiam, Burgundiam, ac Rhætiam. Quæ res Hlotario iuniori Imperatori displicuit, & aduersus patrem conspirabat. His rebus plurimi sese miscebant Antistites atque Episcopi, consulebantque vti Iudith nobilem illam Sueuam coniugem suam ab se abdicaret, quò vel hoc pacto filium suum placaret. Verùm hac re filij sui iram euitare non potuit. Operâ quorumdam Principum comprehendebatur, cogebaturque Imperium atque omnem potestatem deponere, atque Antistitum consensu in monasterio vitam suam finire pœnitentiamque agere iudicabatur. Sed hinc tandem liberatus, ad vxorem, liberos, atque Imperium redijt; Hlotariumque filium suum (qui cum exercitu ex Italiâ aduersus hunc bellaturus properabat) vi in Italiam repulit. Dum iam pater filiusque inter se dimicarent, Saraceni seu Turcæ Italiam obruebant, terramque locustarum more opplebant, atque vrbem Romam obsidebant.

CXIIII.

VICISSITVDO OMNIVM RERVM EST.



Sui Imperij anno XXVI. ætatis LXIIII. vitâ decedit.



LOTARIVS qui Rex erat constitutus vt Italiam ab impetu Turcarum defenderet, tantos ipse concitabat tumultus, vt aduersus hunc velut Turcam aut Saracenum sese pater in Italiam parauerit. Templa quippe passim diripiebat, profligabatque cunctos Religiosos. Turcæ inuadebant Romam, atque ex Basilicâ diui Petri stabulum sibi conficiebant equorum. Gestum id ita est post CHRISTVM natum anno octingentesimo trigesimo quarto. Iam verò vbi Turcæ intellexissent, Guidonem Marchionem Cisalpinensem cum Longobardis aduersus se expeditionem parare; vniuersam Romam omnino spoliarunt, vastaruntque Tusciam, & quidquid circa Romam situm erat, cædibus atque incendijs. Mox Tarentum, Apuliam, Siciliam aggressi sunt; & postquam multa his intulissent damna, nauesque spolijs onerassent, properè aufugerunt, priusquam Italiæ quisquam auxilio venire potuit. Quidam tamen narrant, Guidonem multo sanguine, multâque Christianorum clade eos ex Italiâ profligasse. Hlotarius nihil horum pensi habebat, sed indies magis magisque furebat, atque in sua viscera truculentiùs sæuiebat. Filiam patrui sui, sororem Bernhardi, trucidatam in vasculum condidit, & in fluuium Ararim coniecit. Nonnullos ex cognatis suis, quòd ipsum arguerant, interfici iubebat. Hludouicus senior Imperator duos alios ad se filios accersebat, Pipinum videlicet & Ludouicum; proficiscebaturque cum exercitu aduersus filium suum Hlotarium iuniorem Imperatorem in Italiam. Hlotarius verò ingentem patris videns multitudinem, ignosci sibi obsecrabat; & postquam illi iterùm iurasset, Rex Italiæ permansit. Nec multò pòst moritur Pipinus. Cumque Hludouicus senior Imperator huius Regnum ad se recipere decreuerat, eius alter filius Ludouicus Sueuiam ingressus, patri militari manu restitit; & cùm pater Aquisgrano Moguntiam venisset, morbo correptus est. Tentoria istic sua figi mandabat, atque in eam incidebat infirmitatem, vt quadraginta diebus neque ederit, neque biberit. Intereà condonabat filio suo Ludouico tumultum quem excitauerat, itidem & Hlotario, cui præsenti cuncta Imperij insignia tradebat, obsecrans vti cum coniuge suâ ac filio Carolo Caluo amicè deinceps agere vellet. Atque ita quidem magnis cruciatibus interijt. Confestim verò dissensio, Regni caussâ, inter fratres coorta est. Imperator Hlotarius æquali iure vti volebat, nec permittebat Carolum Caluum Regni fore participem, volebatque etiam Ludouicum exheredare. Fratres itaque tanto inter se conflictu congressi sunt, quantum numquam apud Francos aliàs fuisse testantur historici. Victores fuerunt Ludouicus & Carolus Caluus, sed non sine clade suorum. Hlotarius Aquisgranum fugâ elapsus est, indeque à fratribus propulsus Viennam Austriæ, quò & fratres cum exercitu ipsum insecuti sunt. Multi sanè Principes atque Episcopi, imò & Pontifex ipse Sergius Secundus, hac re fuerunt sollicitati; & cùm in gratiam tandem essent redacti, Imperium inter se diuiserunt: Hlotarius cum Imperiali nomine Italiam retineret, Ludouicus Rex diceretur Germanicus, Carolus denique Caluus vniuersam Galliam in hereditariâ transactione possideret, Rhenusque Germaniam ab Galliâ diuideret. In luctuosis hisce bellis, quæ inter sese confecerunt fratres, ceciderunt hominum bis centum millia. In hac verò calamitate rursum Turcæ magnis copijs Italiam vndique ac Siciliam inuaserunt. Ab Turcis Constantinopolitanorum ac Venetorum triremes in fundum actæ fuerunt supra sexaginta. Tum ijdem ciuitatem Anconam aggressi, ceperunt, spoliarunt, incenderunt. Postremò Italiam deserentes, profecti sunt in Illyrium ac Sclauoniam. Hìc ceperunt Ragusium, ac ciuitates multas alias; tantumque damni intulerunt, vt aliqui dixerint, Christianum nomen planè fuisse interiturum, nisi mare nobis tandem suppetias tulisset, Turcasque cum spolijs absorbuisset. Intereà temporis inuadebant Aquitaniam Nortmanni, cunctaque depopulabantur; & quia nullus erat qui resisteret, proficiscebantur per vniuersam Galliam, Geldriam, Hollandiam, Zelandiam, redibantque per Flandriam ac Picardiam in Aquitaniam. Hìc sedem fecerunt, appellaruntque eam Nortmandiam. Et quidem quòd Carolo Caluo Gallia contigisset, voluit hinc Nortmannos expellere. Verùm haudquaquam potuit; atque ideò ab eo tempore Nortmanni in Aquitaniâ manserunt. Carolus verò Caluus vel quinquennio aduersus Angliam bella gessit, donec tandem & sibi subegisset.

Roma ab Turcis spoliata.

C X V.

V B I M E L, I B I F E L



XV. annorum cum filijs Hludouico II. & Hlotario II. Imperator, monachus factus in monasterio moritur.

LVDOVICVS II. Regni Imperijque consors à patre effectus est anno CHRISTI octingentesimo quadragesimo tertio, missusque cum ingenti hominum multitudine. Adolescens autem rerum successu elatus, cuncta passim in itinere cædibus, direptionibus atque incendijs Romam vsque vastabat. Hîc Religiosi omnes ad primum milliare huic Tyranno obuiàm cum crucibus ac sacris vexillis procedebant, deducebantque ipsum Romam canentes: ***Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.*** Pontifex ipsum collo amplexus osculabatur. Hac vrbanitate atque humanitate ferox iste animus paullò tranquillior humaniorque effectus est. Præcludebat illi Pontifex vniuersas Ecclesias, aditum in eas inquiens minimè ipsi patêre, nisi tamquam amicus & pacificus ingredi vellet. Quod huic Hluduicus facilè promittebat. Tum extemplò à Pontifice Sergio II. Italiæ Rex inunctus ac diademate Imperiali coronatus est: ad quæ festa cuncti venerunt Italiæ Principes atque Antistites. Et sic quidem cuncta vndique lætitiâ perstrepebant, vt vniuersis cælis arboribus, fructibus, armentisque, ex ijs publicè omnibus epulas parauerint. Principes optabant vti Hlotarij patris nomine ipsum Romani inaugurarent; sed id Pontifex haudquaquam admittebat, satis esse inquiens eos semel seniori Imperatori iurasse. Mox Hlotarius Imperator senior alterum suum filium etiam Hlotarium appellatum Aquisgrani in locum suum constituit, profectusque est omni vi Romam, quòd audierat Pontificem iratum conari Imperium ab Germanis rursum in Orientem transferre. Verùm Pontifex excusabat se; & qui nuntiauerunt, tamquam delatores falsi obtruncabantur, ita vt hinc Pontifex Imperatorque conciliati sint. Hlotarius vbi iam multis annis cum duobus filijs Imperium administrasset, reuersus est ad Hlotarium filium in Germaniam, cui omnem vim potentiamque tradidit, ac Imperij gladio deposito tonsus monasterium ingressus est, & Prumiæ in cœnobio obijt. Deinde rursum Italiam Turcæ ingressi, Tusciam inuaserunt, veneruntque iterùm Romam. Proinde quia in primo conflictu præter suburbium obtinere nihil potuerunt, idipsum miris modis deuastarunt, & iam secundò ex Basilicâ diui Petri stabulum equorum confecerunt. Eradebant, quæcumque erat in pariete pictura: altaria imaginesque vniuersas deijciebant, cuncta ferro flammâque vastantes, ac spolijs onusti Ostiam deinceps petebant. Pontifex verò & Hluduicus Imperator Turcas collecto exercitu insecuti sunt, ac fuderunt: partem ceperunt, partem verò portis affixerunt, quò hostibus magis essent terrori: reliqui denique Turcæ profecti sunt Neapolim atque in Calabriam, vbi itidem cuncta sunt depopulati. Pontifex nolebat vt ita deinceps Ecclesia hostibus ac Tyrannis vndique pateret; ideoque D. Petri Basilicæ fortia mœnia circumdedit. Cuius rei gratiâ multa ei dona vectigaliaque ambo Imperatores concedebant. Non multò autem pòst Turcæ tertiò Italiam inuaserunt; sed ab Hluduico & Hlotario eius fratre hinc facilè repulsi sunt. Vniuersam etiam hi Apuleiam & Campaniam ab Turcarum armis repurgarunt. Sic & Sclauos vicerunt, eorumque Principi oculos effoderunt. Hlotarius duas volebat ducere vxores, alioqui priorem ab se velle abdicare dicebat. Hac de caussâ Pontifex Adrianus secundus ipsum anathemate ferijt. Quod adeò commouit Hlotarium, vt reuocatâ priori vxore concubinam mox præter illam habuerit, quæ nec ab eo nisi morte diuelli potuit. Pontifex ipsum accersibat Romam; & post multas admonitiones nequidquam se laborare considerans, rursus ipsum excommunicauit. Hlotarius excommunicatus Româ excessit, ac Placentiæ in Longobardiâ vitâ functus est. Horribilia sanè hac tempestate prodigia apparuerunt. In Longobardiâ cruenta pluuia cecidit diebus tribus totidemque noctibus continuis. Hoc etiam tempore vniuersa Gallia oppleta est locustis, quæ sex habebant alas totidemque pedes, atque in ijs vngues duos vel quouis saxo duriores. Hæ circulatim terras contegebant spatio quatuor milliarium. Sursum autem deorsumque simul volitabant, ac deuastabant herbas, arbores & omnis generis fructus, ad mare vsque Oceanum. Tum exortus Eurus eas vnico impetu in mare egit. Et cùm easdem mare rursum ad littora pellebat, ita earum fœtore aër infectus est, vt in Galliâ plusquam tertia pars hominum ex peste obierit. Sed prodigium hoc omen dumtaxat futuræ erat calamitatis; quam, vt mox audies, Imperium Romanum passum est. Hluduicus Imperator postquam iam diu solus post obitum fratris imperasset, Italiamque tranquillam reddidisset, sine herede masculo vitâ decessit. Verùm eius patrui Ludouicus Rex Germanicus ac Carolus Caluus Rex Galliæ etiamnum in viuis agebant.

Roma secundò à Turcis deuastatur.

Prodigia horrenda venturæ calamitatis.

CXVI. CXVII.

NIHIL LABOR ADVERSANTE FORTVNA PRODEST.

DITIOR QVI DIVITIAS SPERNIT,

QVAM QVI EAS POSSIDET.



Simul cum patre XV. annis, eoq́ue mortuo XIIII. Auguſti fuerunt, diemq́ue naturæ obierunt.

AROLVS II. cognomento CALVVS Rex Franciæ Romam venit anno CHRISTI octingentesimo septuagesimo sexto, simulatque audijsset obitum Cæsaris; tantumque egit apud Pontificem Ioannem IX. vt quamprimùm ab eodem Imperator designatus, vnctus publicatusque sit. Iam verò machinabatur Romanus Pontifex Imperij Maiestatem à Germanis ad Gallos transferre: verùm re cognitâ Ludouico Regi Germanico ac huius Caroli fratri, ferre id planè noluit. Tum Imperator comminabatur tam innumerabiles hostium copias trans Rhenum se ducturum, vt vel ab equis exhausto Rheno exercitus siccis pedibus posset transire. Ludouicus, collectis duobus exercitibus, mittebat filium suum natu minimum Carlomannum Regem Bauariæ cum exercitu vno per Alpes in Longobardiam, vt Caroli Calui propositum inhiberet: cum altero autem exercitu ipse cum duobus filijs Carolo Crasso & Ludouico (quem Regem Francorum fecerat) compendiosiori viâ trans Rhenum profectus est in Franciam, vt fratri obicem obijciat, ac deinde opportuno tempore in Italiam pergat. Ludouicus vir erat senex, debilis, & qui in superioribus bellis ciuilibus grauiter fuerat vulneratus; quare solus profectus in bellum est, vel propter suam auctoritatem vel propter liberos suos. Carolus Caluus tametsi haud ignarus fratrem non ita subitò instructum fore, ac depopulaturum suas regiones; non destitit tamen orare & blandiri, donec Imperatorium diadema à Pontifice impetrasset. Pontifex nullâ decreti ratione habitâ, quo nullus Princeps Francicus Imperator creari poterat, ipsum Cæsarem inunxit ac coronauit. Quo facto Imperator confestim Româ in Regnum suum iter flexit, ac dolo in Franciam repedauit. Hîc exercitus conscripsit è diuersis nationibus, videlicet Nortmannis, Picardis, Anglis, Gothis, ac pluribus aliis, parauitque se ad expeditionem quinquaginta instructus Gallorum millibus. Frater eius Ludouicus fugâ sibi consuluit; profectusque Francofordiam, aduersâ laborare cœpit valetudine, atque obijt. Mox vt hæc Carolus accepisset, ingenti cum exercitu Aquisgranum profectus est, eo certè animo, vti vniuersam Regionem ad Rhenum ab imo ad summum vsque populabundus deperderet; quod vtique fecit. Vbi verò Coloniam venit, deliberauit secum Ludouici filius, nec ita patriam suam perditum iri pati voluit; sed hunc contra arma extemplò mouit, nec vndecumque illi defuêre præsidia. Cæsar Coloniam liquit, atque vlteriùs profectus est, sperans omnia se vastaturum. Cùm iam copiæ vtrimque congrederentur, pugna habita est non procul ab Andernaco ad Rhenum, in quâ vniuersa pænè Galliæ nobilitas interijt, Cæsarque in turpem fugam actus est. Nam in Italiam vsque profugum tres Ludouici filij ipsum ingenti exercitu insecuti sunt, pugnatumque sæuissimè. Cæsar in Alpibus antra passim occupare conabatur; at frustrà: Germani enim quocumque irrumpebant; idque eo animo, vti aut vincerentur, aut Cæsarem interficerent. Tantum ob Cæsaris insaniam stomachabantur, & quòd ius fasque violasset, ac magnâ clade Imperium illis eripere molitus fuisset. Cognitâ hac famâ, Cæsar ex mœrore morbo Mantuæ correptus Sedechiam Iudæum Medicum ad se accersiuit: qui toxicum illi pro antidoto porrexit, vt miserabili hac calamitate semel Orbis liberaretur. Sed nequidquam hæc quidem omnia. Nam Pontifex, auditâ morte Cæsaris, LVDOVICVM BALBVM huius filium Romæ Cæsarem publicauit. Sed Germani Romam profecti, Pontificem comprehenderunt, ac Carolum Crassum Imperio præficere voluerunt. Deinde Pontifex fugâ in Galliam elapsus, Ludouicum Balbum Cæsarem creauit. In hoc sanè tumultu Turcæ rursum in Italiam irruperunt, cunctaque passim cædibus ac rapinis oppleuerunt. Pòst Gallia ab Nortmannis obruebatur, adeò vt deinceps diuisa fuerit. Cùm itaque Italia ad istum modum ab Turcis coarctaretur, Romani è Galliâ Pontificem in Italiam receperunt. Cumque subsidijs iam maximè aduersus Turcas indigerent, ita Imperator Ludouicus Balbus in Galliâ circa hostes occupabatur, vt Italiæ subsidio esse non posset; vnde inuidiæ ac mali quamplurimum posteà exortum est. Tum Pontifex necessitate coactus Germanicos Reges implorabat, vt Italiæ subsidio venirent, coronaret Cæsarem quem vellent. Tum ad expeditionem se parauit Carolus Crassus cum ingenti militum multitudine.

Ludouicus Balbus in Cæsarem creatus.

CXVIII. CXIX.

IVSTITIAM INIVSTITIA PARIT.

QVOD PASTORI, ID OVIBVS.



Paucorum mensium Imperator obijt. Ludouicus Balbus filius, vix tribus annis pòst regnauit.

AROLVS III. cognomento CRASSVS, cum exercitu in Italiam profectus est, anno CHRISTI octingentesimo septuagesimo septimo, vt Pontificem ac Romanos ab obsidione Turcarum liberaret. Profligabat vi ab vrbe Turcas, repurgabatque Siciliam, & Prouincias alias. Tum Imperialem coronam accepit à Pontifice; adeoque hinc Imperium ante finem quadriennij ex Galliâ in Germaniam redijt. Quantum profectò cruoris in hisce bellis ciuilibus profusum sit, & quantopere vel integræ Prouinciæ sint depopulatæ, dici aut scribi vix potest. Reuersus itaque in Germaniam est ad fratres suos Carolus, qui patris Regnum iam administrabant, vt illis distribuerat. Intereà (anno nimirum octingentesimo septuagesimo nono) moritur Imperator ac Galliæ Rex Ludouicus Balbus; vnde noui de integro motus exorti sunt. Nondum enim ætate adultus erat heres Regni. Susceperat autem Ludouicus Imperator ex concubinâ filios tres, ac grauidam post se vxorem relinquebat. Quare magnæ passim dissensiones concitabantur de administrando Regno, donec Regius filius adolesceret. Bosus frater Reginæ plurimùm se Regno implicabat; sed soli præsidebant Ludouici filij spurij, rerumque fauore vulgi potiebantur. Intereà peperit Regina filium Regnique heredem, quem appellabat Carolum Simplicem. Dumque Regnum ita in multos partitum administrabatur, Nortmanni irruentes in Galliam, tanta vbique damna intulerunt, quòd coacti sint Galli præsidia ab Imperatore Carolo Crasso postulare: & quia Prouincia erat seditiosa, ignorabant quem potissimùm implorarent. Imperator igitur vnà cum duobus suis fratribus è Germaniâ in Galliam cum ingenti exercitu profectus, multa fudit Nortmannorum millia. Ceterùm Nortmanni, rursum auctis copijs, è nauibus prosilientes, Galliam vndecumque aggressi sunt: iterumque eos Imperator profligauit. Gotfridus Nortmannorum Rex fugâ Parisios elapsus est, vbi ipsum Imperator obsedit, tandemque vrbe captâ interemit; atque ita vniuersam Prouinciam paci reddidit. Tum verò omnium consensu Carolus Rex Galliæ designatus est, inauguratusque in cunctis oppidis. Atque eâ demum occasione vniuersam Germaniæ, Galliæ, & Italiæ Monarchiam obtinuit. Verùm suspicans Nortmannos se

absente

CXX.

OS GARRVLVM INTRICAT OMNIA.



Post decennale Imperium depositus est; alterque, eo viuente, eius loco gubernauit anno vno.

abſente rurſum Galliam oppreſſuros, fœdus cum ijs percuſſit, habitationemque permiſit apud alios Nortmannos, qui iam quadraginta annis Aquitaniam incoluerunt, atque ipſam Prouinciam de ſe Nortmandiam appellarant, quemadmodum dictum eſt paginâ 224. in rebus ab Hlotario geſtis. Nec multò ſanè pòſt ita rerum ſucceſſu elatus eſt, itaque communi ſenſu priuatus, vt quotidie inceptaret quæ nemini placebant. Ac præcipuè quidem zelotypus fuit ſupra quàm credi poſſet in vxorem; quæ tamen mulier erat verecunda, proba, atque honeſta. Hanc rem habuiſſe dicebat cum Epiſcopo, qui vir habitus erat probus, irreprehenſibilis, atque Imperatoris Cancellarius. Hoc vitio ita agitabatur, vt coniugem ſuam ab ſe in monaſterium abdicarit. Hac occaſione Imperator adeò vnicuique inuiſus eſt, vt priuatus ſit Imperio, atque Arnolphus fratris ſui Carolomanni filius Rex Bauariæ in eius vicem ſubſtitutus. Quamquam verò Nortmanni iam antè ad obſequium domiti fuerant, nunc rurſum paullò audaciores effecti ſunt, vt poſt motum Imperio Cæſarem multò alacriores expeditionem parauerint, quàm vmquam aliàs. Inuadebant Campaniam, Burgundiam, & Lotharingiam, multoſque paſſim occidebant, tametſi quidem non abſque illorum grauiſſimâ clade. Sed tam erant numero fortes, quòd etiam multi indies per mare Germanicum ad eos accedebant, vt difficile eſſet ijs reſiſtere. In hac expeditione vetuſtiſſimum illud oppidum Troiam incendio abſumpſère, deinde Tolam & Verdum inuaſère, ac tandem etiam prope Leodium multos interemère. Mox Arnolphus in Franconiam inferiorem aduerſus Nortmannos profectus eſt, hoſteſque apud flumen Tiliam pedes aggreſſus, ita pænè omnes proſtrauit, vt pauci euadere potuerint. Reſidui autem per Flandriam rurſus ad mare fugerunt, atque ita eâ tempeſtate Galliam omnino deſeruerunt, poſtquam plurima in eâ confeciſſent damna. Ob hanc ſanè victoriam Arnolphus apud omnes fidus gratuſque habitus eſt. Salutabatur item honorificè, donabaturque ex omnibus Germaniæ atque Italiæ Prouincijs. Creaſſent prætereà lubentiſſimè Occidentales Franci Regem Arnolphum, ſi hoc voluiſſet admittere. Verùm haud ignarus Carolum Simplicem Ludouici Balbi filium etiamnum ſupereſſe,

esse, illique sanguinis ac stemmatis ergô vniuersam Galliam, quæ hos etiam complectebatur, deberi, gratias ijs habuit. Sed noluerunt hi ætatem Regis sui exspectare; quare præsidem suum VVichardum Comitem sibi crearunt. Hic cum fratre suo Lupoldo fortissimam construebat ciuitatem, appellabatque eam de nomine filij sui Gelriam; vnde & populi deinceps, relicto Francorum nomine, dicti sunt. Gelriacus filius dicti VVichardi his posteà præfuit, atque ab eo tempore in posterum semper à Galliâ fuerunt separati: qui tamen veri ac primi fuerunt Franci, & ex quibus Franci in Germaniam & Galliam prouenerunt, vt dictum est paginâ 96. in M. Postumo. Imperator vbi anno Imperio fuerat orbatus, obijt, atque in eius locum successit Arnolphus.

RNOLPHVS, clarissimus ille Princeps, Imperium adeptus est anno à CHRISTI natiuitate octingentesimo octuagesimo octauo. Victoriâ hic vir fuit insignis, dum Imperatoris vice pugnabat, vt paginâ 232. ostensum est, atque etiam nihilominùs dum ipse Imperator esset. Nam initio Principatus sui gentem profugam ac planè inconditam armis deuicit, vt quæ relicta erat ex ciuili bello Imperatoris Caroli Calui ac filiorum Regis Germaniæ Ludouici, quamque Dux eorum Senebaldus adduxerat, cuncta Germaniæ loca passim deuastans: tandem illis regionem Bohemiæ adsitam, nunc Morauiam appellatam, inhabitandam concessit. Non multò autem pòst omni iterùm sæuitiâ Germaniam inuaserunt. Cùm ergo Arnolphi copiæ multis grauibusque bellis in Nortmannos ac prædictam gentem gestis plurimùm essent attritæ ac pænè deletæ; Hungarorum præsidia implorare coactus fuit, quorum ope illos subegit, ac tributarios sibi fecit. Ceterùm victoria hæc non benè successit: nam Hungari per vniuersam Germaniam profecti, obuium quodque ferro, igne & laqueo ad Rhenum vsque deuastabant. Durante autem hoc tumultu iterùm Nortmanni in Galliâ rebellarunt, reuersique ex Galliâ etiam VVormatiam ad Rhenum vsque peruenerunt; & hinc Moguntiam, vbi Antistitem captum miris cruciatibus interemerunt. Imperium innumeris tum insultibus concutiebatur. In Italiâ per tumultum Dux Spoletanus VVido ex Longobardis oriundus Cæsar creatus est. Proinde Arnolphus cum omnibus copijs aduersus hos probè instructus, primùm Hungaros vicit, deinde Nortmannos, quos ad CHRISTI fidem etiam amplectendam compulit. Intereà Berengarius Dux Foroiulij multas Italiæ ciuitates in contemptum VVidonis occupabat, ipsumq; in extremos Vmbriæ fines profligabat. Post hæc Berengarius fœdus cum Arnolpho percussit hac conditione, vti alter alterius hostes expugnaret. Pontifex Formosus properè Cæsarem in Italiam accersibat; ingens enim tum Romæ dissidium ob electionem fuerat Pontificis. Nam & Sergius simul Pontifex creatus erat, sed pulsus est à Formosi fautoribus. Sergius profugerat in Galliam, ac moliebatur præsidio Gallorum Pontificatum consequi. Quare Formosus in subsidium Cæsarem vocabat, quo Papatum posset retinere. Intereà dum Cæsar se parabat, Italia multùm erat anxia. Cæsar cum militibus suis Germanis in Italiam venit, ac primo congressu Pergamum vi expugnauit. Ducem eorum Ambrosium suspendio enecauit; atque inde Romam profectus, Vrbem forti obsidione cinxit; adeoque fame pressit, vt in summam eam coarctauerit necessitatem. Deinde Vrbs Pontificis suasu dedita fuit, eamque omni vi ingressus Cæsar est; vbi multos sanè potentissimos supplicio affecit, & ab Pontifice inunctus Cæsar coronatus est. Et cùm Pontificem in suam dignitatem restituisset, Româ in VVidonis regnum profectus, idipsum deuastabat; vxorem eius Spoleti obsidebat, quæ scelesti cuiusdam operâ Cæsarem potionauit, adeò vt tribus diebus totidemque noctibus continuis dormire debuerit. Post hæc statim in Germaniam reuersus, in morbum incidit pedicularem. Sic enim vndique ex eius corpore pullulabant pediculi, vt nullo medicamento curari potuerit, misereque Otingiæ in patriâ suâ interierit. Quod vbi Hungari intellexissent, Morauianos armis oppresserunt & deleuerunt. Etiam Bauariam inuaserunt, oppida castraque deuastarunt, templa incendio absumpserunt, homines trucidarunt; & vt magis essent ceteris terrori, cæsorum sanguinem inbiberunt. Ludouicus patri in Imperium successit; quem nonnulli huius generis postremum fuisse arbitrantur. Verùm aliud contrà testatur Genealogia hæc, quam his subiunximus.

Carolus Magnus Cæsar, 810.

Hludouicus Pius Cæsar, 815.

Ludouicus Germanicus Rex Germaniæ, 834.
Hlotarius Cæsar, 834.
Carolus Caluus Rex Galliæ, tandem & Cæsar, 876.

Ludouicus qui cũ Carolo Caluo bellauit.
Carolus III. cognomẽto Crassus fit Cæsar, 877.
Carlomãnus Bauariæ Rex.
Hludouicus II. 843. post hunc Imperiũ Pontifex ad Gallos transtulit.
Hlotarius II. 843. iuxta fratrem Cæsar effectus, in Põtificiã excommunicatione obijt.
Ludouicus III. cognomẽto Balbus, qui cum Carolo Crasso ob Imperium bellabat, 877. & in Galliâ regnabat annos tres.

Arnolphus primò Cæsaris vicem supplebat, mox & ipse Cæsar, 888.
Carolus Simplex Rex, 926.

Ludouicus Rex, 952.

Ludouicus IIII. Cæsar, 901. qui Adelbertum obtruncabat.
Conradus Dux Comitem quemdam strangulabat.
Lotharius Rex, 986.
Ludouicus Rex, 987.
Carolus Rex huius prosapiæ postremus, 952.

Eberhardus Dux, ab hoc originem sumunt Principes Franconiæ.
Conradus Cæsar, 913. postremus huius generis; post quem Imperium ad Saxones translatum est.

CXXI.

FACILE VOCAVERIS CACODÆMONA,
SED VOCATVM
HAVD FACILE REPVLERIS.



Imperauit annos v. verùm cum Carolo Craſſo tamquam eius vice annum vnum: obijt morbo pediculari.




LVDOVICVS IIII. Imperium post mortem patris sui Arnolphi adeptus est anno CHRISTI nongentesimo primo. Hic minimè ferens ita subditos suos ab immanibus Hungaris dilaniari, ingentem conscripsit exercitum, pugnauitque cum ijs ad Licum fluuium. Cumque pugnatum esset circiter horas septem, victorque Cæsar putaretur, fugam Hungari dissimularunt, ac nonnulli se abdiderunt. Quare Cæsariani istius planè ignari, eos sunt insecuti: sed hi ex insidijs emergentes, Cæsarisque exercitum aggressi, victores prostrauerunt. Ipse Cæsar etiam, qui victoriâ antè fuerat potitus, summoperè mirabatur se tam subitò victum, quò & grauius illi inopinatum hoc cessit infortunium. Hungari autem vt iram explerent suam, maximas vbique calamitates & damna incredibilia Cæsaris patrimonio, Bauaris nempe, Sueuis & Francis, intulerunt, omnia incendio miserè deuastantes. Cùm iam vniuersam propè Germaniam depopulabundi infestassent, magnis copijs Italiam oppresserunt: quâ re territi Itali, ignauiam Cæsaris incusantes, Berengarium, cuius in paginâ 232. mentio facta est, Imperatorem extemplò fecerunt. Hic numero centum & quinquaginta millium aduersus Hungaros profectus est. Vt autem pugnam vtrimque aggrederentur, Berengarij exercitus pæne omnis cædebatur. Hungari vlteriùs profecti, Taruisium terrasque omnes Venetias vsque deuastarunt, atque hinc deinceps Paduam. Tum Berengarius vt fauorem sibi Romanorum conciliaret, si eos ab feris istis Barbaris liberasset, magno pacem ab Hungaris redemit; adeò vt ex Italiâ reuersi sint, postquam cuncta passim sine delectu cædibus atque incendijs deuastassent. Quapropter Pontifex Ioannes Berengarium in Cæsarem coronauit, qui stemmatis sui originem ducebat ab Longobardis Germanis. Eâdem ferè tempestate Conradus Ludouici Cæsaris frater interficiebat Comitem Badenbergensem. Quod huius frater Adelbertus Princeps fortis potensque ægrè ferens, iratum suum animum aduersus Imperium ac Ludouicum Cæsarem declarauit. Vt enim fratrem suum vindicaret, occidit fratrem Cæsaris: vnde tantæ sunt ortæ inimicitiæ, vt eas nec Princeps, nec Episcopus sedare potuerit. Res cùm in bellum excreuisset, sæpiùs ipsum Ludouicus Cæsar in arce suâ obruere conatus est; sed hunc tandem Adelbertus contra profectus, varias confecit pugnas. Iam verò vbi Adelbertus ad istum modum annos septem rebellem se exhibuisset, ac certus esset Imperator nisi dolo & fraude ipsum minimè superatum iri, Hattonem Episcopum Moguntinum hac super re consuluit. Hic, vt erat vir promptæ calliditatis, illi respondebat vt bono atq; otioso esset animo, se effecturum ad illum vti veniret vltrò: tum operam daret, ne quâ viâ rediret. Atque eo quidem animo Episcopus in arcem venit Badenbergensem, non secùs ac si Adelbertum consilijs iuuare voluisset. Multa vltrò citroque cum homine locutus, negotia quædam peruersa correxit atque emendauit, consuluitque vti ad Cæsarem sponte veniret, sanctissimè pollicitus, nollet vellet Imperator, pacem inter ipsos aut conciliaret, aut saluum in arcem reduceret. Isti fraudi fidem adhibuit Adelbertus, orauitque Episcopum vti apud se prandere vellet. Sed cùm dolo id recusasset, sine morâ vrbem equo egressus est, dextram Adelberti tenens. Cumque vix ad primum lapidem extra oppidum equitassent, ita loqui Episcopus exorsus est: *Ah, quoties optamus, quæ oblata recusamus! tædet me longi itineris, præsertim cùm ad vesperem declinet dies, nec absque esu diem integrum equitare possimus.* Quod vbi Adelbertus audiuisset, nihil mali suspicans, lætus ad Episcopum honorificè se conuertit, obsecrans redire vellet in arcem ac prandere. Atque ita quidem Episcopus cum Adelberto in arcem reuersus est, ratus eo pacto iuramento se solutum, quòd incolumem ipsum in arcem reduxisset. Sumpto autem prandio Adelbertus cum Episcopo cœptum iter ingressus est, qui ipsum Cæsari in manus tradidit. Mox coacto iudicio ac coram Principibus, qui istic aderant, morti Adelbertus adiudicatus, capite truncatus est. His rebus ita in Germaniâ actis, Ludouicus in Italiam ingenti exercitu contra Berengarium Cæsarem profectus est, ac magno ipsum cruore in fugam egit. Verùm cùm Ludouicus Veronæ otium ageret, proditâ ciuitate vtroque lumine per Berengarium captus est. Tum reuersus in Germaniam, mœrore casus sui infeliciter perijt. Nec multò pòst vniuersa Italia ab Imperio desciuit, habuitque peculiarem Cæsarem in annum vsque CHRISTI nongentesimum sexagesimum quartum. Cùm autem Ludouicus Cæsar sine herede obijsset, Germanici Imperij Principes pariter contendebant Othonem Saxonum Ducem Cæsarem designare. Verùm quia prouectæ iam erat ætatis, Conradum Ludouici ex fratre (qui ab Adelberto erat interfectus) nepotem Cæsarem creandum consulebat, promittens ipsi ceu collega Imperij omnem suam operam. Successit itaque Conradus in Imperio; sed in maiore auctoritate erat Otho, vt penes quem Imperij summa reposita erat.

Berengarius in Cæsarem coronatur à Pontifice.

CXXII.

MVLTIS QVIDEM AGGREDIENDI HOSTES, PAVCI VERO CONSVLENDI.




Imperator per Germaniam XII. annis, à Berengario per Italiam Imperatore oculis priuatus, præ dolore vitam finijt.

ONRADVS Imperio præesse cœpit anno CHRISTI nongentesimo decimo tertio. Hic autem Imperator fuit nouissimus ex nobilissimâ posteritate Caroli Magni, vir seuerus, ac militiæ minimè ignarus. Tertio Principatus sui anno Hungari rursum Germaniam ingressi, Bauariam, Sueuiam, Franciam, Thuringiam, Saxoniam, atque Hessiam inuaserunt, Ratisponam incendio penitus deleuerunt, cunctaque Bauariæ oppida ac Saxoniam deuastarunt ad Fuldam vsque. Deinde traiecti Rhenum, in Lotharingiam atque Elsatiam profecti sunt. Basileam pænè funditus euerterunt. Tum sese ad resistendum pararunt Conradus & Otho, profectique præsidio totius Germaniæ, acerrimas profectò pugnas confecerunt, ac tandem Hungaros superarunt profligaruntque. Hìc Henricus Othonis filius ita fortiter se gessit, vt virtute suâ ac rebus gestis tantum laudis & honoris apud Germanos commeruerit, vt iam ipsum hinc Conradus, qui meritò ipsum amare debuerat, cœperit odisse. Timebat enim ne post mortem patris sui, Imperio in locum suum sufficeretur, adeoque conabatur ipsum per insidias opprimere, antequam obiret pater. Cùm iam pudebat benè de se alioqui merito laudatoque adolescenti apertè iniuriam inferre, cum Hattone Moguntinensi Antistite, qui & patris sui percussorem præcedenti Imperatori Ludouicò tradiderat, clanculum egit, vti adolescentem veneno è medio tolleret. Rem Antistes libentissimè aggressus est. Inuitabat quodam tempore Henricum, hilariterque exceptum insigni torque aureo donabat: hic veneno erat infectus. Sed cùm illum collo eius implicare conabatur, insidiæ Henricò per amicum fuerunt apertæ, nec recipiebat venenosum torquem, ac confestim discedebat; significabatque per nuntium Antistiti, suum collum æquè esse molle ac fuit Comitis Adelberti. his verbis illud innuens, quòd non minori studio se conatus fuisset interimere, quàm Comitem Adelbertum; cuius in paginâ 236. mentio facta est. Quare ingenti anxietate ac sollicitudine Antistes corripiebatur; itaque eius animum admissi sceleris conscientia vrebat, pudorque aggrauabat, vt ex solo mœrore interierit. Postquàm iam mortuus esset Otho, qui supremus erat Imperator, videretque Conradus

CXXIII.

FORTVNA CVM BLANDITVR, FALLIT.



Vnà cum OTHONE Imperator factus,
cum eo regnauit VII. annis.

dus ſeſe Germanis omnibus eſſe odio (nouerant enim cuncti Othonem patrem Henrici multa in ipſum contuliſſe beneficia) apertè tum inuidiam, hactenus celatam ac diſſimulatam, indicabat; mittebatque fratrem ſuum Eberhardum cum exercitu in Saxoniam, vt eam deuaſtaret. Hic fratris ſui voluntati obediens, bellum nimis quàm animosè aggreſſus eſt, ſed ſuperatus ab Henrico prope Heresbergum conflictu acerrimo, actuſque in fugam eſt. Mox illi alium Conradus ſubminiſtrabat exercitum, obſidebatque Saxones Grunæ. Dietmarus Dux commentum excogitabat acutiſſimum; narrabatque Henrico, præſentibus legatis Eberhardi, exſpectare ſe adhuc triginta legiones. Hunc rumorem ceu verum legati (qui vtrimque partem conciliare conabantur) propalarunt in caſtris. Quo audito, Eberhardus clàm nocte ad Conradum fratrem ſuum diſceſſit. Adepti itaque calliditate ſunt victoriam, quam armis ne ſperare quidem potuerunt. Tum Conradus nuntium ad Henricum miſit, qui ſuo nomine ſignificaret mandaretque, vti veniam petiturus ad ſe veniret: quod Henricus recuſabat. Mox Conradi milites indies ab ipſo diſcedebant, adeoque vt vel ipſe bello ſuperſedere debuerit. Non multò autem pòſt Conradus in grauiſſimum incidit morbum, quo paululùm fuit humiliatus. Fatebatur ingenuè vniuerſa quæ admiſerat peccata, admonebatque omnes Principes vti venturæ vitæ ac Diuini Iudicij perpetuò eſſent memores, cogitarentque quem tandem finem ipſa habitura ſit ſuperbia. Fatebatur iamiam moriturus, Henricum Ducem Saxoniæ, ſuum hactenus aduerſarium, Principem eſſe fide ac diligentiâ ſummâ, qui ſolus Imperio dignus eſſet, appellabatque ipſum Germaniæ aſylum. Eberhardum hunc iuxta collocabat, atque Imperiale Diadema, enſem, ceteraque Imperij inſignia, Henrico tradi mandabat, veniamque ab ipſo efflagitabat, atque ita naturæ legibus ſatisfecit. Ad hunc ergo modum Imperium à Francis ad Saxones tranſlatum eſt. Et Francorum Dux ex Caroli Magni proſapiâ poſtremus fuit Eberhardus Conradi frater. Ac tametſi quidem poſt horum duorum obitum Duces in Franciâ adhuc alij fuerint; VVirtzburgenſes tamen Epiſcopi ſummâ hîc vſi ſunt auctoritate, ac Duces Franconiæ ſe appellarunt, vſque in hæc noſtra tempora. Monet autem

tem res ipſa, vti pauca hîc de patriâ meâ memorarem. Epiſcopus hic vbi ſacra peragit in altari, nudum ſibi enſem præfixum habet; cumque Epiſcopatum Ducatumque adepturus eſt, ingenti cum exercitu ad vrbem venit, equo deſilit, deponit veſtimenta, ornamentaque inſignia, induitque penulam fune cinctus, ac capite pedibuſque nudis Baſilicam ingreditur ad Canonicos iſtic congregatos. Quibus poſtquam vetera Francorum priuilegia conſeruaturum ſe iurauit, deducitur ad vetuſtam Epiſcopi cuiuſdam imaginem, admoneturque vt iſtum, cuius imago ea eſt, imitetur: deinde in ſellam ſuam honorificè collocatur. Vrbs hæc peruetuſta admodum eſt, in quâ olim Diana ab Germanis colebatur, donec tandem ad CHRISTI fidem ſint conuerſi; quod contigit anno CHRISTI ſeptingenteſimo quadrageſimo nono. Dicitur autem ciuitas hæc multis apud Latinos nominibus: vocat eam Ptolomeus Arctauium, alij Marcopolim, Peapolim, & Herbipolim. Primaria ſemper Francorum fuit ciuitas, quemadmodum etiam nunc eſt. Sita autem eſt amœniſſimè in medio Germaniæ, habetque arcem eximiam in ſummo montis cacumine ſitam, qualem non videas in Germaniâ ſimilem, non ſolùm aſpectu iucundam, verùm etiam fortiſſimè aduerſus hoſtes munitam: atque inter hanc arcem ac ciuitatem labitur egregius ille fluuius Mœnus, ita tamen vt ciuitas & arx ponte coniungantur.

HENRICVS filius Othonis Imperiale diadema ſceptrumque & gladium adeptus eſt poſt CHRISTVM natum nongenteſimo & vigeſimo anno. Poſtquam verò huic Herigerus Pontifex inunctionem ac coronationem offerret, non id quidem contempſit, ſed nec affectauit: *Sufficit mihi*, aiebat, *à meis maioribus Imperatorem appellari ſalutariq;*. Etenim plus ſatis negotij ſe habere cogitabat, ſi deprauatos Germaniæ ſuæ mores corrigere, & in melius formare conaretur, tumultuſque ſummo ſtudio pacaret, quàm ſi inanem infrugiferamque profectionem Italicam aggrederetur: facilè enim præuidebat tumultum aduerſus ſe excitatum iri. Nec multò pòſt huic ſeſe armis infeſtis oppoſuêre Dux Sueuiæ ac Dux Bauariæ Arnoldus, quamquam ipſum vnà inaugurasſet. Imperator, arcendæ iniuriæ cauſſâ, profectus primùm eſt cum inſtructis copijs aduerſus Bauaros; ſed nihil hoſtiliter tentans, poſtulauit Arnoldum Ducem priùs ad colloquium, conferens cum eo Imperij Maieſtatem à Deo donari: quòd ſi reliquorum Principum ſuffragijs Cæſar eligeretur, tum ſe vltrò ceſſurum, & ſub eius ditionem ſubmittere ſe primum omnium paratum eſſe. Retulit hæc Arnoldus Dux ad ſuos: à quibus reſponſum eſt, conſiderari debere, Deum haud dubiè adeſſe ei, quippe quem ad Imperium præter ceteros extulerat: proinde petere ſe, ab incœptis porrò deſiſteret, neque moliretur ampliùs quidquam in illum. Quieuit itaque Dux Arnoldus, & ſine cæde ſuorum vltrò paruit. Cùm iam multa ſibi in Galliâ grauiaque negotia forent expediunda, Hungari tentare voluerunt, an Imperator nouitius conſuetum tributum penderet: per totam Saxoniam diſcurrerunt, oppida agroſque incendio vaſtantes, ac multas paſſim cædes confecerunt. Iam verò contigit, quòd ex Hungarorum Principibus aliquis captus Cæſari offerretur, quem Hungari tantoperè amabant, vt ingentem vim auri argentique pro ipſo ſponte offerrent. Imperator illorum aurum contemnebat, ac verò maluiſſet pacem. Tandem nouennales inducias cum ijs percuſſit. Huius verò tempore pacis, Cæſar milites ſuos in decurias diuidebat, ſinguliſque nouem præfectum aliquem dabat, quem Decurionem nominabat. Concedebat item nouem ijs agros quos colerent; & quidquid

culturâ

CXXIIII.

AD VINDICTAM TARDVS,
AD BENEFICENTIAM VELOX.



Imperij ſummam adminiſtrauit XVII. annis; vixit LX.

culturâ suâ corraderent, id omne ad Decurionem suum (qui in aliquâ ciuitate habitabat, vt nouem alios hospitio exciperet) deferrent, cuius tertiam partem obtineret Imperator, residuumque sibi in commeatum seruarent. In oppidis comessarentur præcipiebat, seque exercerent in ijs quæ ad militiam pertinebant. Hoc ille exercitio Imperium suum conseruabat. Præterea fures omnes, latrones, scurras, & quoscumque nebulones potuit adipisci militiæ non inidoneos, ad stipendia merenda cogebat, scelusque suum illis condonabat, atque arma in manus subministrabat, vt aduersus Barbaros pugnarent; eo quidem edicto, vti ciues in omnibus defensarent. Cùm iam de propagando Imperio cogitaret, profectus est aduersus Sclauos, quos plurimis pugnis egregiè fatigauit. Postremò hieme grauiter sæuiente, castra in glacie fixit, atque oppidum Brennaburgum fame, ferro, ac frigore captum cum vniuersâ eâ regione subegit. Hinc euolutis vexillis in Dalmatiam profectus, obsidebat oppidum Gran viginti diebus continuis; quibus exactis, illud deuicit. Quidquid ad virilem ætatem adultum erat, interficiebatur, captis dumtaxat pueris ac puellis. Deinde Bohemiam ingressus, Pragensem ciuitatem obsedit ac deuicit, Regemque illorum ipse comprehendit: atque ita quidem Bohemia Imperij legibus parere coacta fuit, reuersusque est ipse in Saxoniam. Iam verò Hungari, dum induciæ illis cum Germanis essent, in Italiâ tumultus concitarunt, Romanamque Prouinciam omnino deuastarunt; atque Hetruriam ita bonis hominibusque spoliarunt, vt iam tum propè vacua relicta fuerit. Quidquid denique ferro etiamnum supererat, id captum in Hungariam abduxerunt. At verò finitis nouennalibus inducijs, rursum Hungari armatâ manu in Saxoniam ac Thuringiam irruperunt, eamque Prouinciam miserè sunt depopulati. Imperator morbo grauiter laborabat; æger tamen iratusque è lecto prosilijt, profectusque est cum exercitu aduersus hostes, cùm iam Hungari multas feminas puerosque cepissent, atque ingentem virorum multitudinem interfecissent. Imperator Germanos hortabatur, fortiter pro patriâ esse dimicandum; itaque sine morâ conflictum adortus est. Cæsa fuerunt eo die propè quadraginta Hungarorum millia, ceterique in fugam acti. Captiuorum

uorum verò tanta erat multitudo, vt incerti essent quidnam cum illis agerent; quocircà multos vltrò dimittebant. Vsqueadeò vox illa tristitiæ versa est in suauissimum lætitiæ cantum. Post hanc victoriam Pater Patriæ Augustusque est appellatus, atque ingentem sui timorem ac æstimationem apud nationes exteras sibi conciliauit, vt vel optimi quique ex regionibus alijs ad ipsum profecti sint, agnouerintque ipsum præter ceteros Principem potentissimum, atque id tantùm operam dederint, quò gratiam eius ac fauorem sibi compararent. Dici non potest, quantis & quàm multis seditiosis tumultibus Imperium eius temporibus concutiebatur. Italia peculiarem suum habebat Imperatorem, Tyrannos Berengarios tres continuò: tum prætereà ab Turcis ferè vndique deuastabatur; per Apuleiam enim Romam vsque veniebant. Pars Turcarum alia Beneuentum deuicit, funditusque incendio euertit. Postquam verò iam Imperator Germanicos hosce hostes deleuisset, decreuit deinceps Italiæ subsidio venire: verùm quia prædicto morbo plurimùm debilitatus erat, expeditionem omittere debuit; nec multò pòst eodem illo morbo interijt, non sine maximis Germanorum lacrymis. Maternum genus (vt cuius mater filia erat Arnoldi Imperatoris, ac Ludouici quarti Imperatoris soror) ducit ab Imperatore Carolo Magno; atque ab hoc stemma deduxerunt reliqui Saxonum Principes.


THO II. cognomento MAGNVS, poſt mortem patris Henrici communi Saxonum ac Francorum ſuffragio Aquiſgrani Imperator electus eſt, Imperialemque coronam ab Epiſcopo Moguntinenſi accepit, anno Chriſti noningenteſimo trigeſimo ſeptimo. In initio eius Imperij plurimi ingentes tumultus ſimul exorti ſunt. Primi tumultus auctores fuerunt Palatinus Eberhardus & Giſelbertus Lotharingiæ Dux. Hi, quòd ex poſteritate Caroli Magni & Francorum erant, contendebant ſucceſſionis iure Imperium à Saxonibus ad Francos deriuare: & vt conatus illi plus iuris habere viderentur, pertraxerunt ad ſe Henricum Othonis fratrem, eo prætextu, quòd ætatis nomine ipſi deberetur adminiſtratio Imperij, & non Othoni. Durauit hoc bellum annos ſex, & plurimæ in eo pugnæ commiſſæ ſunt. Othonem ſecuti ſunt Sueui & Franci. Herimannus Sueuiæ dux, & Conradus Dux Francorum, pugnarunt contra hoſtes Cæſaris apud Andernacum ad Rhenum conflictu grauiſſimo, in quo Palatinus occubuit, & Dux Lotharingiæ inter fugiendum in Rheno ſubmerſus eſt. Porrò poſt adeptam hanc victoriam, contentio adhuc Othoni reſtabat cum Henrico fratre ſuo; qui videns conatus ſuos irritos eſſe, & debilitari ſua præſidia, ipſe ad Othonem Cæſarem ſupplex venit, & orans delicti veniam, in gratiam ab Othone non modò receptus eſt, ſed donatus etiam Ducatu Bauariæ, qui tum fortè vacabat. Iam & Ludouicus Rex Galliæ, Caroli Simplicis filius, Lotharingiam inuadebat, quòd Dux erat ſubmerſus. Quare aduerſus ipſum Otho profectus eſt, cogitans hoſtem ſuum ac Lotharingiam non eo ſe animo viciſſe, vt Rex eâ potiretur: & pugnâ cum ipſo habitâ, victor Lotharingiam ſibi ſubiectam retinuit. Et poſtquam Argentoratum etiam ſubegiſſet, quòd Ludouico præſidia miſerant, profectus eſt in Galliam. Sed contentio ea facilè conſopita eſt, atque Otho ſororem ſuam Ludouico coniugem dedit. Sub hanc tempeſtatem dominabatur Pariſijs Comes quiſpiam Hugo, qui poſt multos annos Galliam obruebat, ac Regem Ludouicum captum detinebat, ſeque ipſe Regem Galliæ nominabat. Hac famâ igitur excitus Otho, ingentem hominum conſcripſit multitudinem, quò illud ipſum vindicaret. Hugo comminabatur ipſi, tantum

ſe

CXXV.

SATIVS EST RATIONE ÆQVITATIS MORTEM OPPETERE, QVAM FVGERE ET INHONESTE VIVERE.



Insignem operam Reipub. nauauit, placidissimeque ex hac vitâ migrauit.


ſe in Germaniam exercitum ductũrum, quantus viſus anteà non fuiſſet. Ad quæ reſpondiſſe Othonem ferunt, ducturum ſe in Galliam tot pileos ſtramine contextos, quot numquam anteà vel ipſe vel eius pater vidiſſet. Atque eâ de cauſâ triginta duas legiones militum, qui omnes ſtramineos pileos ferebant, ad Lutetiam vſque Pariſiorum perduxit. Tum Ludouicus dimittebatur ab ijs qui captum ſeruabant, atque Hugo fugâ Lugdunum elapſus eſt. Mox Ludouicus ſeſe ad expeditionem parauit, ipſumque cum Othone inſecutus eſt. At ciuitatem eam ob itineris arduitatem ſuperare non potuerunt; quare Romam in Italiam iter deflexerunt: nam iſtic nepos fratris Hugonis ſeſe Pontificem fecerat. Vrbem itaque oppugnarunt, armis ſuperarunt, cruoris multum profuderunt, Pontificem falſum profligarunt, verumque in locum ſuum reſtituerunt. Verùm poſt menſes tres victor Otho triumphanſque in Saxoniam reuerſus eſt. Nec multò pòſt ei reſtitit proprius filius, quòd poſt obitum eius matris vxorem duxiſſet Italicam, verebaturque, ne ſi ex eâ pater ſuſcepiſſet filium, iſte in Imperium ſuccederet. Continebat ſe in Saxoniâ, vbi conſilia conſpirationeſque ſuas inauſpicatò conferebat. Interim tamen maximos quoſque Principes huius conſilij & conſpirationis participes habuit, inter quos Francorum quoque Dux Conradus ſororis ſuæ maritus fuit. Appellabant Salfeldiam (vbi hæc agebantur) locum conſilijs funeſtum. Vbi verò Otho pater hæc intellexiſſet, omni ſe exercitu parabat, obſidebatque filium cum ſuis coniuratoribus Moguntiæ. Filius & Conradus vrbe egreſſi, in caſtra coram patre prociderunt, dedentes ſe ſuaque omnia, modò vellet confœderatoribus ſuis parcere: quod vt Otho recuſabat, reuerſi ſunt in vrbem, dimiſeruntque obſidem quem illis dederat Imperator. Verùm hic à quibuſdam monitus, manere apud illos voluit, effectuſque Cæſaris eſt hoſtis. Moguntiâ fugerunt Ratiſponam. Bauari item Henricum Cæſaris fratrem deſeruerunt, ac Luitholpho adhæſerunt. Hos Cæſar ſubſecutus eſt, grauiterque vrbem obſedit. Intereà diuerſis pugnis ac conflictibus non pauci in eâ obſidione perierunt homines. Cùm iam ipſa ciuitas penuriâ rebuſque alijs nimiùm eſſet anxia, egreſſus eſt filius nudatis pedibus, & humi ante patrem prouolutus, omni cum miſeratione

ſeratione ſupplex admiſſi peccati condonationem poſtulauit; itaque ſedatâ irâ, receptus eſt in gratiam. Cæſar in Saxoniam profectus eſt, vbi ex Hungariâ ipſi legati obuiàm proceſſerunt, quaſi eius inuiſendi & ſalutandi gratiâ: ſed reuerà animus illorum erat exitum inteſtini belli videre. Poſt dies aliquot, vbi eos Imperator honorificè donatos dimiſiſſet, nuntiatum ei eſt per fratrem Henricum Hungaros Bauariam obruiſſe. Otho triſtis expeditionem parabat, verùm paucis copijs: nam & alibi Sclauis reſiſtere debebat, qui item Germaniam irrumpebant. Cùm iam Hungari ad Auguſtam vrbem tentoria ſua fixiſſent, ingens Francorum ac Bauarorum multitudo hos contra profecta eſt. Etiam Conradus iſti ſe multitudini cum ingenti exercitu adiunxit. Mox & Cæſar huc aduenit. Edicitur, parent ſe in diem poſterum ſinguli ad conflictum. Deinde ſummo manè copiæ coniunctæ ſimul iurabant, erantque numero legiones octo. Hungari verſi in poſtremam legionem irruerunt, ac in fugam profligarunt. Sic & ſextam ac ſeptimam adorti ſunt. Verùm Cæſar ſuos verbis hortatus eſt, rem inquiens eò deductam eſſe, vti gladijs potiùs expeditionem quàm verbis finirent. Atque hinc ſuſceptâ lanceâ, clypeoque, in hoſtes equo proſilijt. Ea res tantum ſuis addidit animi, vt Hungari vlteriùs in Germaniam progredi non fuerint auſi. Dux Conradus, qui fortiſſimè pugnauerat, in eo conflictu cecidit. Tres Hungarorum Reges capti in exercitu ſuſpendebantur. Hac victoriâ Otho ab exercitu MAGNVS, Pater Patriæ, Auguſtuſque eſt appellatus, triumphanſque in Saxoniam redijt. Flagitatus à Pontifice vti Italiam ab ſæuitiâ Berengarij vindicaret, filium ſuum Othonem tertium Imperio ſubſtituit.


THO III. à patre ſuo Othone Magno puer præter conſuetudinem Romanorum Rex creatus eſt, atque in Saxoniâ relictus: Otho autem Magnus Pontificis Ioannis XII. precibus aduerſus tyrannidem Berengarij III. in Italiam profectus eſt anno CHRISTI noningenteſimo ſexageſimo ſecundo. Berengarius Othoni Magno in Longobardiâ cum exercitu obuiàm venit: vnde mox plurimi ſanè conflictus ſunt ſubſecuti. Tandem Berengarius in oppidum quoddam coactus biennio obſeſſus fuit. Sed vbi ciuitas nimiùm premeretur, ipſum cum filio Adelberto captum Otho Bambergam relegauit; vbi & totam vitam ſuam exſules tranſegerunt. Romam igitur Otho Magnus ingreſſus, honorificè exceptus eſt, à Pontifice inunctus, ac Diademate Imperiali inſignitus. Atque ita quidem Imperium ad vnum Othonem Magnum deuenit; quod iam annis ab hinc quinquaginta tribus diuiſum fuerat. Cæſar autem Româ egreſſus, cùm in quibuſdam Italiæ locis cunctaretur, criminum quorumdam reus ab Romanis Pontifex accuſabatur, vt Romam reuerſus Pontificem verbis acribus nimis quàm ſeuerè corripuerit; qui ob metum Othonis profugit: ideoque in locum eius ſuffectus eſt Papa Leo octauus. Ceterùm ſub abitionem Othonis reuerſus Ioannes, Româ eiecit Leonem iterùm; qui ad Cæſarem Spoletum profugit. Non multò pòſt Ioannes confoſſus interijt, ſed morte eius omnis tumultus necdum fuit conſopitus: Romani enim in locum eius Benedictum V. Pontificem elegerunt, electionemque hanc in odium Cæſaris ratam habere voluerunt. Cæſar hanc ob rem ſtomachatus, in poſſeſſiones eorum redijt, cunctaque ferro ac flammâ deuaſtauit. Obſedit etiam vrbem Romam oppugnauitque fortiter, verùm capere eam haudquaquam potuit; ciues tamen fame atque egeſtate coacti, Othoni portas vltrò aperuerunt. Dein iratus vrbem cum ſuis ingreſſus, multis tum Romanis obtruncatis, Leonem reſtituit. Leo inconſtantiam Romanorum veritus, electionem Pontificiam à Clero ac Romanis ad Cæſarem tranſtulit. Rebus itaque pacatis Cæſar in Germaniam reuerſus eſt, ducto ſecum Benedicto, qui non multò pòſt Auguſtæ ex mœrore animi interierit. Otho Magnus & Otho III. eius filius incre-

CXXVI.

CVM OMNIBVS PACEM, ADVERSVS VITIA BELLVM.



Cum patre XII. annorum, ſolus nouem annorum Imperator, trigeſimo ætatis à Romanis veneno ſublatus.

dibile quantum iam collapſum pænè Imperium ampliarunt. In Saxoniâ argentifodinas primò inuenerunt. Quantoperè verò Germaniam ædificijs exornarunt, vix iuſto volumine explicari poſſet, adeoque de ijs hîc tacebimus. Poſt obitum Leonis ſucceſſit Pontifex Ioannes XIII. Ceterùm Romani pellere Pontifices ſueti, concitato tumultu Eccleſiam Lateranenſem obruerunt, captumque Pontificem in Hadriani arcem primò abduxerunt, ac deinde velut exſulem profligarunt. Et poſtquam eiuſce tumultus auctores præcipui obijſſent, Papa Ioannes exſilij ſui menſe vndecimo Romam reuerſus eſt. Otho Magnus, intellectâ Pontificis expulſione, cum filio ſuo magnis itineribus ingenti exercitu inſtructus Romam profectus eſt; comprehenſoque Conſule, Prætore, ac Decurione, auctores tumultus ſcire voluit: cumque tormentis rei veritas comperta eſſet, Conſulem captum in Germaniam relegauit, Decurionemque laqueo ſuſpendit. Verùm Prætor per vicos Romæ turpiter tractus, & ad necem virgis flagellatus, etiam captus in Germaniam miſſus eſt. Cùm ergo tumultus omnis eſſet conſopitus, Otho Magnus legatos ad Conſtantinopolitanum Imperatorem miſit, offerens illi filium ſuum eius filiæ matrimonio coniungendum. Hi nuptias in Italiâ celebrarunt, & vtrique à Cæſare ſunt coronati. His ita ſedulò geſtis, per Galliam in Germaniam reuerſi ſunt, vbi Otho naturæ legibus ſatisfecit; tranſlatuſque eſt Magdenburgum, ac ingenti cum triſtitiâ in Baſilicâ, quam fundauerat, iſtic ſepultus. Non multò pòſt aduerſus Othonem III. exortus tumultus eſt. Nam Henricus Bauariæ Dux Imperium affectabat, quem armis facilè domuit Otho. Poſteà Lotharius Gallorum Rex Aquiſgrani Cæſarem inopinatò oppreſſit, adeò vt eorum inſidijs vix euadere potuerit. Verùm exercitu reparato Galliam ingreſſus Otho, Pariſios vſque cuncta depopulatus eſt, Lothariumque in ſuo Regno eò armis compulit, vti ad pacem poſcendam paratum ſe eſſe, & facere profeſſus ſit, quæcumque vellet. Deinde porrò in Italiam contra Græcos & Saracenos, qui Calabriam, Apuliam, aliaſque Prouincias pænè euerterant, profectus eſt: ſed victo ſuo exercitu, ipſe inter fugiendum à nautis captus eſt. Verùm cùm ob Græcæ linguæ cognitionem ignotus eſſet nautis, Princeps

ijs

ijs Germanus minimè habitus fuit. Ferunt aliqui iſtinc ipſum ſalutis cauſsâ enataſſe, ſed à piratis captum, & in Siciliam ignotum abductum. Proinde tandem agnitus, magnam argenti vim Siculis promiſit, ſi Romam ipſum reſtituere vellent. Hi eum à piratis redemerunt, Romamque honorificè reduxerunt, vbi aulam ſuam, dum viueret, deinceps habuit. Eius vxor fide Græcâ Romanos plurimùm conuitiata eſt, quòd à Græcis percuſſi fuiſſent; magiſque propemodum ob Græcorum victoriam lætabatur, quàm ſi eâ maritus potitus fuiſſet. Multas prætereà Italiæ vrbes Cæſar vltus eſt, quarum ciues primò ex conflictu profugerant. Igitur ambo iam Romanis inuiſi; qui Othonem veneno tandem ſuſtulerunt.

THO IIII. Imperium adeptus eſt magnâ cum difficultate anno CHRISTI noningenteſimo octuageſimo quarto. Ætate enim puer erat vixdum annum egreſſus duodecimum, cùm Otho III. pater moreretur: proinde Henricus Bauariæ Dux ſeruandum eum Romæ curauit. Itali plerique Creſcentium declarandum Cæſarem ſuadebant, vt Imperialis Maieſtas ad Italos iterùm reduceretur. Sed fideles erga ſuum dominum Germani Principes, reuocatum ab Henrico iuniorem Othonem, communibus omnium ſuffragijs Cæſarem deſignarunt, adeoque Aquiſgrani ab Epiſcopo Rauennate Cæſar inunctus coronatuſque eſt. Primum bellum geſſit contra Ludouicum Lotharij filium Regem Galliæ, qui præſtiti à patre iuriſiurandi oblitùs, Lotharingiam iterùm inuaſerat, vaſtaratque. Sed hinc eo repulſo, facilè Otho Lotharingiam retinuit. Iam & Creſcentius Romæ eam crudelitatem exercebat, vt Pontifex Ioannes XV. in Hetruriam cedere debuerit. Scripſit ad Othonem Cæſarem extemplò Pontifex, obſecrans vti Eccleſiam tyrannide Creſcentij oppreſſam vindicaret. Quo audito, Creſcentius miſit ad Pontificem aduerſarium ſuum, item orans, ne Othonem in Italiam concitaret, paratum ſe eſſe facere quæ vellet, ad Sedem ſuam Pontificiam ſaltem rediret. Itaque Pontifex redijt, ſcripſitque Othoni, ne veniret. Creſcentius obuiàm Pontifici egreſſus, ad genua cum ſuis complicibus procubuit, pedeſque oſculatus eſt. Iam Otho cum exercitu in Italiam venit. Huius aduentu territi Romani, honorificè ipſum introduxerunt. Etiam ab Creſcentio amicè magnificeque exceptus eſt. Otho Brunonem Saxonem, Ducem Sueuiæ, Pontificem creauit, qui poſt adeptum Papatum Gregorius Quintus eſt appellatus: ab hoc coronam Imperij accepit Otho. Reuerſus igitur tum eſt Otho, poſtquàm Italiam pacaſſet, in Germaniam. Romani Germanum Pontificem ferre haudquaquam voluerunt, extrema illi minitantes, ni cederet. Tum in Germaniam ad Cæſarem profugit. Quare Creſcentium ſibi rurſum Romani Cæſarem crearunt: hic Pontificem illis dabat, qui ab ſe prorſum ſtabat. Itaque ingentibus copijs accinctus Romam venit Otho, aduerſus quem ſe parabat Creſcentius. Cùm iam Otho Romam obſideret

CXXVII.

FACILE SINGVLA RVMPVNTVR IACVLA, ÇONIVNCTA NON ITEM.



Ex XXX. annis quos vixit, XVII. imperauit.

deret expugnaretque, Romani considerantes haudquaquam se tantæ multitudini resistere posse, clementiâ Othonis freti, Germanis portas recluserunt. Quare territus Crescentius, eiusque Pontifex, in arcem Hadriani cessère, fortiterque restitêre. Rebus autem desperatis ex arce ad Cæsarem spe veniæ vltrò profugerunt, & in viâ grauiter sunt vulnerati. Otho Crescentium naso & auribus truncis, retrorsum asino imposuit, & spectaculi loco per vrbem circumuectum, tandem etiam præcisis manibus pedibusque ex mœnibus suspendi mandauit. Pontifice item adulterino luminibus priuato, Gregorium restituit. Iam verò natus erat Otho annos viginti octo, eâque ingenij promptitudine præditus, quòd ob singularem prudentiam vulgò eum appellarint Mirabilia mundi. Hic vbi considerauit, perpetuò Gallos & Italos transferendæ Imperialis Maiestatis à Germanis cupiditate æstuare; item iam propè nullum Cæsarem fore, ac ipsos etiam Germanos inter se dissensiones ob electionem seminare; vt Imperio debilitato prospectum esset, illudque perpetuò apud Germanos perduraret, néve tot deinceps controuersiæ ob Imperium inter Germanos Principes concitarentur, rem excogitauit vtilem atque Orbi planè necessariam, quam Pontifici Gregorio indicauit; qui, quia Germanus erat, facilè annuit: itaque Principes Electores instituerunt; adeò vt certis quibusdam cùm religiosis tum laicis Principibus delegata sit auctoritas constituendi Romanum Cæsarem, vt concordia seruaretur in electione, religionis caussa inter Sacri ordinis Præsules, & Principes reliquos. Sunt igitur hi septem, quibus ea prærogatiua demandata est: Moguntinus, Coloniensis, & Treuirensis Archiepiscopi, Princeps Bohemiæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, ac Marchio Brandenburgensis. Et post mortem quidem alicuius Cæsaris, sanxit Otho, vti Archiepiscopus Moguntinus id ipsum reliquis Principibus Electoribus significaret, diemque præscriberet, quo Francofordiam ad Mœnum venirent ad constituendum eligendumque Romanum Cæsarem; nec inde discederent, nisi creato Cæsare. Si verò Electores in electione minimè conuenerint, vltra diem trigesimum nihil illis præbendum fore præter aquam ac nudum panem, donec in electionem pariter consen-

Initium Electorũ Principum; & quemadmodum Imperatorem creare debeant.

conſenſerint. Electus Imperator, priuſquàm aliquid deinceps incipiatur, ſanctiſſimè Deo Diuiſque iurabit, Imperium, eiuſque priuilegia ac iura, fortiter ſe defenſurum, obſeruaturumque. Præterea confeſtim Pontifici electio ſignificabitur, vt eius item Sanctitas electum Cæſarem confirmet. Deinde creatus Cæſar publicabitur; Aquiſgrani vnctus diademate ferreo, Mediolani argenteo, ac Romæ à Pontifice ad S. Petrum aureo coronabitur, confirmabiturque. Hæc ſanctio omnem Romanis conatum transferendi Imperium à Germanis ad ſe prorſus ademit. Quas cædes, quæ incendia, quaſque direptiones hac occaſione Otho ſuſtulerit, certè apud ſe quiſque facilè perpendere poteſt. Conſtitutâ autem hac ordinatione, Itali varios tumultus aduerſus ipſum concitarunt. Quare cùm videret Romæ ſe tutum minimè eſſe, in Germaniam redire ſtatuit. Sed miſſo per inſidias veneno, in itinere necatus eſt.

ENRICVS II. cognomento CLAVDIVS, Imperator ab Electoribus Principibus electus est anno CHRISTI millesimo primo, Dux Bauariæ: cuius pater temporibus Othonis III. & Othonis IIII. patrui sui Imperium nimis quàm affectabat. Eius auus frater fuit Othonis Magni, nomine item Henricus, de quo multa in præcedentibus memorauimus: ac tres simul hi Duces fuêre Bauariæ eodem nomine appellati, pater videlicet, filius, ac nepos. Hic profectionem Italicam in annum distulit duodecimum, tantumque negotij cum oppugnatoribus Germaniæ habuit, vt proficisci Romam haud vmquam potuerit. Ante hæc verò tempora Carolus Gallorum Rex, ex Caroli Magni progenie postremus, Regno priuatus est per Hugonem Capetum, & in perpetuos carceres detrusus. Ab hoc Hugone Capeto genus suum ducit Galliæ Rex Henricus II. qui etiamnum nostrâ ætate Regnum potenter administrat. Is fuerat Comes Parisiensis, Magni illius Hugonis filius, cuius suprà in Othone Magno paginâ 246. & 248. abundè mentionem fecimus. Hac rerum mutatione, dici vix potest quanta Cæsar ab Gallis eorumque Rege pati debuerit. Mediomatrices, ac Gandauum obsedit: Lotharingiam, & Flandriam domuit, quas Galli Imperio deuicerant. Intereà Bohemos ac Polonos ad fidem Christianam coëgit. Hungarorum Rex sororem ambiebat Cæsaris in coniugem; sed ei negabatur, nisi polliceri voluisset se Christianam religionem ac baptismatis sacramentum cum omnibus suis suscepturum: quibus pollicitis posteà ille stetit; & baptizatus, Stephanus appellatus est. Tandem Henricus Romam venit, ibique à Pontifice Benedicto VIII. Imperiali diademate coronatus est. Saracenos, qui eâ tempestate Italiam obruebant, ac Capuam modò profecti erant, Italiâ expulit. Princeps erat sanè illustris & præclarus, verùm eius vita ac gesta negligenter sine ordine litteris sunt prodita, nec rationes gestorum satis accuratè sunt annotatæ. Prodigiosa multa ac rara in eius offendo historiâ; quæ omnia prudens omitto. Nostri quippe apud Germanos historiographi Monachi fuêre parum periti, & iudicij pænè expertes: qui ætatem in cœnobijs transigentes, peculiare quidpiam nec viderunt, nec tantum ijs iudicium fuit, vt de ignotis fuerint percontati; aut semel perpenderint, quodnam Historici munus esset, quemadmodum res ordine oporteat narrare, caussas earumdem à capite explicare, quomodo sint gestæ, & in quem finem deductæ, cum omnibus suis circumstantijs, quomodo, vbi, quis, quid, quare, & quando. Attamen nec omnino res Principum præclaras perire passus est Deus, quin & alicubi suscitauerit aliquem, qui rerum veritatem quasi per transennam cognosceret. Diuus Maximilianus Cæsar sæpè conqueri solitus fuisse fertur de imperitiâ historicorum Germanorum, quòd tam præclarorum & prudentum Principum res gestas non solùm sine ordine conscripsissent, sed corrupissent etiam malè scribendo. Ac præcepit memorabilia quæque ex omnibus historicis decerpta ordine quodam in compendiosa Chronica digeri: id quod haud dubiè fuisset factum, si non præ grauiorum rerum sollicitudine prætermisisset. Quantum verò ego ex historijs colligere potui, quæ huius Henrici mentionem faciunt, vir fuit raræ abstinentiæ, adeò vt & viuus habitus sit Sanctus. Vitæ prætereà fuit incontaminatæ, ac planè continentis. Quotidianâ item corporis castigatione medullitus eneruatus, in aduersis idem atque in prosperis, tristia æquanimiter perferens, omnem gloriam mundanam, voluptatem, atque opes contemnens, neminem desolatum à se dimittens, vir planè humanus, ad Christianam religionem diligentissimus. A Pontifice vnà cùm vxore, quicum rem habuisset numquam, in Diuorum catalogum relatus est. Ante obitum suum conuocatis Electoribus, legitimo suffragio Conradum Ducem Francorum Cæsarem dixit. Obijt Bambergæ, sepultusque istic in basilicâ, cuius Episcopatus exstitit fundator.

CXXVIII.

NIHIL IMPENSE AMES; ITA FIET VT IN NVLLO CONTRISTERIS.




Cùm XXIII. annis V. mensibus Imperio summo cum honore præfuisset, LII. annos vixisset, mortem obijt.

ONRADVS II. Dux Francicus ac Sueuus, diſſentientibus Electorum Principum ſuffragijs, Cæſar creatus eſt. Hic Henrico II. bella ſua abſoluit, ac virtute eam ſanè adeptus eſt gloriam, vt ab ipſo viuo Imperator ſit deſignatus: quæ res poſteà plurimos concitauit tumultus. Quamquam enim Principes Electores conſenſum huic præbuiſſent; erant tamen quædam Imperij membra, quibus Cæſarem liberè iuxta legem Othonis IIII. creandum placebat, non fauore, ſucceſſione, aut alio quouis modo, alioqui velle ſe apertâ manu reſiſtere. Iam & Cuno Bauariæ Dux in diſſentaneâ iſtâ electione adfuerat, qui cùm ab ceteris Principibus Electoribus interrogaretur, cuinam ſuum daret ſuffragium, ſubridens reſpondebat: Conrado Francorum ac Sueuorum Duci cognato meo. Hæc autem electionis diſſenſio vel biennio perdurauit; vſque adeò legem Othonis IIII. obſeruarunt. Ea enim iubet, ne electionem vltra dies triginta protraherent: ſecùs, Electoribus Principibus præter aquam & nudum panem præberetur nihil, donec Cæſarem legiſſent. Atque hîc quidem lex ea vel in ſecundi ab eâ latâ Cæſaris electione interijt. Ita plerumque fit, vt mortuo Legiſlatore, lex ipſa in deſuetudinem abeat, etiamſi eam vel mille iuramentis confirmaſſet. Nihilominùs poſtquam multum diuque circa electionem diſſenſiſſent, legitimo tandem ſuffragio Conradum II. elegerunt, quando & Henricus ipſum ante obitum Cæſarem deſignaſſet. Actum autem id eſt anno à CHRISTO nato milleſimo viceſimo ſexto, poſt mortem verò Henrici II. anno ſecundo. Neque hîc ſanè omnis controuerſia ſublata eſt. Nam Bauariæ Dux Cuno iocoſum ſuffragium ſuum dicebat, indignatuſque electionem plurimùm ridebat. Verùm enimuerò electio legitimè cœpta in ſuo vigore permanere debuit. Quoniam verò Conradus motus aliquos in Imperio ſuborituros forſitan ſe abſente timeret, effecit vt in conſortium Imperij filius ſuus Henricus Nero eligeretur, ne, ſe in Italiam profecto, ſine capite certo Imperij ſubditi inter ſe tumultuarentur in Germaniâ. Atque hoc quidem modo res multò effecta deterior

CXXIX.

OMNIVM MORES, TVOS INPRIMIS OBSERVATO.



Imperij anno XIIII. è viuis deceſſit.

terior eſt. Siquidem Erneſtus Germaniæ Dux ac Comes VVelphus rebelles Cæſari fuerunt; ſed eos facilè compeſcuit, vt ſeſe mutuò direptionibus, incendijs, ac cædibus aggreſſi ſint. Tandem Erneſtus in eremum aufugit, ibique ſe diu continuit. Intereà Itali aduerſus Cæſarem conſpirarunt, vt ſi quando in Italiam veniret, hinc ipſum vi expellerent. Quo audito, totis hic viribus eò profectus, Mediolanum in primis obſedit, ac ſuburbium incendio vaſtauit, minitans ijs deinceps grauiora, vrbiſque euerſionem. Sed cùm ſe dedidiſſent, Romam profectus eſt. Verùm cùm nullus ei reſiſteret, cuncta oppida in gratiam recepit. Cremonæ Pontifex ei Ioannes XXI. obuiàm proceſſit, obſecrans ne indignabundus Romam peteret, eò quòd inaugurare ipſum ac iurare parati eſſent. Tum irâ depoſitâ Romam placidè profectus, ab ipſo Pontifice coronatus eſt. Deinde & Romanis euerſionem minatus eſt, ſi Pontificibus moleſti eſſe pergerent, vt olim fuerant. Eâdem hac tempeſtate ſæuiſſimè tumultuatum eſt inter Romanos ac Germanos. Hi illos vrbe pellebant, vt plurimi cæſi interierint. Verùm pace per Conradum illicò inter eos conciliatâ, aduerſus Sclauos atque Hungaros Româ profectus eſt, qui Italis in ſuâ rebellione præſidio fuerant, grauiterque eos vltus eſt. Intereà Dux Erneſtus nouos concitauit tumultus; quare ab Cæſare in reditu confoſſus eſt. Edictum ſiquidem promulgarat memorabile, vt, ſi quis pacem publicam infringeret, is capite puniretur. Porrò autem dum iam in Italiâ agebat, Miſco Regem aut Cæſarem ſe in Poloniâ effecerat, aduerſus quem Conradus ingentem miſit multitudinem; atque ipſe poſteà ſubſecutus, cuncta cædibus atque incendijs compleuit. Miſco animaduertens nequidquam ſe Cæſari reſtiturum, ad Ducem Bohemiæ confugit; qui item Cæſari erat aduerſarius. Dux ratus proditione huius in gratiam Cæſaris ſe rediturum, clàm nuntiabat Cæſari hoſtem ſe ſuum captum traditurum. Cæſar ex ſuâ magnanimitate proditionem illam minimè acceptabat, ſignificabatque Miſconi, alium quæreret defenſorem quàm perfidum iſtum. Quare demiratus Miſco, clàm in

Poloniam

Poloniam profectus, diademate Regio deposito, supplex ad Cæsarem perrexit, coronam seque illi offerens. Cæsar in gratiam ipsum recepit, Ducemque Poloniæ fecit. Deinde Conradus bella aduersus Gallos ad recuperandam Lotharingiam gessit: quibus deuictis, Lotharingiam iterùm cum Lugduno ac Regno Arelatensi cepit, Imperioque suo subiecit. Obijt Vltraiecti, Imperiumque filio suo reliquit. Huius auus erat Conradus, qui cum Othone Magno apud Augustam Vindelicorum aduersus Hungaros pugnauit, ac cæsus est.

ENRICVS III. Nero cognominatus, imperare cœpit anno CHRISTI millesimo quadragesimo. Primùm ingentes copias aduersus Bohemos duxit, & post incendia, direptiones, deuastationesque quàm plurimas, Ducem iam tum rebellem eò necessitatis adegit, vt Ratisponam venerit, & vltrò se tributarium Cæsari tradiderit. Inde Hungariam ingressus, duas cepit ciuitates, eius regionis ferè maximas. Nam & hæ rebelles sese præbuerant, Regemque sibi legerant Vbam nomine, qui Cæsaris erat aduersarius, & qui conabatur Bauariam euertere. Ex hoc bello Cæsar reuersus, præsens in Concilio Constantiensi ipse fuit, in quo plurima in se admissa condonauit, omnique sepositâ contentione, pacem quæ ad ea tempora nondum erat audita publicauit, atque in omnibus Imperij sui Prouincijs edicto confirmauit. Anno autem CHRISTI millesimo quadragesimo sexto profectus in Italiam, ab Romanis pacificè exceptus est. Tres Pontifices inter se concertantes de Papatu simul reiecit, Pontificiæ Sedi Bambergensi Antistite præfecto: hic se Clementem Secundum appellauit, Cæsaremque cum suâ vxore coronauit. Deinde Romanos Cæsar ad iuramentum præstandum coëgit, ne Pontificum electioni se deinceps immiscerent. Hinc profectus est Capuam, vbi Turcas qui continuò Italiam obruebant, feliciter deuicit, profligauitque. Posteaquam iam Italiam bonis legibus ac moribus restituisset, amplissimo sanè honore in Germaniam redijt. Anno prætereà CHRISTI millesimo quadragesimo septimo, nouos deintegro tumultus concitarunt Hungari, legeruntque sibi Regem Belam quemdam nomine, pollicentes omnem huic obedientiam, si Christianam fidem exstirpare, Episcopum enecare, & fidem pristinam restituere vellet. Quæ quidem omnia facilè impetrarunt. Tum furentium instar simul impetu in Ecclesias concurrerunt, eas miserè depopulantes. Nec suum modò interfecerunt Episcopum, verùm etiam Germanos & Italos omnes, qui in aliquo saltem officio Regi Petro, quem illis Cæsar præfecerat, inseruierant. Prætereà per vniuersam Hungariam Bela edicto mandauit, Religiosos omnes liberè interficiendos: adeoque passim trucidabantur. Rex Petrus à suis captus, vtroque lumine priuatus est. Mox properè Cæsar multis per Danubium ratibus profectionem aggressus, Pessinnuta oppidum obsedit. Nocte verò perforatis nauibus, multos Hungari submerserunt. Hinc fatigatus Cæsar in Germaniam redijt. Anno CHRISTI millesimo quinquagesimo Hungarorum sæuitiam experti sunt Germani. Cæsar patruum suum Episcopum multis copijs Ratisponam hostibus obuium misit; hic eos in fugam compulit. Papa Leo nonus Germanus vnà cum quadraginta duobus Episcopis in Germaniam Moguntiam vsque venit. Hîc de compescendis Hungaris, ac rebus alijs Religionem spectantibus, agebatur. Cæsar rursum cum exercitu in Hungariam profectus est, diuisitque suos in parteis duas, vt hinc plurimum damni agris intulerit. Sed exercitus Hungarorum facilè à Cæsarianis, qui multis iam prælijs ac penuriâ erant debilitati, aufugit, & Germani sine clade in patriam reuersi sunt. Anno CHRISTI millesimo quinquagesimo secundo iterùm Cæsar in Hungariam profectus est; in quâ expeditione ipsemet fuit Pontifex: verùm sine aliquâ re gestâ memorabili in patriam redierunt. Dux Bauariæ Cuno multum præsidij in his bellis Hungaris tulit; nam conabatur Hungarorum operâ fretus Imperium ad se transferre; sed tandem à Cæsare explosus, ætatem suam exsul in Hungariâ transegit. Imperator Pontifici oppidum Beneuentum tradidit, cum ingenti hominum multitudine, quâ cinctus è Germaniâ profectus erat in Italiam. Siquidem Apuliæ Comes oppidum istud suo iuri subiectum detinebat. Pontifex verò vt munus suum defenderet, ipsemet in Apuliam contra Comitem profectus est: verùm succubuit. nam omnis eius nobilitas, multi Germani Principes, Episcopi, alijque titulis præclari ante oculos ipsius cædebantur: tandem & ipse in fugâ abreptus est, sed paullò pòst dimissus. Proficiscebatur Cæsar in Italiam; ibique cunctis paci restitutis, in Germaniam redijt. Hac tempestate fames magna plurimum calamitatis vbique attulit: quâ re motus Cæsar, in morbum incidit; ac filio suo Cæsare per Electores Principes creato, non multò pòst obijt.

CXXX.

QVI LITEM AVFERT, EXECRATIONEM IN BENEDICTIONEM MVTAT.



Annis XVII. rerum potitus, mœrore animi vitam reliquit.

ENRICVS IIII. adhuc puer in Imperio patri ſucceſſit anno CHRISTI milleſimo quinquageſimo ſeptimo. Cum hoc in pueritiâ certè haud præclarè actum eſt, vt qui in omnibus quæ adulatores aut vellent aut nollent, admittere debuerit. Sed adultus cœpit cogitare, atque apud ſe examinare quid æquum, quid honeſtum, quid benè vel malè actum fuiſſet; pleraque dictorum factorumque ſuorum reuocans, ac proprios condemnans iudices. Tum cædes, incendia, direptiones, bella, vimque omnem prohibuit; ac patriæ pacem, iuſtitiamque hactenus expulſam, reſtituit. Adoleſcens erat facundus atque eloquens, acutus, omni laude dignus, liberalis eleëmoſynarum erogator, ac rebus præclaris Princeps inſignis. Coronatus autem eſt Romæ à Pontifice Nicolao II. nec quidquam ſanè aduerſus Eccleſiam Romanam moliri conatus eſt. Verùm ſimulatque Pontifex hic fato conceſſiſſet, Pontificem creauit Epiſcopum Parmenſem, contra Alexandrum II. Pontificem. Hinc inſignes ortæ ſunt tragœdiæ. Nam Henricus ſanctionem quam pater tulerat, vt electio Pontificia ſine Imperatoris permiſſu non fieret, voluit vim ſuam ac vigorem perpetuò ſortiri. Proinde cùm apud Mantuam peccatum ſuum agnoſceret, ac metu potiùs quàm ex animo veniam obſecraret, eam à Pontifice impetrauit, atque in Germaniam reuerſus eſt. Iam eius aulici, vagi incompoſitique, atque vniuerſo Imperio parêre inſueti, nullius iugo aut poteſtati ſe ſubmittere voluerunt; ſed dicta eius omnia in adoleſcentiâ, rata habere. Ita enim ſibi prouiderant, vt quidquid adoleſcens vel egiſſet vel locutus fuiſſet, numquam abrogaretur ſine inſigni rerum tumultu. Intereà moritur Pontifex, atque in eius locum ſuffectus eſt Gregorius ſeptimus. Hic ſignificabat Henrico, ne poſthac conaretur Epiſcopatum aliquem conferre, ac res deinceps Eccleſiaſticas prorſus ne curaret. Quod quidem ægrè ferens Henricus, VVormatiæ Synodum celebrauit, in quâ congregati erant omnes Imperij Epiſcopi atque Abbates, qui Henricum inſtigabant, vti patris ſui conſtitutionem ratam haberet, ac Gregorium ceu Pontificem minimè adoraret. Hac motus occaſione Gregorius, qui iniuriam hanc minimè ferebat, primò Epiſcopos & Abbates ſuis titulis ac beneficijs priuauit; deinde tantum apud potentiſſimos

CXXXI. CXXXII.

MVLTI MVLTA SCIVNT, SE AVTEM NEMO.



Annos natus L V. cùm per annos X L I I. Imperator fuiſſet, mortuus eſt. Poſt eum regnauit Rudolphus annos I I I I. miſereq́ue vitam finiȷ́t.

tiſſimos quoſque Principes (qui tantùm id operam dabant, vt viâ aliquâ Cæſarem Imperio commodè deijcerent) egit, vt ab Imperatore deficerent, aliumque legitimo Electorum ſuffragio eligerent. Itaque defecerunt ab Henrico Otho Saxoniæ Dux atque aliquot Epiſcopi. Tum horrida bella in Germaniâ paſſim exoriri cœperunt. Ab Henrico ſtabant Bohemi & VVelphi, quibus donauerat Henricus Bauariam. Iam verò profectus eſt in Italiam Henricus, tranſigendæ huius controuerſiæ cauſsâ. Intereà ab reliquâ parte Electorum, Cæſar creatus eſt Rudolphus Sueuiæ Dux, ſub annum Chriſti milleſimum ſeptuageſimum, inſigniaque coronæ atque vnctionis accepit ab Archiepiſcopo Moguntino. Pontifex Henricum excommunicauit, miſitque Rudolpho Imperialem coronam, cui verſiculus hic inſcriptus erat:

Rudolphus Cæſar creatur

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Hac re indignatus Henricus, multos tam Eccleſiaſticos quàm profanos ſtrangulauit; & Epiſcopum Rauennatem Pontificem fecit, appellauitque Clementem: quicum hoſtili animo Romam profectus, Gregorium in arce Angelicâ obſedit. Ille ſubſidium implorabat Ducis Apuliæ, qui citra moram cum exercitu aduentauit. Huius aduentu territus Henricus, cum ſuo Pontifice fugit in Germaniam, ac Rudolphum ex Sueuiâ expulit in Saxoniam. Primò quidem aduerſus Henricum expediti Saxones, ipſum ex eâ pellere conabantur; ſed hos ille oppreſſit, fugauitque, vrbes & caſtra per vniuerſam ferè regionem vaſtando, depopulando, atque euertendo. Tum cetera pars Germaniæ ad Rudolphum deſciuit, atque inter ſe fœdus inierunt, vti Henricum vndique pugnis aggrederentur. Rudolphus omni ſe militari expeditione quàm fortiſſimè munijt. Cùm verò iam Henricus hoſtes exſpectaret, Rudolphus in Henrici patriam profectus eſt non longè ab Herbipoli, quò hic illum inſecutus eſt. Hîc inter ſe pugnam commiſerunt, fugatique ſunt equites Henrici, adeò vt vel ipſe per arma miſerè contuſus fuerit; ſed pedites, quibus fuga adempta erat, penitùs interierunt. Atque ita quidem Rudolphus Herbipolim caput Franconiæ cepit. Poſtquam vrbem præſidio munijſſet, tranquillè profectus in Saxoniam, aliquot cum eo pugnas

pugnas commiſit. Anno milleſimo octuageſimo pugnatum eſt nouiſſimè apud Mersburgum, & in ipſo conflictu dextra manus Rudolpho amputata eſt: quam quidem ille (vt fertur) Epiſcopis ſuis circumſtantibus exhibens; *En,* inquit, *manus hæc eſt quâ Henrico fidem confirmaui: ipſi vos nunc expendite quàm piè conſulueritis mihi, vt ab eo deficerem.* Miſerabilis omnino querimonia hæc eſt, quæ teſtatur bonum Principem merito hoc ſuo infortunio fuiſſe contentum. Dolorem ſanè incredibilem hunc ad vitæ exitum perpeſſus eſt, faſſuſque ſemper iure optimo ſe iſthæc pati, nec iniuriarum quidquam ſibi illatum eſſe. Iam Henricus in fugâ amiſſus, vt ante ſeptimum diem non fuerit repertus: eius complices filium ſuum Henricum V. Cæſarem fecerunt: quem poſteà pater Aquiſgrani coronauit, atque inunxit: ac tum profectus cum exercitu in Italiam, cuncta cædibus, direptionibus, atque incendio deuaſtauit. Roma obſidebatur, & poſt aliquot conflictus capiebatur. Pontifex fugâ elapſus eſt in arcem Angelicam, ac Roma inſignem paſſa eſt deuaſtationem, anno Chriſti milleſimo octuageſimo primo.

ENRICVS V. cui Germania à patre commiſſa erat, ſecurus nihil mali omnino metuebat, quòd Rudolphus iam interierat. Ceterùm anno CHRISTI milleſimo octuageſimoſecundo, Hermannus vir potens, Germanus, nobilis, ab Saxonibus ac Germanis Cæſar efficiebatur. Huic cùm nemo in ſuâ Prouinciâ, hoc eſt, in Lotharingiâ & Germaniâ, diſciplinâ militari aut opibus par inueniretur, facilè Cæſarem ſe nominari admiſit. Anno milleſimo octuageſimotertio, Hermannus per vniuerſam Franconiam cum exercitu hoſtili more profectus eſt. In eâdem expeditione viſa eſt equitum turma huc illucque diuagari, quorum veſtigia reperire nemo potuit. Hac item tempeſtate Pontifex in arce Angelicâ concludebatur, exſpectans interim exitum rei. Henricus IIII. munitionem obſidionemque eâ parte parabat, quâ ab ſe olim Roma aduerſus Solis occaſum capta fuerat. Romani viginti dedêre obſides, petieruntque diem præſcriberet, quo Pontifex Senatuſque Romanus ad ipſum venirent. Dictus itaque dies eſt ad ipſas Kalendas Nouembres: deinde Româ egreſſus, ad Alpes profectus eſt, ac præſcripto die Romam redijt. Verùm Pontifex in conſpectum eius haudquaquam prodijt; ſed clàm fugâ Salernum elapſus, omnem iſtic deinceps ætatem tranſegit. Poſtquam verò Henricus IIII. vniuerſam Italiam pacaſſet, Clementem in Pontificis locum ſubſtituiſſet, ab ipſoque imperij ſigna ſuſcepiſſet, honorificè cum ingenti hominum multitudine Româ in Germaniam profectus eſt; vrbemque Auguſtam, ab Saxonibus ac Germanis oppreſſam, obſedit & deuicit. Anno milleſimo octuageſimoquinto, Saxones cum Henrico pacem inierunt, omneſque ab Hermanno ſimul deſciuerunt. Tum Hermannus apud ſuos atque exteros etiam contemptus, in loci cuiuſdam obſidione, anno milleſimo octuageſimoſeptimo, à muliere deſuper ſaxo petitus, ante portam interijt. Anno milleſimo nonageſimo, rurſum Henricus IIII. in Italiam profectus eſt, ſeptennioque iſtic agitauit: & cùm hinc in Germaniam rediret, conceſſit Iudæis, vt, qui ad Baptiſmum velut coacti erant, deinceps liberum cuique eſſet vel baptizari, vel non. Anno milleſimo centeſimo quarto, æſtate, Herbipoli, quando Sol breuiſſimas facit vmbras, ingens glaciei

Prodigia futuræ calamitatis.

CXXXIII.

MISER QVI MORTEM APPETIT, MISERIOR QVI TIMET.



Patri Imperij ſocius fuit annis XXV. ſolus præfuit XX.


ciei pars ex aëre cecidit, quæ in frusta secata quatuor, portari viris vix quatuor potuit. In Episcopatu Spirensi è pane cruor profluxit: quæ res, iuxta priscas Romanorum historias, portendere dicebatur ciuile bellum maximè horrendum. Anno millesimo centesimo quinto, cùm Henricus IIII. Pascha Moguntiæ celebraret, Henricus filius patri se in Bauariâ opposuit. In primis paternam hæresin, quâ diras Pontificias contemnebat ac ridebat, damnauit, obsequiumque Pontifici Paschali II. pollicitus est. Deinde fœdere cum Principibus inito, omni exercitu aduersus patrem insurrexit; captisque Saxoniæ vrbibus, Herbipolim reuersus est. Hinc Episcopum, qui à patre stabat, expulit, aliumque in locum eius suffecit. Atque ita quidem Herbipolitana Ecclesia Romanæ fuit reconciliata. Hinc Norimbergam cum exercitu petijt, eamque spatio duorum mensium obtinuit & diripuit. Tum pater hunc contra profectus, cepit Herbipolim, confodit quotquot filio iurauerant, Episcopum in locum suum restituit, fugauitque alterum, ac filium insecutus est vsque Ratisponam. Conscribebat vndique milites, atque in suâ profectione plerasque regiones per Bohemos diripi permittebat. Iam verò vbi filius exercitum in quinque legiones diuisisset, confligere cum patre plurimùm affectauit. Vidisses hìc spectaculum vtrimque horrendum: nam tres dies continuos tot ac tantæ vtrimque excursiones confectæ sunt, vt non pauci ab vtrâque parte interierint. Sed tamen ipso die, quo conflictus habendus esset, Principes, ac præcipui exercitus vtriusque Duces inter se collocuti simul concluserunt, fratribus, hoc est, populo Christiano parcendum, consulendumque esse. Ferunt filium, vbi aciem probè instructam vidisset, ac Marte iam furere cœpisset, totis in patrem membris excandescentem altè exclamasse: Gratias vobis, milites fortissimi, ago immortales, de vestro in me fauore longè promptissimo. Porrò cùm pater cum suis deliberaret, quemadmodum die postero pugnam aggrederetur, præter spem ex Marchione Luitpoldo Duce Bohemiæ audiuit, neminem esse cui pugnare colliberet. Hac re tristis, blandiens subsidia implorauit. Eodem tempore litteræ à filio allatæ sunt, quibus patrem monuit, vt à proprijs sibi ministris caueret. Tum clàm pater profugit Leodium: & ibi eodem anno è viuis excessit.

ceſſit. Quinquennio autem pòſt, quòd excommunicatus obierat, acceptâ abſolutione, in Spirenſi baſilicâ ſepultus eſt. Atque ita quidem filius Imperio ſolus potitus eſt anno milleſimo centeſimo ſexto. Cùm iam eſſet Romam profectus, à Pontifice coronam impetrare non potuit, niſi priùs ſtatuere vellet, pro rato habendum porrò eſſe, & Pontificem & Epiſcopos ſine Cæſaris approbatione & conſenſu creandos. Quod vbi conſentire nolebat, tantus Romæ tumultus excitatus eſt, vt, niſi ſuâ ipſius manu vitam defendiſſet Cæſar, iam perijſſet. Victore tamen Cæſare, trucidati multi ſunt Romani, captuſque Pontifex, atque extra vrbem abductus. Tum conſenſit Pontifex, vt eam ſibi prærogatiuam vſurparent Cæſares, ne Pontifex quis vel Epiſcopus citra eorum ſuffragationem deſignaretur. Quare Romam reuerſi, à Paſchali inſignitus eſt Henricus diademate imperiali. Ceterùm poſt diſceſſum Imperatoris ex Italiâ, Pontifex conceſſum priuilegium veluti extortum reuocauit. Tum Cæſar magnâ vi Italiam repetens, fugauit Pontificem, & alium eius in locum ſuffecit. Intereà denuò aduerſus Cæſarem excitati fuêre Saxones, adeò quòd iterùm Germaniâ diſcordijs mutuis agitatâ, infeſtis copijs vtrimque pugna commiſſa ſit, anno milleſimo centeſimo decimo ſexto, apud Mansfeldium. Proinde videns Cæſar tragœdiam hanc ſedari non poſſe ſine perpetuo conflictu, iure priuilegij ſui vltrò ceſſit. Itaque per hanc occaſionem pax inter Pontificem & Cæſarem firmata eſt, eaque publicè ad Rhenum non procul à VVormatiâ in caſtris proclamata; adeoque propter initum hoc fœdus concordiæ publicæ, ſumma lætitia in totâ Germaniâ coorta eſt. Deceſſit hic ſine prole maſculâ.

LOTHARIVS III. Saxoniæ Dux ab Electoribus Cæſar creatus Henrico V. ſucceſſit poſt CHRISTVM natum anno milleſimo centeſimo viceſimo ſeptimo. Huius Imperium grauiſſimis ſubinde inſultibus quaſſatum fuit. Nam & nunc iterùm contra hunc ingens & diuturnus tumultus exortus eſt. Etenim Francones & Sueui, quibus iam diu cum Saxonibus bellum fuerat, ægerrimè ferebant Imperij celſitudinem ad Saxones deriuari. Præterea etiamnum erat Conradus ex ſorore Henrici V. prognatus; cui item Franconiæ Ducatum conceſſerat Henricus. Ideò aduerſus Lotharium iure ad ſe Imperium pertinere contendebant. His fauebat Comes Palatinus Godefridus ex Franconum genere oriundus, à quo Conradus Cæſar electus eſt. Ceterùm Bauariæ Dux VVelphus Lothario adhæſit. Vt ergo Conradus Lotharium anteuorteret, Italiam ingreſſus, Longobardiam occupauit, vbi & ferreâ coronâ inſignitus eſt. Intereà à Lothario obſeſſæ & victæ ſunt vrbes, Spira, Vlma, Norimberga, & Auguſta; atque inde conſecutus eſt Conradum in Italiam. Proinde vbi cognouit Conradus & vrbes Germanicas amiſſas eſſe, & nullam ſpem præſidiorum exſpectandam eſſe ex Germaniâ ad ſeruandum regnum Italicum; relictâ Italiâ, pacis conditiones apud Lotharium pactus, ſuſcepto Imperio ceſſit; ac dum vita Lothario manſit, quieuit. Iam verò Lotharius adepto Imperio Leodium profectus eſt ad Pontificem Innocentium II. quem Petrus pſeudopontifex Româ expulerat. Hunc cum exercitu in Italiam duxit, vi Romam expugnauit, Ianiculumque montem occupauit, ac Pontificem reſtituit in Baſilicam Lateranenſem. Quod facinus cùm non minùs piè quàm feliciter abſoluiſſet, à Pontifice Imperij diademate inſignitus eſt. Cumque Lotharius extemplò in Germaniam ad comprimendos quoſdam motus in Bohemiâ concitatos redijſſet, intereaque Innocentius Pontifex à pſeudopontifice Româ exactus fuiſſet, ſecundò in Italiam iratus cum ingenti hominum multitudine profectus eſt, debellauitque aduerſus Rogerium Pontificis aduerſarium ac pſeudopontificis amicum terrâ marique, & tandem ex Italiâ ipſum exturbauit. Multas Italiæ vrbes Pontifici rebelles (vt erant Albia, Beneuentum,

CXXXIIII.

AVDI ALTERAM PARTEM.



In Italiâ morbum contraxit, quo in Germaniâ mortem obijt, anno Imperij ſui XIII.

uentum,&c.) deuastauit. Post hæc rursum in Germaniam redire statuit, adeoque profectionem ex Italiâ adornauit per agrum Tarentinum: vbi morbo correptus in deserto, quod situm est inter Oenum & Licum fluuios, sub pastoris cuiusdam tuguriolo vitâ decessit. Quidam ex Historicis Lotharij huiusce mores recensens, bellatorem fuisse ait strenuum, virum in defendendo acerrimum, in consilijs prudentissimum, aduersarium horribilem Dei eiusque Ecclesiæ hostibus, veri in omnibus amantissimum, æqui item obseruantissimum, ac iniustitiæ contrà hostem perpetuum; cuius virtus satis in Siciliâ emicuit, atque in Saxoniâ abundè patefacta est: qui etiam dum vixit, nihil detrimenti Imperium Romanum passum est. Petrum pseudopontificem profligauit, Innocentiumque vt verum Pontificem vi restituit. Commendatur etiam plurimùm, quòd iura Romana summoperè amauerit. Nam cùm legum Romanarum libros VVernherus, quem Accursius Irnerium sæpè nominat, in Italicis bibliothecis repperisset, & in lucem reduxisset, mandauit Lotharius hos publicè in Scholis tractari & prælegi, atque iterùm secundùm eas leges ius dici in iudicijs Imperialibus. Itaque per hanc occasionem in vsum reuocatus est is thesaurus, quo neque vtilior, neque pretiosior esse alius potest. Nam hinc Ius iterùm vniuersæ restitutum est Europæ: siquidem omnes regiones & omnes aliæ leges vtuntur Romano hoc Iure tamquam amussi quadam in æquitate cognoscendâ, quòd honestati publicæ proximè sit accommodatum. Prætereà ex reparato hoc Iure iterùm Latinæ linguæ puritas veluti renata florere cœpit; studiaque Iuris tum exorta sunt, ac statim magni & multi præclari Iurisconsulti exstiterunt, quibus & interpretari leges, & in publicum vsum reuocare curæ fuit. Tum Instituta Imperatoris Iustiniani Magni, velut introductorium ac prima Iuris elementa, tradi cœperunt. Tum & Edicta Prætorum atque Ædilium, quæ non modicam Iuris cognitionem continent, prælecta fuêre; quemadmodum & res in Pandectis seu Digestis comprehensæ. His accessit Codex, qui statuta constitutionesque Imperatorum complectitur. Quartus denique liber est Authenticorum, quem superioribus ideò adiecit Imperator Iustinianus, vt constitutiones Principum


hinc

hinc confirmaret ac corroboraret. Equidem mirari ſatis nequeo, tantam illius temporis homines cognitionem eſſe conſecutos, quo Latinæ linguæ vſus, hiſtoriæ, omnes denique Romanæ diſciplinæ veteres erant intermiſſæ. Quare facilè æſtimare poſſumus, Iureconſultos illos huius Lotharij temporibus non ſolùm ſummæ diligentiæ & ſedulitatis homines in ſtudijs, ſed magnos atque prudentes quoque, & vſu Rerumpublicarum viros exercitatiſſimos fuiſſe. Nam ſine eâ exercitatione, ne poſſibile quidem fuiſſet, leges Romanas cognoſcere. Itaque illi ipſi doctores Iuris, Azo, Accurſius, Bartholus, &c. nihilo inferiores cenſendi ſunt veteribus illis Iureconſultis, Seruio, Vlpiano, Papiniano, &c.

ONRADVS III. Franconiæ ac Sueuiæ Dux, cuius paullò antè mentionem fecimus, Imperium adeptus eſt poſt obitum Lotharij anno CHRISTI milleſimo centeſimo viceſimo nono. Huic Saxones atque alij, qui in electione non adfuerant, reſtiterunt, quaſi haud legitimè electus fuiſſet. Sed ea controuerſia facilè in Comitijs conſopita eſt Bambergæ. Henricus tamen Superbus Bauarorum Dux, gener Lotharij, ipſe poſt ſoceri obitum rebus præeſſe maluiſſet. Habebat ſiquidem penes ſe Ratiſponæ ornamenta Imperialia ab Lothario relicta, quæ reſtituere planè nolebat. Tandem verò coactus ea reddidit; in gratiam tamen cum Cæſare redire non potuit. Henricus exercitum parabat, caſtraque ad Licum fluuium figebat contra Auguſtam Vindelicorum, quam occupabat Cæſar. Hic illum veritus, clàm noctu Herbipolim aufugit. Cùm iam Henricus apud Principes quoſdam Imperator haberetur, illi adhærebat præter ceteros Hungariæ Rex. Verùm breuî ad Superos migrauit Henricus. Tum omnes ſeſe VVelpho Henrici filio dabant, omnemque aditum Cæſari prohibebant, ac vias tranſituſque Italiæ omnes illi præcludebant, ne Diademate Imperiali inſigniretur. Hos contra omni exercitu profectus Cæſar, VVelphum in fugam egit. Deinde & alia pugna commiſſa eſt apud vrbem VVeinsburgum. Hanc autem ciuitatem obſeſſam Cæſar deuicit. Mulieribus abire permiſſum eſt cum tantâ ſarcinâ bonorum, quantam poſſent ferre: viri autem omnes erant interimendi. Tum mulieres, relictis rebus, viros ſuos aſportarunt. Cæſar inſperatam feminarum fidem ſummoperè mirabatur. Eius frater Fredericus calumniabatur, bonorum, non hominum aſportandorum beneficium conceſſum fuiſſe. Cui reſpondebat Cæſar, ſemel ſe locutum fuiſſe, nec id velle reuocare. Adeò inſuper hac feminarum virtute delectatus eſt, vt non modò virorum illis, ſed omnium etiam opum copiam fecerit, vt ſecum auferrent. Inter hos verò motus Pontifex Eugenius III. legatos ſuos ad Cæſarem miſit, vti pararet ſe cum exercitu aduerſus Turcas ac Saracenos ad recuperandam Ieroſolymam. Bernardus Claræuallenſis Abbas, quem in catalogum Diuorum relatum habemus, ac viri Religioſi alij verbis, quoad potuerunt,

CXXXV.

PAVCA CVM ALIIS,
MVLTA TECVM LOQVERE.



Rerum habenas tenuit annos XIIII. & mortuus est.

tuerunt, Principes ad hanc profectionem adhortati ſunt. Pararunt igitur ſe ad expeditionem Ludouicus Gallorum Rex, Henricus Angliæ Rex, & Alphonſus Rex Hiſpaniæ, ac Germani Principes omnes cum ſuo Cæſare, qui VVelphum item (quamquam bellum nondum finitum erat) eò impulerunt, vt vnà cum ijs profectus ſit. Educti itaque anno CHRISTI milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo, incredibilem Hungarorum ac Græcorum multitudinem aſſumpſerunt. Equites erant numero ſeptuageſies mille, exceptis peditibus. Qui quidem exercitus pænè vniuerſus ſeu preſſus fame ſeu aëris inclementiâ, ſeu etiam copijs Turcarum ac Saracenorum obrutus, cæſus interfectuſque eſt, ac nihil penitus profecit. In hac laboriosâ expeditione Cæſar VVelphum ſæpenumerò iuuit. Tandem vt Ieroſolymam veniſſent, ac pars Damaſcum profecti fuiſſent, VVelphus morbo correptus eſt, quare domum redire ſtatuit. Cùm iam hic mare traiectus in Siciliam veniſſet, conualuit. Hîc amiciſſimè ab Rege Rogerio exceptus, plurimis muneribus donatus eſt, quibuſcum aduerſus Cæſarem bellaret. Simul atque VVelphus in Bauariam redijſſet, ad bellum ſeſe parauit, Cæſariſque poſſeſſiones inuaſit, atque Herbipolim grauiter obſedit. Vox VVelphorum ſub mœnibus erat, *Hei VVelph*; Herbipolitanorum verò, *Hei Gibelin*. Hinc illud natum eſt, quòd etiamnum hodie in Italiâ Cæſarianos Gibelinos, Pontificum autem complices VVelphos appellemus. Nam VVelphus hic pro Pontifice pugnabat, ſub eius nimirum ſtipendio, ac titulo Rogerij, quòd Franci Imperatores omnes pænè Pontifici rebelles exſtiterant. Poſtquam verò VVelphus ſcomma iſtud audiuiſſet, cetera inſtrumenta bellica dimouit, atque ariete muros crebro diſiecit, vrbem euertit, ciues multos interemit, alios captos iſtinc abduxit, atque arcem denique Flockburgum vi aggreſſus eſt. Proinde vbi Franci ac Sueui ad bellum ſeſe paraſſent, VVelphum armis ita profugarunt, vt cum ſummo dedecore iſtinc VVelphi diſcedere fuerint coacti. Fredericus Barbaroſſa (qui non multò pòſt Cæſar creatus eſt, Imperatoris ex fratre nepos, itemque VVelphi huius ex ſorore nepos) iſti ſe negotio immiſcuit, atque omnem controuerſiam diremit. Capti vtrimque dimiſſi ſunt; reſque ita pro-

bè eſt conſtituta, vt nec Cæſar, nec VVelphus quod timeret, habere poſſet. Proinde quanta & quàm deteſtanda bella ex VVelphis hiſce ac Gibelinis nata ſint, dicetur in ſequentibus. Nam præſentia hæc inter Cæſarem & Pontificem bella hinc originem habent. VVelphi Principes fuêre ſemper Sueuorum, ac deinde Bauarorum ex antiquiſſimâ Germanorum ſtirpe oriundi; ac primò ſe oppoſuerunt Cæſari Conrado II. qui item Dux fuerat Francorum. Anno Chriſti milleſimo centeſimo quinquageſimo primo, Conradus Cæſar ex Aſiâ in Germaniam reuerſus eſt. Hîc Norinbergam præcipuè exſtruxit, ampliauit atque inſtaurauit; quam Henricus V. planè deiecerat, vaſtarat, funditusſque euerterat. Sic Vlmam non reſtituit modò (quæ Lotharij III. temporibus diruta ac cladis multum paſſa fuerat) ſed multis etiam priuilegijs donauit. Verùm haud multò pòſt obijt excommunicatus.

REDERICVS BARBAROSSA Sueuorum ac Francorum Dux, post mortem Conradi patrui legitimo Electorum suffragio Francofordiæ Cæsar creatus est, anno millesimo centesimo quinquagesimo secundo. Hic triennio pacem, iam sepultam pænè, Principibus Germanis restituit. Nam clementiâ & iustitiâ Princeps fuit clarissimus, nec minori tamen audaciâ ac fortitudine insignis, ingenio promptus, corpore validus, consilijs prouidus, negotijs expediundis diligentissimus, militiæ peritissimus, tenaci memoriâ felix, in victos mitis, qui acceptæ iniuriæ facilè obliuiscebatur, erga mansuetos denique humanus & benignus, audacibus verò ac superbis durus. Rebus itaque iam in Germaniâ pacatis, ingenti cum exercitu in Italiam profectus, omnem controuersiam sedauit, ac Romam deinceps vt Diademate Imperiali insigniretur, petijt. Verùm Pontifex alijque Itali memores iniuriæ, quam eius patruo inflixerant, suspicabantur facilè eam hunc vindicaturum. Et cùm primùm ei Tordona resistebat, ipsam cepit, domuitque: ac deinde Romam eo modo profectus est, vt Hadrianus IIII. ipsum veritus, cum suis Cardinalibus in vrbem veterem profugerit. Porrò pace tandem impetratâ, supplex Cæsar ad Pontificem ingressus, debito ipsum honore coluit, coronamque Imperij ab eo flagitauit.Intereà Romani Germanicum exercitum inopinatò oppresserunt, vt vtrimque cædes plurimæ fuerint perpetratæ. Hinc Cæsar profectus, à Spoletanis in itinere oppugnatus est; ideoque eorum oppidum funditus euertit. Posteà per vniuersam Italiam ac Longobardiam profectus, complures rebelles ad obsequium coëgit; reuersusque in Germaniam, Principum amicitiam summoperè affectauit. Mediolanenses quippe aduersus ipsum iam bella parabant. Ducem Bohemiæ, Regem fecit; Marchionemque Austriæ, Ducem: ac Bauariam deinde VVelpho concessit. Intereà Mediolanenses multa Cæsariana oppida deuastarunt: quâ de caussâ in Italiam cum exercitu profectus est. Ante hunc tamen itineri se tradidit Rex Bohemiæ, ac Brixienses inuasit domuitque. Tum Cæsar cum multis Principibus illicò subsecutus est: cumque loca cuncta circiter Mediolanum deuastasset, vrbem ipsam obsedit vel integro septennio: tandemque

CXXXVI.

PRÆSTAT VNI PROBO QVAM MILLE IMPROBIS PLACERE.



Post multos labores & ærumnas per XXXVII. annos pro Imperio exantlatos, tandem submersus perijt.

que post grauissimas sanè pugnas ab Cæsare capta est. Quidquid hinc spoliorum collectum est, tam virorum quàm feminarum ac puerorum, id omne in Germaniam abductum est. Eorum Principem sub mensâ non secùs atque canem in prandijs alebat: deinde & ille captus in Germaniam transmissus est, multisque ibi annis in vinculis detentus. Cæsar vrbem solo adæquauit, eamque aratro ita euertit, vt velut ruina perpetuò esset mansura. Multæ hoc tempore ciuitates item fuêre euersæ cum Mediolanensibus idem sentientes. Tum VVelphus à Cæsare defecit, ac filium suum iuniorem VVelphum Tusciæ Principem fecit, reuersusque est ex Italiâ in Germaniam. Hinc magna in Germaniâ orta sunt inter Comitem Tubingiæ & VVelphum bella: quare & Cæsar ad componendam pacem in Germaniam redijt. Intereà obijt Pontifex, successitque in Pontificatum Alexander III. Quamquam verò legitimè creatus fuerat, multa nihilominùs suffragia habebat Octauianus quidam, electusque erat, non obstante altero, à multis, ac Victor appellatus. Hic ad Cæsarem profugit, Alexander autem ad Philippum Gallorum Regem; illeque ab hoc, in Concilio Claremontensi, cum Cæsare execratione petitus est. Cùm iam Alexandro Romani magis fauebant, accersitus est ab illis è Galliâ Romam. Hinc oppida quædam Italiæ spem magnam concipiebant vindicandi se in Cæsare: ideoque Pontificem Cæsar exosus, quatuor continuò Pontifices aduersus illum creabat; fatigabatque adeò Ecclesiam, vt iam perituram quisque facilè timeret. Pontifex excommunicatum Cæsarem vbique publicabat. Sed ne id quidem proficere quidquam potuit: nam Imperator cuncta Pontificis bona, iura, possessionesque ad se magis magisque rapiebat, veniebatque cum ingenti exercitu in Italiam anno millesimo centesimo sexagesimo septimo, atque vniuersa denique funditus deuastabat. Dum iam Anconam obsideret, prope Romam Tusculanum venit Coloniensis Episcopus tamquam pacis conciliator. Sed hunc Romani armis obruebant, subsidioque illi erat Moguntinus Episcopus; ac res in eam pugnam deducta est, vt Romanorum interierint quindecim millia. Intereà cum vniuerso exercitu Romam obsidebat Imperator, expugnabatque Vaticanum cum D. Petri Basilicâ.

licâ. Verùm Pontifex noctu clàm ad Gallorum Regem profugit, indeque in Angliam & Hiſpaniam. Cæſar Principes ſuos Germanos in multis Italiæ locis Duces creabat, atque inde in Germaniam reuerſus eſt: nam eius exercitus peſte propemodum interierat. Anno CHRISTI milleſimo centeſimo ſeptuageſimo vinculis elapſus eſt Dux Mediolanenſis; atque habitu ruſtico in Italiam reuerſus, diſperſam multitudinem conuocabat, Mediolanumque iterùm vi ædificabat. Etiam Pontifex in Italiam redijt: huic vrbem collapſam quidem anteà reſtaurabant, appellabantque Alexandriam. Cæſar autem pacis ſemper amantiſſimus id ei facilè permittebat. Porrò anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto, Itali priſtinam ſuam inconſtantiam renouarunt, & cum Longobardis aduerſus Cæſarem conſpirarunt; atque omnes Cæſaris miniſtros præſcripto die enecarunt, nudoſque aliquot profligarunt. Hæc verò defectio adeò profectò Cæſarem mouit, vt iam quartò in Italiam profectus ſit. Sed ne noui in Germaniâ tumultus exorirentur, filium ſuum Henricum iuxta ſe Romanorum Regem creabat.

ENRICVS VI. relictus erat in Germaniâ, ſed Othonem ac Philippum eius fratres pater Fredericus cum vniuerſo exercitu in Italiam ſecum aſſumpſerat, obſidebatque Alexandriam oppidum iam recèns exſtructum. In hac obſidione nihil perfecit Fredericus, quòd ab eo Henricus VVelphus defecerat occaſione excommunicationis. Suſpicantur aliqui ad hoc ipſum ære fuiſſe conductum. Hunc ſubſecutus eſt Fredericus, ſupplexque orauit, ne ſe deſereret: at fruſtrà. VVelphus enim in Germaniam venit, concitauitque ingentem tumultum aduerſus Fredericum. Igitur coactus Fredericus Italiam linquere, in Germaniam reuerſus eſt, profugauitque VVelphum in Angliam; ac Bauariam donauit Othoni à VVitelsbach. Rebus ad iſtum modum pacatis, in Italiam redijt anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto, venitque cum exercitu Comum. Hîc ipſum Itali exſpectarunt. Verùm impreſſionem in eos tribus copijs fecit. Germani ardore belli ordinem neglexerunt, ſed Fredericus ſuâ manu plurimos interfecit. Equo confoſſo deiectus eſt, adeò vt tam ſui quàm hoſtes mortuum ipſum eſſe arbitrarentur. Quæ res tantum addidit animum Italis, quòd in fugam Germanos egerint, eorumque ſignum Aquila in hoſtium manus deuenerit. Multi Principes, Nobiles, ac præclari in eâ pugnâ interierunt. Otho Cæſaris filius Venetias ad Pontificem captus abductus eſt. Imperatrix Comi agebat, veſteſque induebat funebres, ac mariti ſui corpus inquiri mandabat. Sed quinto die pòſt Fredericus Papiæ viſus eſt. Hîc Principes & Epiſcopi multa illi minitabantur, niſi pacem concordiamque cum Pontifice breuî iniret; nempe alioqui ipſum ad vnum omnes deſererent, aliumque Cæſarem ab Electoribus poſtularent. Quare Imperator pacem à Pontifice efflagitauit. Verùm Pontifex voluit, vt ipſe Venetias veniret: neque enim alias pacis conditiones vllas admittebat, quàm vti pœnitentiæ loco faceret, quidquid ei eſſet iniuncturus. Cui rei vt paruiſſet, iuſſit Pontifex, vt pro D. Marci foribus humi ſe proſterneret. Tum ipſum Pontifex publicè pedibus conculcauit, ſcriptum eſſe inquiens: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*. Proinde Cæſar exhiberi eam à ſe humilitatem dixit non

Alexandro,

CXXXVII.

QVI TACENDI NON HABET ARTEM, NEC LOQVENDI NOVIT OPPORTVNITATEM.



Mortuo patre, VII. annos cum fratre regnauit: in Siciliâ non ſine ſuſpicione veneni obijt.

Alexandro, ſed Petro. Ad quæ reſpondit Pontifex: Imò & mihi & Petro. Atque ita miſer humi leuatus eſt. idque contigit Cæſari Frederico viro fortiſſimo. Porrò miſerabili hac tranſactione factâ, ſenio confectus, in Germaniam reuerſus eſt, Imperiumque Henrico filio auctoritate & conſenſu Electorum omnino tradidit. Othoni conceſſit Burgundiam, ac Fredericum Sueuiæ Ducem fecit. Cùm iam vbique pax eſſet publicata, maximo apparatu & multorum Principum comitatu cum filio Frederico per Hungariam Conſtantinopolim profectus eſt: inde traiecit in Aſiam Ieroſolymitanæ vrbis recuperandæ cauſſâ. Cepit in Cilicia multas potentiſſimas vrbes; Turcaſque adeò proſtrauit, vt numquam talem interitus ſui timorem habuerint. In Syria ipſi multarum ingentium ciuitatum mœnia ſolo æquabant, cùm diffiderent ſe eas retinere non poſſe. Proinde vnica hora infelix omnem Chriſtianorum ſpem abſtulit. Nam Fredericus ſenior caloris cauſsâ equo in rapidum amnem ingreſſus eſt, & ſtrenuiſſimus Heros in vndis periit. Eius corpus Tyrone ſepultum eſt: ac Fredericus filius exercitum Antiochiam ducebat; vbi item obiit partim mœrore, partim ægritudine. Atque ita Imperium plenè ad Henricum VI. deuolutum eſt, anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo. Hic primum bellum geſſit aduerſus Colonienſem & Leodienſem Epiſcopos. Sed in eo tumultu Leodienſis Epiſcopus ferro confoſſus eſt; & hoc caſu permoti alij quieuerunt ab incepto, & vltrò paruerunt. Poſteà Henricus Romam profectus eſt, vt Diademate Imperiali inſigniretur. Verùm Cæleſtinus III. Pontifex id ei recuſauit, ni priùs Siciliam atque Apuliam Romanæ Eccleſiæ ſuis ſumptibus recuperaſſet, tributariamque feciſſet. Atque eâ conditione deſpondit ei Pontifex Conſtantiam Rogerij Regis filiam annos ſexaginta natam, vt eâ occaſione Regnum Siciliæ ad ipſum quaſi pertineret. Igitur Henricus tertio die poſt factam coronationem copijs inſtructus Neapolim profectus eſt; ſed minimè eam cepit. In diſceſſu Conſtantiam coniugem Cæſaris Siculi captam abduxerunt. Pontifex eos omnes excommunicauit, donec Cæſari vxorem reſtituiſſent. Verùm excommunicationem illi Pontificis deridebant. Tum Cæſar Pontifici pollicebatur eam ſe iniuriam grauiter vindicaturum.


rum. Deuaſtabat primò extremos Italiæ fines, dein inuadebat Siciliam, magnamque ſæuitiam exercebat. Vniuerſi Nobiles ac Principes Regni apud vrbem Catanam contra illum profecti ſunt. Hìc pugna commiſſa eſt acerrima, ac tandem profugerunt in vrbem. Cæſar quoſcumque trucidabat: capiebat eius oppidi Epiſcopum; ciuitatem ipſam incendio deuaſtabat, vt nec templo quidem pepercerit, quod multis hominum generibus confertum erat, quos omnes miſerè cremabat. Poſteà autem nulla ei ciuitas reſiſtere potuit. Quotquot habebat Nobiles, excoriauit; ac pleroſque Comites luminibus ex gratiâ priuauit. Cuidam, quòd ſe regio ſtemmate prognatum iactitaſſet, coronam ferream clauiculis capiti inflixit. Quoſdam denique verubus affixit, alioſque ſtipiti alligatos concremauit. Quâ quidem re ingentem terrorem populo incuſſit. Poſtquam iam Siciliam recuperaſſet, Ducatum Franconiæ ac Sueuiæ in Germaniâ cum Imperiali dignitate fratri Philippo conceſſit, eò quòd nullos ſe ex eâ vxore ſuſcepturum liberos ſperabat.

HILIPPVS III. cui magis Imperium administrare conueniebat quàm fratri Henrico, Princeps sanè erat ingeniosus, eloquio facundus, atque acumine patri Barbarossæ quàm simillimus. Hic, dum frater in Siciliâ agebat, prudenter Imperium in Germaniâ administrauit. Verùm mox rarum quiddam atque insperatum audiuit, nempe fratris coniugem vetulam illam vterum gestare cœpisse. Quare dum partus instabat, Henricus edictum promulgauit, vt si qui in pariundo adesse velint, ij Panormum venirent. Hìc extra vrbem tentorium fixit, ac Constantia Imperatrix palàm omnibus filium enixa est: qui paulò pòst vt Cæsar nobis Fredericus II. appellabitur. Hinc Cæsar cum vxore ac filio Falernum profectus, tantâ in vrbem pompâ introductus est, quantam fuisse vmquam haud memini. Nobiles, ciues, puellæ ac pueri, suo quisque ordine, educti obuiàm Cæsari, omni ipsum musicorum instrumentorum genere magnâ cum lætitiâ in vrbem deduxerunt: vulgus autem humi prostratum terram honorificè osculabatur. In hisce regionibus tam ingentem repperit thesaurum, vt suis impensis exercitum in Asiam aduersus Turcas miserit. Post hæc duos Comites, atque Episcopum vnum, tamquam obsides secum abduxit, vt illi magis essent fidi, ac promissis fideliùs starent. At simulatque hic tergum verterat, defecerunt: ideoque vt oculis obsides priuarat, in Germaniam reuersus est. Hìc tantum apud Principes egit, vt Fredericum filium adhuc puerum consensu Electorum Cæsarem crearit, quò tam cum Philippo quàm post ipsum imperaret. Electio hæc sigillatis tabulis confirmata est: ac deinde Henricus in Siciliam redijt. Anno millesimo centesimo nonagesimo octauo obijt. Ferebatur autem publicè veneno ab vxore necatus, quòd eius prosapiam varijs cruciatibus interemisset. Philippus frater eius eâ tempestate Germaniam egressus, in Siciliam proficisci decreuerat; ac Montisfalconem cùm peruenisset, fratrem obijsse accepit: concitatusque tumultus est præcipuè contra Germanos, qui tum in Italiâ agebant; quare Philippus ex Italiâ magno labore in Germaniam redire debebat. Hìc Coniurati iam alium Imperatorem eligere studebant. Quapropter Philippus ad Rhenum profectus, legatos

suos

CXXXVIII.

QVOD MALE COEPTVM EST, NE PVDEAT MVTASSE.



Poſtquàm laborioſiſſimè decem annis imperaſſet, ignominiosè trucidatus eſt.

ſuos miſit, vt impediret, ne quis Cæſar in alicuius præiudicium crearetur. Nihilominùs eâ tempeſtate deſignatus eſt Imperator Bartholdus Dux Zeringenſis. Cùm iam Philippus animaduerteret Principes haud velle à ſententiâ diſcedere, in oppido Mulhauſen cum ijs Principibus qui à ſe ſtabant concilium habuit, atque à Sueuis, Saxonibus, Bauaris, Bohemis, alijſque Principibus Cæſar creatus eſt: ex quâ re ingens poſteà diſſidium natum eſt. Nam cùm Bartholdus ſuam imbecillitatem agnoſceret, Cæſar eſſe haud voluit; venitque ad Philippum, atque ipſum inaugurauit. Id verò vbi olfecit Innocentius III. Pontifex, ſollicitauit ſeriò Principes Electores, vt alius Imperator eligeretur: indicans apertè ſe Philippum Francum illum ac Gibelinum ceu Imperatorem ferre non poſſe; exoſus quippe erat vniuerſum illud genus. Quare, ni paruiſſent, velle ſe dicebat Philippo Imperialem coronam adimere, aut Pontificiam infulam ab eo eripiendam. Cùm hanc Pontificis mentem intellexiſſent, accerſerunt Othonem VVelphum ex Angliâ; hunc Coloniæ Cæſarem crearunt. Id ſanè Pontifici optimè placuit, ac Philippum excommunicauit. Verùm Otho ad duos Cardinales à Pontifice miſſos venit Herbipolim, in patriam Philippi. Hîc inter mortales ſeminari cœperunt diſcordiæ, inimicitiæ, perfidiæ, periuria, ac proditiones, quibus alter alterum exſtirpabat, diripiebat, atque interimebat: ex quibus item nata ſunt incendia, vaſtationes, bella, cædes, furta; atque id genus multa alia ſcelera tum in publicum prorepſerunt: quod etiamnum hodie multo ſanguine conſtat. Nam Diſcordia omnium malorum mater quieſcere haud voluit; ac multò minùs Germani, quibus fas omne inuiſum, quique id tantum operam dant, vt alter alterum gloriæ ac bonorum gratiâ extingueret: & quod deterius eſt, ſi hoc ceſſauerit, tum in ſe odia conuertunt. Hos eò impulit peſtis illa Diſcordia, vt cum ſummo Imperij detrimento ac probro Imperiale Diadema pretio venale fuerit; quodque anteà ſigillatis tabulis confirmatum erat, in eo nunc iuramentum omne fidemque fregerint. Sed interim tamen fortunauit Deus res Philippi, adeò quòd Imperium per totam vitam ſuam adminiſtrarit. Primùm in Alſatiam profectus, Argentoratum cepit, & Epiſcopum ad deditionem


deditionem coëgit. Intereà temporis Otho omni crudelitate (vir enim erat ferox) Spiras vſque peruenerat; ſed inde à Philippo in Saxoniam retrò fugatus eſt: & ſubſequente iam Philippo in Thuringiam, conuenerant eò Rex Bohemiæ ac Comes Thuringiæ. Sed hi pugnam detrectantes, Philippi Imperio ſe ſubdiderunt, qui ab eo metu excommunicationis defecerant. Poſteà & Colonienſi vrbe obſeſsâ, adegit ad deditionem Epiſcopum; qui & Philippum Aquiſgrani Imperiali Diademate donauit. Non multò pòſt armatus Otho Epiſcopum Colonienſem profligabat. Tum verò Coloniam reuerſus Philippus, aliquot prælia commiſit cum Othone, & victoriam adeptus eſt: ceterùm Otho in Angliam profugit. Tandem vbi iam vidiſſent Principes infirmatas partes Othonis, miſerunt legatos ad Pontificem de concordiâ ineundâ inter Papam & Philippum; prætereà vt & Otho in gratiam reciperetur. Itaque miſſis à Pontifice in Germaniam Legatis, abſolutus eſt ab excommunicatione Philippus; & tranſactio quoque facta eſt, vt Philippi filia Othoni nuberet. Porrò ſancito iam hoc fœdere, egit poſteà Bambergæ Philippus; & die quodam, cùm eſſet ei à medico vena inciſa, & nihil iam mali optimus Princeps ſuſpicaretur, ac ſolus in conclaui non haberet plures ſecum præter Cancellarium & Dapiferum, quidam conclaue ingreſſus, ferro obruit inopinatum, interfecitque.

THO V. post defunctum Philippum Imperij celsitudinem rursum adeptus est anno CHRISTI millesimo ducentesimo nono. Natus hic est, vt paullò antè diximus, ex sanguine VVelphorum, qui Duces olim fuerant Bauariæ, Sueuiæ, & Saxoniæ. Et, vt refert Carion, pater eius Henricus VVelphus postquam à Frederico Barbarossâ pulsus ad Regem Angliæ generum suum profugisset, reuersus factâ transactione Ducatum Brunsuigensem obtinuit. Iam verò Otho hic Romam confestim profectus, Imperiali Diademate à Pontifice Innocentio III. insignitus est. Nec mora, Ecclesiastica bona ad se rapuit, quemadmodum & Philippus fecerat, Ecclesiamque se velle instaurare dicebat. Hinc sibi Ecclesiasticos habuit egregiè iratos. Deinde præter iuramentum, quo de more Sedi Romanæ deuinctus erat, cuncta Pontificiæ ditionis oppida hostili manu capere conatus est: & quamquam sæpiùs à Pontifice iuramenti præstiti indies admoneretur, vti bona Ecclesiæ per vim subtracta restitueret; nihilo certè plus actum fuit, quàm si surdo fabula narrata fuisset. Tum autem à Pontifice anathemate notatus ita induruit, vt itinera cuncta Romana latrocinijs, cædibus, rapinis, alijsque modis ceu Pontificius hostis infestissimus opplerit. Quâ occasione ipsum Pontifex Imperio deiecit; ac præcipuos Imperij Principes, qui Othoni iurauerant, suo iuramento absoluit. Defecerunt itaque ab eo Rex Bohemiæ, Comes Turingiæ, Archiepiscopus Moguntinensis & Treuirensis, Dux Austriæ, atque ex Equestri ordine optimi quique. Quare in Pontificem nimis quàm exardescens, velut ex professo Sacerdotum aduersarius effectus, totam ferè Italiam oppressit, & ad se rapuit. His cùm necdum contentus esset, sed æquè fureret ac sæuiret, Concilium cum Religiosis celebrauit, in quo Cæsarem improbum inualidumque declarauit. Atque ita Otho Imperio deiectus est. Hinc Pontifex Moguntino Episcopo mandauit, vti Othonis deiectionem ab Imperio per vniuersam Germaniam publicaret, ne quis deinceps sub pœnâ vindictæ Diuinæ atque excommunicationis ipsum pro Imperatore coleret, aut obsequium aliquod præstaret, iuramenti absolutionem ijs iniungens, qui ipsi olim iurauerant; concedens item omnibus, qui se illi

opponebant,

CXXXIX.

STREPIT ANSER INTER OLORES.



Cùm præfuiſſet IIII. annis, Imperio detruſus,
à Pontifice anathemate ictus obijt.

opponebant, indulgentiam ac peccatorum omnium remiſſionem. Mandatum hoc Epiſcopus gnauiter exſecutus eſt: ſed hinc grauiter Principes exterriti, ſuſpicabantur facilè bella pro foribus adeſſe. Tum ab Othone ſtabant Henricus Comes Palatinus Rheni, Henricus Dux Brabantiæ, & plerique Principes alij: qui omnes aduerſus Epiſcopum Moguntinum profecti, vniuerſum Epiſcopatum direptionibus, incendio ac ferro deuaſtabant. Quod vbi Otho in Italiâ intellexiſſet; è veſtigio in Germaniam reuerſus, omnia mutata, ac plena triſtitiæ, inobedientiæ, & tumultus offendit. Norinbergam accerſiuit Principes, quos ſibi etiamnum fauere cognouiſſet, obſecrauitque eos vti pro paternâ ſanctione tuendâ fortiter vellent dimicare, ne & Imperium ſimul & Principatus ſuos amittant: nam ſi ad Pontificis ambitionem conniuerent, deiectionemque Imperatorum ita admitterent, fore certò crederent, Principum electionem ſubitò interituram. His Principes aliquot in ſuam pertraxit ſententiam: quorum præſidio profectus eſt in Comitem Turingiæ (qui à Pontifice aduerſus ipſum item ſtabat) cepit oppida caſtraque, quæ cuncta ſolo æquabat. Tum Tribock militari inſtrumento primùm vſi, totam prouinciam miſerè ſunt depopulati in fines vſque Saxoniæ. Hinc Principes fracti iuramenti in Henrico VI. memores, vaſtationem hanc inſtar vindictæ Diuinæ acceperunt, ſimulque Cæſarem elegerunt Fredericum Henrici VI. filium Regem vtriuſque Siciliæ. Intereà Dux Brabantiæ Antiſtitem Eburonum profugauit, Leodium trucidatis incolis cepit; & quidquid erat vel cœnobiorum vel templorum, id omne prorſus diripuit. Vt iam Otho aduentum Frederici II. accepiſſet, expeditionem mox in Sueuiâ parauit; illique obuiàm profectus vt in Imperium ingreſſus auerteret, Briſiacum venit. Verùm ciues tantum concitarunt tumultum, vt vrbe iterùm exactus ſit. Tum quiſque ferè in neceſſitate ab Othone deficiebat, adeò vt in Saxoniam cedere cum exiguâ militum manu pudefactus debuerit. Ad hæc item Pontifex Philippum Francorum Regem aduerſus Othonem pertraxit. Otho autem præſidia nactus erat ex Angliâ, parabatque ſe aduerſus Fredericum: interim cuncta oppida ad Rhenum ſita Fredericus occupabat, ac totum pænè Imperium.

Cùm

Cùm iam Gallorum Rex à Pontifice in Othonem concitatus aciem ſuam in campum eduxiſſet, mox etiam Otho cum ſuis præſidijs aduerſus hoſtes egreſſus eſt, nominatim autem cum Rege Angliæ, Duce Brabantino, ac Ferdinando Comite Flandriæ: pugnâque commiſsâ apud Tornacum acerrimâ, Rex ipſe Gallorum equo deiectus erat: tamen Gallicus iſte exercitus adeò Othonianos comprimebat, vt in fugam acti, turpiter bello deficere debuerint. Quæ res ita Othonem mouit, vt hinc breuì ex merâ animi triſtitiâ obierit. Atque ita quidem hic Cæſarum rebelliſſimus egregias Pontifici rebellionis ſuæ pœnas dedit, vt ceteri cautiores Pontificem Dominum ſuum & colere & obſequi diſcant. Prætereà & diris Pontificijs notatus infeliciter obijt, perpetuò Pontificis iudicio condemnatus. Rex Galliæ, Pontificis nomine, Regem Angliæ Regno exigere conatus eſt; ac duorum conflictuum victor, in eam neceſſitatem coërcuit, vt Regnum ſuum Pontifici, reliquiſque Petri ſucceſſoribus tradiderit; ac deinceps Angliæ Reges illud ipſum Pontifici acceptum tulerint, quotanniſque Sedi Romanæ pendere debuerint auri marcas centum.

REDERICVS II. cum exercitu Rheno Moguntiam deuenit; quò & Electores accersiuit, conueneruntque omnes Episcopi atque vniuersi pænè Germaniæ Principes. Hinc Coloniam ac deinde Aquisgranum profectus est, vbi vnctus Imperiali Diademate insignitus est anno CHRISTI millesimo ducentesimo decimo nono. His rebus ita in Germaniâ gestis Romam petijt, coronamque Imperij ab Honorio III. Pontifice accepit. Priùs tamen sanctissimè polliceri debuit, defensurum se pro virili patrimonium S.Petri, & ab omni hostium impetu vindicaturum, aucturum denique se illud ipsum velut infensissimum Ecclesiæ hostibus aduersarium. Post coronationem verò Cruce signatus, palàm omnibus promisit pugnaturum se, quantum posset, aduersus Ecclesiæ hostes in Asiâ. Iam in Tusciâ Comites duo ex VVelphorum genere orti occuparant vrbes quasdam, quæ ad Imperium pertinebant. Hos aggressus Fredericus profligauit, atque vrbes captas Imperio recuperauit. Expulsi autem Comites ad Pontificem profugerunt, à quo recepti sunt in defensionem; & præcepit Frederico, vt eos in vrbium ablatarum possessionem restitueret. Id verò facere recusantem Cæsarem excommunicauit Pontifex. Fredericus Romam profectus, crudelissimè cum Sacerdotibus egit. Pontifex execrationem aggrauabat, minitans, ni desisteret, abdicaturum se illum Imperio: quod etiam factum est. Quoscumque subditos ab iuramento Cæsari præstito absoluebat. Fredericus è vestigio in Germaniam reuersus, Pontificis iniuriam magnoperè questus est, quasi qui ampliationem Imperij impediret, atque Imperialia iura ad se raperet. Quibus tantum ab Electoribus impetrauit, vt filium suum Henricum Imperij consortem fecerint. Id verò ita gestum est in comitijs Herbipoli habitis. Posteà Henricus VII. Aquisgranum ductus, ab Coloniensi Archiepiscopo Romanorum Rex coronatus est. Proinde in hoc tumultu Romam venit Ioannes Rex Ierosolymitanus (quamquam enim Ierosolyma vrbs iam anteà amissa erat, tamen titulum adhuc & nomen eius Christiani retinebant, sperantes eam se recuperaturos) atque opem à Pontifice petijt, impetrauitque vt absolueretur Fredericus anathemati obnoxius. Quod hac quidem lege

CXL.

COMPLVRIVM THRIORVM EGO STREPITVM AVDIVI.



Sexagenarius fermè & XIX. annorum Imperator, Regno expulſus, poſt multas ærumnas tandem ex filij inſidijs perijt.

lege Pontifici placuit, ſi Crucem accipere, aduerſus Eccleſiæ hoſtes pugnare, atque ipſe cum exercitu in Aſiam proficiſci vellet. Conſenſit itaque Fredericus ad exercitum parandum vltrò, & Rex Ioannes filiam ſuam illi in matrimonium tradidit, vt poſt eius obitum Ieroſolymitani Regis titulum præ ſe ferret: vnde id quoque hodie eſt, quòd Regni Ieroſolymitani titulum vendicant ſibi Siciliæ Reges. Vt autem Fredericus Brunduſij in morbum incidiſſet, ac profectionem paullò diſtuliſſet; minatus ei Pontifex, niſi vt pollicitus erat, pergeret, ſtricturum ſe in illum anathematis ſpiculum denuò. Poſt aliquam dilationem Fredericus tandem traiecit in Aſiam, ſed breuî redijt. Quod vt animaduertit Pontifex, iterùm diris ſuis notauit Cæſarem: ſed his foret abſoluendus, vbi in Aſiam profectus fuerit. Cùm iam Fredericus videret ſe, vellet nollet, proficiſci debere, iterùm anno milleſimo ducenteſimo viceſimo octauo in Aſiam traiecit, & negotium ita confecit, quòd à Turcâ non Ieroſolyma ſolùm, ſed multæ etiam aliæ vrbes vltrò ei ſint redditæ. Quare Fredericus Ieroſolymæ coronatus eſt, ac pacis fœdera cum Turcâ ſanciuit decennij ſpatio. Significauit hæc omnia per epiſtolam Pontifici Gregorio: Honorius quippe obierat. Iam ab excommunicatione ipſum abſoluere noluit Pontifex ob diſſidium VVelphorum. Prætereà & tota Italia iam ei rebellis erat, occuparatque per vim vrbes aliquas in hereditario eius Regno Siciliæ. Itaque hac neceſſitate coactus eſt Fredericus redire in Siciliam, & hereditarium Regnum ſuum ex periculi metu eripere. Nihilominùs tantâ demiſſione abſolutionem poſtulauit, vt promitteret ſe à Pontifice Siciliam Regni feudum accepturum. Ad hæc & Principes Germanos vocabat in Italiam, vt vel per eos controuerſia inter ſe & Pontificem tranſigeretur. Proinde liberauit Gregorius Cæſarem anathematis diris anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo. Ceterùm hoc anno Romæ cuncta infeliciter ſuccedebant: ſiquidem ingens exortus tumultus eſt. Romani Pontificem ferre ampliùs denegabant, Conſuleſque duos creabant, quibus ſolis (vt ante Papatum) fas eſſet cuncta pro arbitrio adminiſtrare; niſi quòd ſumma Imperij auctoritas penes Cæſarem ſtaret, qualem olim habebat Dictator. Multis Sacerdotibus noua hæc

Romæ inſtituitur veterum Magiſtratus Anno 1884. ab Vrb. cõd.

Magiſtratus

Magiſtratus conſtitutio non admodum diſplicuit, hortatique ſunt populum vti à Pontifice deficerent. Itaque profligarunt Pontificem Peruſium; vbi ille egit annis duobus ac menſibus quatuor. Intereà multi in Italiâ ſe Frederico adiungebant. Nam diuiſa tum erat Italia in VVelphos & Gibelinos: de quibus conſule paginas 282. & 284. Pontifex grauiſſimâ neceſſitate compulſus, Crucem & Indulgentias publicauit aduerſus Fredericum, perinde ac manifeſtè impium, & profanatorem Religionis. Tulit id multò ægerrimè Fredericus, obſedit Romam; ſed re infectâ diſceſſit, ac Rauennam Imperialem vrbem cepit. Tanta hîc tamque potens VVelphorum ac Gibelinorum factio exorta eſt, vt Italiæ interitum haud dubiè timerent. Nuſquam in vrbibus tutum erat à factionibus, adeò vt Magiſtratus populuſque inter ſeſe diuiſus eſſet. Clàm multæ variæque fraudes ac calliditates vtrimque ſunt tentatæ; vt quibus alter alterum dolis, cædibus, rapinis, alijſque modis opprimere, exſtirpare, & delere potuit, id actum planè ſit. Duces Pontificij exercitus erant VVelphi duo Comites in Thuſciâ; qui incredibilem vbique crudelitatem perpetrarunt.

VVelphorum ac Gibelinorum origo.

ENRICVS VII. Frederici II. filius, Imperium vi, quoad potuit, in Germaniâ conſeruabat, ne quâ parte deficeret, cùm iam velut ruinam certò minitabatur. Nam & variæ naſcebantur hæreſes ex Pontificiæ dignitatis contemptu: quare ab Epiſcopis hæreticorum inquiſitor conſtitutus eſt Monachus quidam nomine Conradus à Marborch. Hic Erfordiæ quatuor hæreſeos condemnatos igni adiudicauit. Præterea quoſdam hæreticos è latebris in lucem protraxit; quos item combuſſit. Ferunt multos ipſum innoxios è medio ſuſtuliſſe: cùm enim quiſpiam ad illum eſſet delatus, indictâ cauſsâ ſententiam tulit, ac proclamauit: Abripite impium hæreticum, ac comburite. Cùm igitur Comes Senenſis item hæreſeos falsò eſſet accuſatus, Henricus vt Comitem hunc abſolueret, Comitiorum Moguntiæ ab Epiſcopis, Principibus, & Abbatibus multis celebrandorum diem dixit: horum omnium ſententijs Comes vir Chriſtianus ac piè de Religione ſentiens declaratus eſt. Quamobrem Conradus Monachus vniuerſo populo, tam nobilibus quàm plebeis, odio eſſe cœpit; vt qui ſub prætextu hæreſeos complures tam Religioſos quàm profanos contra ius faſque igni adiudicarat & combuſſerat. Nam ſtatim eodem illo die, quo quis erat accuſatus, nulla cadebat appellatio; ſed vix dictâ cauſsâ in ignem conijciebatur: adeò vt viſum ſit, Monachum magis oblectatum fuiſſe in multis condemnatis, quàm in ijs quos innoxios deprehendiſſet. Vt ergo animaduertit rem eam ſibi dedecori fore, Moguntiâ egreſſus, in itinere occiſus eſt. Hac tempeſtate Fredericus Cæſar bella grauia aduerſus VVelphos in Longobardiâ geſſit. Pontifex intereà egit cum Henrico atque alijs Principibus, vti à Frederico deficerent, & ſeſe Longobardis clàm fœdere adſtringerent. Interim quoque Pontifex Romam redijt, miſſiliaque pecuniaria in vulgus proiecit, ac blandis promiſſis quemque ſolatus eſt, exceptis Cæſarianis. Sacerdotes, qui ad Fredericum confugerant, excommunicatione vt hæreticos notauit. Poſteà profectus Pontifex Rearmam eſt, deinde Meſſanam, Spoletum, & tandem Anoginam. Tum Romani confeſtim ſe ad Fredericum Cæſarem reiecerunt. Senatus rurſum edicta ſententiaſque pronuntiabat. Cæſarem in omnibus

ſequebatur,

ſequebatur, tributa vectigaliaque à Romanis iterùm Cæſaris nomine exigebat, recipiebatque. Fredericus Cæſar pacem cum Pontifice libens inijſſet; ſubſecutus ipſum eſt Areaten, ac concordiam vltrò efflagitauit. Tum id Pontifex ijs conditionibus admittebat, ſi promitteret in puniendis Romanis opem ſe adhibiturum, reſtituturumque quidquid ad Eccleſiam pertineret, atque horum obſidem ſi filium ſuum Henricum daret. Præterea præcipiebatur Monteflaſconem ad Pontificium exercitum proficiſci, vt ſuis ac Pontificis militibus Romanos oppugnaret. Rem Fredericus aggreditur, ſigna explicat, euoluit, & in altum aduerſus Romanos leuat: ſed eius milites pugnare contra ſuos, & qui vnà Cæſari iurarant, detrectabant. Tum rectà Fredericus Piſas profectus eſt, & inde in Germaniam, comprehenditque Henricum filium, atque in Siciliam ablegauit. Id verò Principes multi ægerrimè ferebant, qui hinc conſpirationes aliquot fouebant. Etiam Longobardi arma parabant: quare Fredericus cum exercitu aduerſus hos profectus eſt in Italiam; atque hîc multi paſſim exorti ſunt tumultus. Tum Fredericus ad Pontificem ſcripſit, petijtque, vti aduerſus rebellem ſuum filium litteras promulgaret Pontificias, vt cunctæ nationes ab Henrico ad ſe deficerent: quod ita actum eſt. Hinc Henricus perpetuis carceribus mancipatus eſt. Narrant aliqui ipſum iuſſu patris in carcere fuiſſe enecatum. Anno CHRISTI milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſexto, Oratores ſuos ex Italiâ in Germaniam miſit ad Principes Electores; præcepitque vt in defuncti Henrici filij ſui locum Conradum Regem Romanorum crearent: quod illi obtemperantes fecerunt. Fredericus plurimas inſignes pugnas cum Longobardis commiſit, in quibus multa hominum millia ceciderant. Tum Pontificem tædere cœpit, quòd præter æquum Imperator in Italiâ plura quàm vellet exequebatur; adeoque illi ſub pœnâ excommunicationis præcepit, vt à cædibus in poſterum abſtineret. Cùm iam dicto minimè audiebat, Pontifex ac Religioſi omnes conuenerunt, profectique ſunt aduerſus Cæſarem. In obſidione verò Mediolanenſi pugnam confecerunt, in quâ cum ſuis Pontifex victoriam amiſerunt. Hîc fuſi tam Religioſi quàm profani multi ſunt. Venetiarum Ducis filius atque vniuerſus Magiſtratus Mediolanenſis captus, varijs ab eo cruciatibus interemptus

Conradus Romanorum Rex creatur in locum Henrici.

teremptus eſt. Senatui ac Conſulibus magnam argenti vim dedit, vt Pontificem pellerent, veteremque Reipublicæ ſtatum confirmarent. Verùm eius crudelitas, quam modò exercere cœperat, nimis quàm Romanis diſplicebat, inducebantque armis Pontificem Romam. Hîc Fredericum tertiò anathematis ſpiculo ferijt, & hæreticum proſcripſit, atque omnino voluit, vti Electores ad Eccleſiæ defenſionem Cæſarem crearent. Sed haudquaquam intra ſexennij ſpatium conuenire potuerunt: & quamlibet poſt ſexennium Imperatores aliquos elegerunt, minimè tamen coronati fuerunt; quare etiam in catalogo Cæſarum non numerantur. Nec Conradus Frederici filius ad coronationem peruenit. Nam cum patre Romani Imperij hoſtis iudicatus publicatuſque eſt. Iam verò poſtquam Imperio deiectus eſſet Cæſar Fredericus II. mirum quàm infeliciter, quamque malè cum Pontificatu, atque Imperiali ſceptro, actum ſit; adeò vt Imperium vacauerit annos triginta quatuor, vſque ad ætatem Rudolphi II. Vtræque pernicioſiſſimæ partes VVelphorum ac Gibelinorum iterùm conſpirarunt, alter alterum vaſtarunt, ſpoliarunt, & trucidarunt adeò truculenter, vt vel ſaxeum commoueat, animuſque horreſcat meminiſſe. Equidem apud nullos Hiſtoricos iſtiuſmodi tumultum, tam pernicioſum ac diuturnum, inueniri arbitror, quàm hunc, qui annis centum, imò ad noſtram vſque ætatem durauerit. Vrbes, pagi, quin & domus populo diuerſa ſentienti inhabitabantur, vſque adeò, vt quiſque partis ſuæ ſignum geſtauerit. VVelphi alijs vtebantur veſtimentis, alijs loquendi modis, alio colore, quemadmodum apud nos diſcrimen eſt inter Iudæos & Chriſtianos. Pontifex cognoſcebat ſuos, ac ſuos item Fredericus. Vnumquemque facilè nouiſſes ex inceſſu, vultu, voce, ore, ac vitæ moribus. Si qui iam neutrius partis eſſe volebant, hi ab vtrâque parte vexabantur; eorum vrbes, caſtra, ædeſque vaſtabantur, cædebantur, aut in exilium profligabantur, ac quidam oculis priuabantur, alijſque cruciatibus trucidabantur, prout ab his ſibi cauendum putabant. Nec inter vicinos modò ita agitabatur, ſed etiam inter longè diſſitos; adeò ijs nominibus erant faſcinati, vt, ſi in itinere alter alteri obuiàm veniret, velut coacti pugnare debuerint. Tantus denique rogus ex tam modicâ ſcintillâ ſuccreuit, vt in eâ factione multa centena hominum millia interierint.

Vacatio Imperij anno post Vrb. cõd. 1792.

Namque

Namque indies congreſſus plurimi oppreſſioneſque fiebant: proinde vix cuncta de tumultu hoc dici queant. Diabolica enim hæc nomina ex Germanis orta, ac in ciuitate Piſtoriâ primò audita, plus detrimenti Eccleſiæ Dei atque Imperio attulerunt, quàm hæretici, ſchiſmatici, ethnici, ac Turcæ omnes. Cùm iam vniuerſa Italia ad iſtum modum in armis degeret, filiuſque ſe in patrem armaret, nec hoſpes ab hoſpite tutus eſſet; etiam regiones aliæ, vt Gallia, Hiſpania, Germania,&c. factione hac infectæ fuerunt per litteras Pontificis atque Imperatoris; quorum alter in alterius odium eas vbiuis gentium publicabant. Pontifex iniuriam ſuam queſtus eſt Ludouico IX. quem Diuum nominamus, in quadam Epiſtolâ, cuius initium hoc eſt: *Aſcendit de mari beſtia*, &c. Nimirum ratus beſtiam eam eſſe Cæſarem, qui ex Aſiâ per mare in Italiam traiecerat. In eâ, inquam, Epiſtolâ ſcribit, quemadmodum Cæſar, cùm ab eo eſſet excommunicationis notâ abſolutus, perfidus ipſum deſeruiſſet, vbi pugnaturus vnà eſſet Viterbij contra Romanos, qui à Sede Pontificiâ defecerant, regionemque vniuerſam deuaſtabant. Fœdus prætereà ipſum percuſſiſſe cum Eccleſiæ hoſtibus, nominatim Turcis aut Saracenis, cum ijſque patrimonium D Petri debilitaſſe; Eccleſiam hæreſibus deturpaſſe, atque huius Sacerdotes verè Chriſtianos varijs cruciatibus è medio ſuſtuliſſe. Item illum eſſe impiorum aſylum, corruptorem humani generis, perſecutorem æquitatis, fundatorem arcium latronum, contemptorem ſupremæ Maieſtatis, fidei Chriſtianæ aduerſarium, vt qui Crucem aduerſus infideles prædicari prohibuerit, &c. Ac denique ipſum appellat Antichriſti prodromum. Epiſtola verò Cæſaris ita auſpicabatur: *Fredericus II. Dei gratiâ Romanorum Imperator Principibus Germaniæ S. Mirantur plurimi*, &c. Huius Epiſtolæ contextum referre, longum ſanè foret: quare breuiter quædam hinc excerpemus. Mater eius Conſtantia dum in extremis ageret, atque ipſe etiamnum in cunis iaceret, illi defenſionem Eccleſiæ Romanæ commiſit, ne quam iniuriam vtpote pupillus pateretur. Verùm non fuit abſque periculo vitæ, aut detrimento vniuerſi Imperij, eò quòd bona eius hereditaria hinc in diuerſas partes diuiſa diſtractaque fuerint. Deindè Pontifex Innocentius III. illius incommodo Othonem profugum VVelphum ex Angliâ accerſitum

Cæſarem creauit. Prætereà quemadmodum deinceps (vbi Otho Eccleſiæ aduerſarius declarabatur) in multis rurſum vitæ periculis verſatus ſit, & quemadmodum ſe ad Imperium in pueritiâ ab Electoribus ſibi promiſſum, tum cùm nemo ſperabat, reduxerit. Othonem ſuperbum Deus deiecit, humilemque exaltauit. Et poſtquam Imperium Romanum in ordinem certum redegiſſet, coronamque ab Honorio III. Pontifice accepiſſet, Crucem libens aduerſus Turcas ſuſcepit. Porrò cùm vrbes aliquas in Tuſcia à VVelphis Imperio detractas, vti Auguſtum decuit, recuperaſſet, anathemate ipſum Pontifex notauit. Abſolutus itaque cùm in Aſiam proficiſceretur, morbo fuit impeditus, quò minùs eo anno proficiſci potuerit. Sed vbi ſimulatum eum morbum eſſe dictitabant, quaſi proficiſci non libuiſſet, quantumuis mari ſe commiſiſſet, ægritudine redire compulſus eſt. Vt autem iterùm erat excommunicatus, rurſum mare traiecit, Ieroſolymam vrbeſque complures alias cepit, ac cum Turcis decennales inducias confecit. Intereà Gregorius hic Pontifex creatus eſt, qui non modò ipſum anathematis diris liberare recuſauit, ſed & alios dolos abſenti fecit. Etenim contra eum ciuitates Italiæ mouit, atque in eius Regno hereditario aliquot vrbes occupauit. Cùm iam acta Pontificis Romanis atque item multis Cardinalibus ac Sacerdotibus diſplicebant, Populus Romanus Magiſtratum mutauit, Pontificem turpiter exegit, Pontificatum deleuit, atque ipſum vt Principem more veteri inaugurauit. Nihilominùs humiliauit ſe, promiſitque illum ſe in Pontificiam Sedem reſtituturum. Verùm cùm ad hoc milites ſuos imparatos ſenſiſſet, bello diſceſſit. Tum Pontifex publicauit, ſi qui eſſent ex militibus Germanis, qui à Cæſare ad ſuum exercitum deficere vellent, ac ſibi opem ferre, eos præter largum ſtipendium etiam honorificè donaret. Hinc tanta Germanorum militum multitudo ad Pontificem defecit, vt Romani deinceps auſi non fuerint prælium aliquod cum ipſo aggredi, atque iſtiuſmodi ope patrimonium D. Petri recuperauit. Id autem ita fieri permiſit. Porrò vbi perfidos Longobardos, qui à ſe antè defecerant, rurſus ad obſequium cogere tentabat, iterùm Pontifex cum vniuerſis VVelphorum complicibus exercitum ſuum in campum aduerſus illum eduxit: hos ille vt hoſtes infenſiſſimos aggreſſus, bello domuit, &c. Atque hæc

hæc quidem omnia apud Principes queſtus eſt, quòd ob tam multa beneficia ab Eccleſiâ minimè ſit honoratus, ſed potiùs excommunicatus. Hinc igitur Fredericus Paduâ profectus, Venetos (qui cum Pontifice ac VVelphis erant confœderati) terrâ marique aggreſſus eſt, direptionibus, cædibus, incendijs obuium quodque annis propemodum duobus deuaſtauit. Similiter & Pontifex, Veneti, Genuenſes, cetérique VVelphi omnes fecerunt Gibelinis. Florentini, nobiles ſuos qui erant Gibelini, repudiarunt: contrà Aretini ac Senenſes VVelphos expulerunt. Miſerabile hoc exemplum imitatæ ſunt omnes Italiæ vrbes, bellaque ciuilia infinita inter ſe concitarunt. Vnde etiam multæ ciuitates à Pontifice in Vmbriâ atque Hetruriâ defecerunt. Item Romani ipſi defeciſſent, niſi eos Pontifex oratione commouiſſet; quâ ita coniuratorum animos mutauit, vt eos compulerit pro defenſione Eccleſiæ Crucem armaque capeſſere; adeoque Fredericum, qui ceu infeſtiſſimus hoſtis Vrbem obſidebat, vi repulerunt. Quâ re commotus Fredericus, captos omnes miſeris cruciatibus interemit, ac Samium profectus eſt. Ciuitatem Beneuentum ferro deuicit, omnes interfecit, cuncta direptionibus atque incendijs vaſtauit, ac mœnia ſolo adæquauit. Cumque iterùm iratus Romam redijſſet, in Viâ Latinâ cœnobium iſtud Caſſinenſe præclariſſimum ingenti crudelitate deuaſtauit; nec dici poteſt quâ ferocitate in Monachos ſit vſus. Pontifex timere nonnihil cœpit, multas pias expeditiones ſibi propoſuit, atque ipſe in quodam Templi ambitu ſacroſanctas Apoſtolorum reliquias populo oſtentauit; multum diuque pauidus flenſque concionatus, vitam æternam promiſit ijs qui aduerſus impium tyrannum Fredericum Crucem ſuſcipere vellent: ac tantum quidem verbis queruloſis mœſtiſque apud populum egit, vt pro Eccleſiâ arma vniuerſi ceperint. Intereà Fredericus hoſtili expugnatione Romam oppreſſit, portas ac mœnia ariete facilè diſcuſſit, atque vrbem inuaſit. Qui verò Cruce erant ſignati, in acie fortes firmique ſtabant: quod vt vidit Fredericus, ipſe in primam aciem ſe euaginato gladio coniecit, ſuoſque fortiter adhortatus eſt. Hìc miſerabile ſpectaculum exortum: tantum cruoris vtrimque fuſum eſt, vt vix queat explicari. Poſtquam iam Cruce ſignati in fugam diſperſi erant, viuos eos comprehendi iuſſit, vt oculos ſemel tyrannide ſum-

Roma à Frederico II. deuaſtatur anno poſt eam conditam 1994.

mâ paſceret atque expleret ſuos. Hi itaque ad illum producti, probè ante eius oculos Cruce fuerunt notati. Nam Sacerdotibus eâ parte capitis Crucem ferro inſigniuit, quâ tonſuram (vt vocant) habent, Cardinales verò candenti diademate coronauit, ac laicorum denique frontibus Crucem inuſſit. Hanc ille ſæuitiam exercuit diebus tribus continuis. Hæc vbi perfeciſſet, vrbem ſanguine & cadaueribus oppleſſet, eam quoque incendit ac ſolo æquauit. Deinde profectus eſt in Campaniam, ac magis magiſque indies crudelitatem ſuam auxit: plurimùm Turcas ſiue Saracenos adamauit ob eorum ſæuitiam, vt ijs præter ceteros in bello vſus ſit. Nam & Magiſtratum ijs conſtituit & Principem, ac conceſſit ijſdem ciuitatem in Italiâ, quam etiamnunc Nuceriam Saracenorum appellamus. Adeò autem hic pertinax in ſuâ tyrannide induruit, vt fratrem Regis Thuniæ, qui baptiſmum Panormi affectabat, illud ipſum verbis ſit dehortatus. In eo ſæculo ſanè deploratiſſimo Pontifex ſtatuit Salue Regina diebus ſingulis canendum eſſe, atque Horarijs precibus ſuccinendum. Præterea & Crucem aduerſus Fredericum vbique locorum prædicari iuſſit. Intereà etiam Concilium in Lateranenſi Eccleſiâ habuit; vbi de condemnato Frederico actum eſt, opemque Regis Galliæ atque Angliæ implorauit, accerſiuitque Epiſcopos & Abbates in iſtud Concilium. Quod quidem vt intellexit Fredericus, quoſque aditus terrâ marique præcluſit, Piſis Entium filium iuſſit Genuenſium acceſſus diligenter obſeruare. Hi ad Concilium quadraginta triremibus properabant, quos contra Entius profectus eſt. Voluiſſent quidem fugere, ſed eorum Dux ac Tribunus omnino diſſuaſit; turpe inquiens eſſe, fugere à Gibelinis, quadraginta triremibus: ideoque pugnatum eſt vtrimque acerrimè; verùm Entius victoriâ potitus eſt. Hinc multæ naues Epiſcopis, Abbatibus, ac Doctis oppletæ, ſubmerſæ; hinc multi cæſi, hinc multi in Apuliam capti ad Fredericum Cæſarem abducti ſunt. Hîc in carcere multi fame, ſquallore ac ſitu ſunt enecati. Ex quâ re tantus Pontificem inuaſit dolor, vt breuî interierit. Tum ſedes Pontificia menſibus vacauit viginti vno. Nam qui in Eccleſiâ erant præcipui, excuſarunt ſe; donec aduerſus Eccleſiam Fredericus ſæuiret, Pontificem eligendum non eſſe. Quò item illud accedebat, Fredericum extrema minitatum fuiſſe, ſi abſ-

Pontificatus vacat.

que

que eius consensu Pontificem creassent. Proinde dum Pontificatus vacabat, Fredericus intolerabilia planè perpetrauit: quoscumque Ecclesiæ adhærere sciebat, vario cruciatus genere vexauit. Entius filius vniuersam Italiam sanguine purpurauit. Itidem eius fecêre Tribuni in Siciliâ: si quos Sacerdotum fautores deprehendebant, eos vnâ cum Archiepiscopis, Episcopis, Cardinalibus, alijsque Præsulibus passim miserè strangularunt. In Ecclesias vndique irruebant, Sacerdotesque ab aris detractos trucidabant. Infinita templa ac cœnobia incendio funditus absumpserunt; & quidquid prædarum erat compilatum, calices, vasa, cruces, ornamentaque alia, partim argentea, partim aurea, id omne ad Fredericum deferebatur: ex quibus ille nummos percussit, ac militibus pro stipendio distribuit. Intereà Fredericus vi Rauennam cepit, deinde Fauentiam ac Bononiam fame pressit, atque omnia planè deuastauit ad Flaminiam vsque. Tum Mutinam aggressus ac Parmam, vniuersas Romandiolæ ciuitates populatus est. Cùm iam spes nulla in Principe aliquo esset, boni quidquam inter VVelphos ac Gibelinos posse confici; Balduinus Imperator Constantinopolitanus in Italiam venit, & tantum apud Fredericum, qui tum Parmæ agebat, potuit, vt Pontificem creari admiserit. Tum illicò congregatio Anagniæ habita est, consultumque quâ ratione Pontifex esset eligendus. *Pontificatus rursum possidetur.* Auditis igitur suffragijs, creatus est vir quispiam strenuus ac præclarus, natione Genuensis, qui se Innocentium IIII. appellauit. Quæ quidem electio non admodum Frederico placuit, quòd viri huius diligentiam insignem probè cognitam habebat. Nam familiaris alter alteri iam diu fuerat: quare Fredericus verebatur ne huic Pontifici anteactæ vitæ rationem reddere deberet. Ob quam rem cùm eius amici Frederico fausta omnia Pontificis adeoque familiaris sui nomine optarent, respondebat, Illum sibi ex summo amico hostem infensissimum ob Pontificatum fore. Verùm Innocentius habitum induit Pontificium; ac Romam vt venisset, omni honore introductus est. Absolutâ ergo coronatione atque inunctione Pontificiâ, omnem dedit operam Pontifex vt inter se VVelphos ac Gibelinos conciliaret, quò tranquillitatem miseræ Ecclesiæ, cædibusque tandem modum imponerent. Cumque Balduinus etiam hîc operam suam polliceretur, negotium ipsum protractum est

mensfes quatuor; tandemque ſtatutum eſt vti Pontifex in Caſtellanorum ciuitatem proficiſceretur, quò & Fredericus veniret, vt omnem ſemel controuerſiam poſſent deponere. Ceterùm vbi Fredericus dolos ſaltem rimaretur, quibus hunc etiam Pontificem extingueret; res ea Pontifici patefacta eſt, qui Genuenſium nauibus vſus properè in Galliam Lugdunum nauigauit: vbi Concilium conuocauit, vti Fredericum ab Eccleſiâ ceu impium hæreticum reſecarent. Id autem contigit anno CHRISTI milleſimo ducenteſimo quadrageſimo. Pontifex per litteras ac tandem etiam per legatum peculiarem Fredericum ad ſe accerſebat, diraſque vel grauiſſimas adeoque extremas, ni pareret ac veniret, minitabatur. Fredericus illi renuntiabat ſe breuî compariturum. Iam verò cùm ſe itineri adornabat, putabaturque certò profecturus, in itinere Parmam rurſum occupauit: quâ de re ipſi Pontifex ſignificauit vt ſuo oppido cederet. Hinc adeò ſuccenſuit, vt vniuerſam ciuitatem deuaſtarit, VVelphoſque omnes crudeliter extinxerit. Committebat Italicam adminiſtrationem filio ſuo Entio, parabatque ſe cum exercitu ad diſturbandum Lugdunenſe Concilium. In eâ profectione vaſtabat omnes ciuitates ac vicos Pontificis; itaque immaniter vbique locorum egit, vt omnes ipſum fugerint, vicoſque vniuerſos vacuos reliquerint. Fredericus Brixiam profectus eſt: tum Placentini ac VVelphi ſimul concurrerunt, & Gibelinos iterùm Parmâ expulerunt. Quare Fredericus reuerſus, ciuitatem ipſam ſolo æquare ratus eſt; verùm probè ea munita erat. Biennio autem Fredericus illam obſidebat ſexaginta virorum millibus, ciuitatemque in caſtris exſtruxit, quam Victoriam appellauit. Hanc foſsâ ac mœnibus cingi curabat, domoſque in eâ ædificari, & Baſilicam, quam item in eâ fundauit, Victori conſecratam volebat. Iam vbi argenti inopiâ laborabat, è corio iuſſit numiſmatis formam parari cum imagine ſuâ ac inſcriptione vnius floreni; publicauitque in caſtris, ſeu nouâ hac vrbe, vbi primùm argenti copia fieret, ac nummos hos Magiſtro ſuo ærario oſtenderent, ſe id tum quod ex corio eſt, bono ac vero numiſmate commutaturum. Nummus hic dictus eſt Auguſtanus, habebatque in dorſo Aquilam; eo ſatisfactum eſt militibus. Sed poſteà numiſmate illo verum florenum liberaliter commutauit. Eos florenos Victorinos appellauit. Iam nihil Parmæ

Ex corio cuditur nummus.

Parmæ prorſus ſeu foris ſeu intus agebatur, cuncta Victoriæ apud Fredericum in caſtris conficiebantur; itaque negotijs, rebus, opibus, viribuſque aucta eſt, vt vel ab optimis mercatoribus ſit frequentata. Nam cùm res ea in apertum prorupit, rumorque quouis gentium ſeſe extendit, multi venêre ex Aſiâ, Indiâ, Africâ, Ægypto, Libyâ, Mauritaniâ,&c. ignoto habitu, moribus ac nouis mercibus ſuſpiciendi. Item diuerſa animantia in vrbem Victoriam inducta fuerunt, cuiuſmodi Italia, poſt dirutum Romanorum Amphitheatrum, non aſpexit: vt erant elephanti, dromedarij, pantheræ, tigres, pardi, rhinocerotes, leones, leopardi, lynces, vrſi albi, gryphes, ſtruthiones, atque id genus ferarum alia. Entius intereà grauia ſanè bella in Italiâ contra VVelphos mouit. Verùm mox iſtuc Pontificius legatus cum exercitu Eccleſiæ (Hiſtorici autem Milites Eccleſiæ nominant) venit. Hic Entium bello aggreſſus, ipſum cruentâ ſanè victoriâ compeſcuit. Entius captus catenis ferreis in carcerem detruſus eſt; vbi poſt aliquot annos vitam miſerè finijt. In eo autem infortunio Fredericus ſæpè nequidquam prælium aggreſſus eſt. Parmenſes quâ viâ potuit grauiſſimè infeſtauit. Pleroſque ciues captos inſtrumentis quibuſdam in oppidum reiecit. Necdum enim eâ tempeſtate bombardas cognoſcebant; quapropter tormenta bellica habebant mira & infinita.

Hoc tempore ferebantur Principes Germani ex iuſſu Concilij eſſe Herbipoli congregati, vt alium Cæſarem deſignarent, ac Fredericum vnà cum filio ſuo Conrado Imperio pellerent. Ceterùm Principes Imperij nondum inter ſe conueniebant; rem tamen continuò perficiebant, ne mora electionem forſan impediret. Atque ita quidem Henricus tandem, Landtgrauius Turingiæ, Cæſar deſignatus eſt. Id verò actum eſt anno CHRISTI milleſimo ducenteſimo quadrageſimoquarto. Nonnulli Principes, quibus electio hæc minùs placebat, Henricum ridebant, vocabantque ipſum Sacerdotum Regem. Tum Conradus ſeſe parauit, armaque expediuit, ac contra Henricum profectus eſt. Henricus extemplò exercitum conſcripſit, eduxitque in campum. Vtrimque pugnatum eſt grauiſſimè; ſed penes Henricum victoria manſit. Comes Palatinus Otho ad Rhenum Gibelinis adhærebat; occepit Sacerdotes ac Monachos grauiter perſequi;

Henricus VIII. Turingius primus Pſeudoimperator.

perſequi; quare & is à Pontifice excommunicatus eſt. Epiſcopus Argentoratenſis, ex VVelphorum genere, Gibelinorum ciuitates caſtraque in Alſatiâ ad Rhenum incendio vaſtauit atque euertit. Poſteà Henricus ac Conradus apud Francofordiam iterùm pugnarunt; & ſecundò vicit Henricus. Verùm haud multò pòſt vbi Vlmam ciuitatem obſideret, iaculo confoſſus interijt; vt hinc factum ſit, quò minùs ad coronationem peruenerit. Tum Landtgrauius Turingiæ VVilhelmus bellum aduerſus Conradum geſſit. Atqui verò vbi conſiderauit Conradus ſe deſtitutum præſidio Germanorum Principum, atque ab VVilhelmo grauiter oppugnatum, contulit ſe in Italiam ad Fredericum patrem; Electores Principes iuſſu Pontificis alium Cæſarem deſignarent. Tum diu nemo Imperium affectabat: tandem Dux Brabantiæ ſuum ex ſorore nepotem Comitem Hollandiæ VVilhelmum apud Pontificem atque Electores deſignabat, vti ipſum Cæſarem crearent. Id autem contigit anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono. Porrò huius nomine graues tumultus in Imperio exorti ſunt. Erant ſiquidem, quibus VVilhelmum Cæſarem creatum eſſe minimè placuit; quare coronam adeptus non eſt. Verùm ad Rhenum illi maximè paruerunt, & in inferioribus regionibus: in quibus cùm ageret, Moguntinenſes & Colonienſes cum ſuis aſſeclis defenſionem nullam aduerſus hoſtes habuerunt. Quamobrem vrbes præcipuæ, Colonia, Moguntia, Auguſta Treuirorum, Bodobriga, Ficolia, Bingium, Friburgum, Friſzlar, Vlma, Francofordia, atque oppidum Gelhauſen, &c. conuenerunt. Hæ inter ſe confœderatæ ingentem commotionem per vniuerſam Germaniam concitarunt. Nam nec furoris, nec cædium modus aut finis vllus fuit. Germania ferè vt Italia ſanguine fuit purpurata. VVilhelmus graue bellum aduerſus rebelles Friſios mouere debuit, qui inſtar æſtuantis maris furebant. Cùm iam ante exercitum equitaret, viamque in glacie ſcrutaretur, quâ aduerſus hoſtes iret; ipſa glacies confracta eſt, in eam paullatim vt mergeretur: Friſones, qui in loco arundinibus conſito abditi id videbant, accurrerunt, ipſumque pilis, antequam exercitus aduentaret, confoderunt. Fredericus multa indigna immaniaque perpetrauit, atque Eccleſiæ hoſtis permanſit ad finem vſque vitæ ſuæ; ſuſque deque Pontificias diras ferebat, nec niſi deterior

VVilhelmus Hollandus Pſeudo-imperator ſecundus.

deterior ac crudelior inde in Italiâ effectus est. Pugnam ante Parmam haud longè ab vrbe suâ Victoriâ sanè magnam amittebat; perdebatque in fugâ Imperiale suum Diadema, quod equidem ingenti thesauro vix erat comparandum, & iacturam faciebat totius sui propemodum exercitus. Alter eius filius, nomine Iordanus, ante Bononiam in conflictu quodam interijt. Cùm iam Fredericus ex his rebus in phrenitidem incidisset, eius filius Manfridius puluinar patris ori imposuit, vt compresso spiritu animam coactus exhalarit. Actum autem id ita est anno millesimo ducentesimo quinquagesimo. Post eius obitum Conradus filius in hereditarium Regnum suum Neapolis ac Siciliæ se contulit. Anno CHRISTI millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, vbi Imperium hoc desolatum vacabat, nec quis esset, qui illud affectaret, Archiepiscopus Coloniensis in Angliam profectus, hortatus est Richardum Angliæ Regis fratrem ad Imperium suscipiendum. Venit igitur hic, atque à Coloniensi & Moguntinensi Archiepiscopis, & ab Ludouico Comite Palatino ad Rhenum Cæsar designatus est. *Richardus Anglus tertius Pseudoimperator.* Hac tempestate vbi Richardus eligeretur, nec Germani Anglum istum facilè admitterent, Principes quosdam Richardus argenti marcarum octo millibus honorauit, qui ipsum in vrbes Imperiales ad Rhenum vi inducebant, petebant inde Basileam. At verò Basilea vi nullâ subigi potuit, & iam Richardus argenti inopiâ laborare cœperat; quo nomine Principes ab eo desciuerunt, ac velut alienigenam solum deseruerunt. Quod vbi conquerebatur, inquiebat id facilè se potuisse suspicari, non aliâ de caussâ quidquam eos fecisse, quàm propter argentum suum. Tum probè delusus, in Angliam reuersus est; nec eius quisquam ampliùs meminit. Id verò cùm Principes considerabant, nemo erat qui Imperium affectabat: quin si quis illud affectasset, facilè impetrasset. Iam quæso perpende, quónam summa illa Orbis totius dignitas dilapsa sit, quæ tam multo olim sanguine constitit. Multa Imperium oppida amittebat, quæ Principes ad se rapiebant. Cædes ac rapinæ passim exortæ sunt infinitæ: nobiles flagitia indigna sæuitiamque perpetrabant, donec cogente necessitate Principes Cæsarem eligere rursum debuerint. Scribebat item Pontifex, nisi ipsi id facere vellent, se creaturum Cæsarem, qui Ecclesiam ab omni

periculo tueretur. Quamquam enim Fredericus mortuus esſet, VVelphi tamen ac Gibelini nondum ſanguine ſatiari potuerunt. Tum Imperij Principes conuenerunt, vt Cæſarem aliquem deſignarent, ne dilatio Imperij electionem è medio tolleret. Verùm nemo inuentus eſt, qui Cæſar eſſe vellet. Tum ex Hiſpaniâ Cæſarem crearunt Alphonſum Regem Caſtiliæ, legatoſque ad ipſum miſerunt, atque opem conſiliumque vltrò promiſerunt. Sed Alphonſus Imperium Romanum nec recuſauit, nec affectauit; & qui miſſi erant, ingentibus donis honorauit, domumque remiſit, promittens ſe illos cum exercitu ſubſecuturum. Atqui ſuo is Regno contentus fuit: nam inſignis erat Philoſophus atque Aſtronomus: ideoque nec venit, nec in quoquam Imperium curauit; niſi quòd aliquamdiu in honorem eorum qui ipſum crearant, titulo ac nomine Romani Imperatoris in ſuis litteris vſus ſit.

Alphõſus Hiſpanus Pſeudo-imperator quartus.

Vt ergo vix vllus erat Princeps, qui Imperium non aſpernaretur, triſtitiaque magis ac magis in hominum animis indies ſuccreſceret; illuxit velut in tenebris Princeps ille fortiſſimus ac numquam ſatis laudatus RVDOLPHVS Comes Habſpurgius, qui perculſos mortalium animos ſolaretur. Vrbs Baſileâ, quæ Imperio plurimùm reſiſtebat, alijſque ciuitatibus multum detrimenti adferebat, ab ipſo in primis obſeſſa eſt. Tùm ad ipſum ſinguli confugiebant, non aliter atque ad patrem ſuum ſolet filius. Electores confeſtim Francofordiam conuenerunt, ac legitimo ipſum ſuffragio Cæſarem deſignarunt. Ex quâ re non Germania ſolùm, ſed & omnes vniuerſæ Europæ nationes incredibili lætitiâ perfuſæ fuerunt. Hic rumor ſimulatque ad ipſum delatus eſt, vrbis obſidione relictâ Francofordiam maturauit, quò magnâ pompâ atque ingenti triumpho vt Pater Patriæ introductus eſt poſt natum CHRISTVM anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo tertio, ab Vrbe verò conditâ anno MM.XXVI. cùm iam Imperium vacauerat annos triginta quatuor. Hic Cæſar verbis in Aſiam ſe pellici haud paſſus eſt; ſed ſuam Germaniam, quæ iam oppreſſa, vaſtata ac collapſa pæne erat, pacauit, & in priſtinum ſtatum reſtituit; nec eam deſeruit, vt exteris nationibus opem ferret, maluitque Regni ſui bonus appellari adminiſtrator, quàm Auguſtus. Philoſophicum hoc dictum crebrò recitare ſolebat, *Prudentiâ Regnum admini-*

Rudolphus II. Habſpurgius CXLI. Cæſar legitimus.

administrari, tyrannide autem ampliari. Atque huius dicti quoque meminit, *Maioris est artis benè imperare, quàm ampliare.* Item & huius, *Bonus pastor suis ouibus adhærebit, eas pascet, nec quæret alias vt eas deserat; itaq; nec has nec illas pascat.* Et, *Honestius esse vitam vnius ciuis conseruare, quàm mille fundere hostes.* Nec in Italiam profectus est, vt Imperialem coronam peteret: solitusque est semper Æsopi fabulam recitare de vulpe, quæ leoni in speluncâ ægrotanti dixerat, ideò se terreri ab ingressu, quòd vestigia omnia ingredientium, non egredientium essent animalium. Ad eumdem modum & se considerare, maiores suos ingressos quidem sæpè magnis copijs Italiam, sed malè tractatos domum plerumque redijsse. Quòd autem à Pontifice sit confirmatus, hi veteres versiculi satis testantur:

Bis sexcenti septuaginta tresq; stetêre
Anni, Lusanæ dum Rex & Papa fuêre.

Quemadmodum verò Cæsar hic ingenij sui acumine, animique virtute ac fortitudine, collapsum Imperium Romanum restituerit, & quâ id viâ perfecerit, sequetur modò.

RVDOLPHVS II. Comes Habſpurgius, Landtgrauius Alſatiæ, & Dominus Argentoratenſis, Francofordiâ profectus eſt Aquiſgranum; vbi inunctus, Diademate ferreo coronatus eſt. Atque eo quidem contentus, in Italiam minimè profectus eſt, nec aliquam ſanè ambiuit pompam, vt Patriæ ac collapſæ pænè Reipub. conſuleret. Principes Germaniæ omnes ipſum inaugurarunt, ac poſſeſſionum ſuarum Feudum ab eo libenter acceperunt; nec minùs gnauiter aduerſus Imperij hoſtes illi ſe ſubſidio præbuerunt. Nam Imperium hactenus deſertum, dum vacabat, miris modis ruptum laniatumque fuit. Comites ac Nobiles Cæſarem ampliùs ferre deſueti, ipſi ſuarum poſſeſſionum Domini & dici & eſſe malebant: quæ quidem res Cæſari negotium conficiebat grauiſſimum. Quindecim Comites in Sueuiâ aduerſus Cæſarem conſpirarunt, vt ſi ablatas Imperio vrbes reſtituere conaretur, ipſi tum inter ſe confœderati Cæſarem obtruncarent. Multis item Principibus non placuit, qui rurſum abſque Cæſare eſſe maluiſſent. Iam vndique ita ſtrenuè ſe Rudolphus defendit, vt ingenti victoriâ potitus ſit. Per hunc enim Deus collapſam Germaniam reſtituere voluit. Coëgit itaque Comites hos, abſtulitque ab ijs quidquid per vim triginta quatuor annorum ſpatio Imperio detractum fuerat. Imperabat adeò ſtrenuè, adeò potenter, & diligenter, vt vniuerſæ Germaniæ terrori eſſet. Primò Comitis Badenſis ditionem ſibi ſubiecit. Deinde aduerſus Othacarum Bohemiæ Regem profectus eſt; qui cum Bauariæ Duce non ſolùm parere recuſabat, ſed & vacuam heredibus Auſtriam (quæ Imperio nunc ceſſerat) occupabat. Bauaria citò ſubiugata eſt: verùm Bohemiæ Rex parabat ſe ad reſiſtendum. Quamobrem in Auſtriam armatas copias duxit Rudolphus, eamque vi occupauit: obſidione cinxit Viennam vrbem, & ingenti prælio pugnatum eſt apud Nidersbrugum; in quo ceciderunt Bohemorum quatuordecim millia, atque ipſe Othacarus Rex ferro confoſſus eſt. Atque ita demum redacta Auſtria eſt ſub ditionem Rudolphi; & in eâ Ducem conſtituit Albertum filium ſuum, à quo iam inde originem ducunt Auſtriaci Principes omnes, quemadmodum in ſequenti Genealogiâ oſtenſum eſt. Rudolphus ſummâ clementiâ & humanitate vſus eſt erga VVenceſlaum Othacari filium: reliquit enim illi Bohemiæ Regnum,

CXLI.

PRVDENTIA GVBERNANTVR REGIONES, QVARVM LIMITES TYRANNIDE NONNVMQVAM EXTENDVNTVR.



Imperium quaſi obliteratum integritati reſtituit, eiq́ue præfuit XIX. annis.

gnum, & filiam ei ſuam in matrimonium dedit. Poſteà à latrocinijs Germaniam ſedulò purgauit; nullus latronibus locus relictus fuit. Circiter ſexaginta prædonum arces in Turingiâ ſolo æquauit, & rebelles quaſcumque vrbes paſſim diripuit. Toto Imperij ſui tempore bellauit, ac crebriùs ſub dio in campis quàm in oppidis pernoctauit: ratio autem cur id fecerit, ſuprà ſatis enarratum eſt. Sed vt aliorum bella patriæ erant pernicioſa, ſic huius cuncta è re publicâ finiebantur. Ita perpetuò in caſtris ſe continebat, vt & ſuæ & aliorum militum veſtes ſæpè corpori defecerint. Detritum nonnumquam induit thoracem, ſeque ita militibus crebrò oſtentabat, ne nuditatis ſuæ illos puderet. Viſus etiam eſt in caſtris interdum veſtes ſuas reſarcire ac reparare, vti alijs exemplo eſſet, ac doceret, neceſſitatem omnem excludere pudorem. Atque eò res breuî deducta eſt, vt milites inediæ ac laboris cum Cæſare patientes eſſe cœperint, donec turbatum & plenum ſeditionibus ſtatum Germaniæ ſub pacis leges iterùm redegiſſet. Ex hiſce detritis veſtibus in conſuetudinem venit, milites non niſi diſſectas ac verſicolores geſtare veſtes. Neque enim alter alterum pudefacere, ſi veſtes integras atque vnicolores induiſſet, volebat. Item tempore quodam in obſidione, cùm penuriâ cibi milites laborabant, Rudolphus in agrum rapis conſitum ſe publicè contulit; & quibuſdam extractis, eas comedit. Quod vt alij vidiſſent, Cæſarem illo ſe cibo reficere, & ipſi latrantem ſtomachum rapis placarunt. Anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo quinto, conuocauit Rudolphus omnes Germaniæ Principes Argentoratum; ibique publica Comitia habita ſunt: quo tempore inſigne iſtic prodigium viſum eſt: nam à nautis reti leo captus, quem Pontifici Martino IIII. donauit Rudolphus, quique rugire ac miſerè lacrymari non ceſſabat; ex quo nonnulli abuſus in Imperio tollendos colligebant. His temporibus Pontifex Legatum Româ in Germaniam miſit, qui ad concordiam Eccleſiæ Herbipoli Concilium habuit, præſentibus Rudolpho, Epiſcopis, Abbatibus, Præſulibus, ac laicis Principibus vniuerſis. Rudolphus vnicuique Principi præcepit, vti in ciuitate quiſque ſuâ Præſides ſtatueret, qui in omnem factionem ac tumultum diligenter animaduerterent, ne quis motus in Imperio alicui deintegro exoriretur. Intereà verò Pſeudo-

Pſeudofredericus II. Cæſar quiſpiam exortus eſt, qui dictitabat ob aduerſam fortunam ideò populo ſe ſuo ſubtraxiſſe, vt aliquantò tranquillior viueret, mortuumque pro ſe alium ſuffeciſſe, quem ſepeliuiſſent; addens paucos conſilij ſui conſcios fuiſſe, ſeque iam triginta quinque annis ceu peregrinum terrâ marique erraſſe, ſed nunc voluiſſe in patriam repedare. Tot ſecreta Imperij negotia declarabat, & multa adferebat, vt multi ei fidem adhibuerint, ac præcipuè quidem Turingiæ Landtgrauius. Quæ verò hinc dementia, & quod malum ſubſecutum ſit, modò dicemus. *Pſeudofrederi-cus II. prodit.*

FREDERICVS, de quo mihi hîc dicendum reſtat, à quibuſdam *Holſtuch*, ab alijs verò *Tile Kolup* appellatus eſt. Inſignis hic nebulo atque impoſtor fuit. Agebat autem in oppidulo VVetzflaer. Vulgus, quod animal eſt multis capitibus horrendum, quodque nouarum rerum & ſtudioſum & cupidum eſt, nihil non comprobabat, ſuſque deque ferebat, quem Principem aut Imperij adminiſtratorem haberet. Dum iam verſutus ille impoſtor negotium egregiè ſuccedere ſuum animaduertit, rem eò deducit, vt multi Principes oppidaque ad ſe defecerint, inauguratuſque ab ijs ſit verus Imperator. Rumor enim erat, virum hunc & fortem & audacem eſſe, ac omnino talem, ſub cuius alis ſe tutos fore ſperabant. Fama hæc ad Rudolphum deuenit, qui ſuâ id magnanimitate velut rem friuolam ac ridiculam contemnebat. Quare eò omne ſuum negotium nebulo iſte apud varium & inconſtans vulgus breuî deduxit, vt incertum propè fuerit, vtrum quiſque Cæſarem agnoſceret, húncne impoſtorem, an Rudolphum ſuffragijs legitimè electum. Fuêre, qui & Rudolphum ceu illegitimum Imperatorem aſpernabantur. Reperio Epiſcopum quemdam ex Bohemiâ etiam in pleno Concilio (cùm dicendi veniam poſtulaſſet, impetraſſetque) dixiſſe palàm omnibus Latinè, electionem Rudolphi illegitimam eſſe, vt qui excommunicatus ab excommunicatis electus eſſet, ideoque illi obſequium minimè præſtandum; addens & multa alia conuitia, idque Latinè. Cui tandem Rudolphus ita reſpondebat: Si quid, Epiſcope, tibi tractandum ſit cum Epiſcopis ac Religioſis, tum linguâ vtere Latinâ, ſed nobiſcum age Germanicè. Neque fucatis iſtis verbis tuis Pontificem in nos concitabis. Ex his facilè Principes (quorum plerique rudes ac Latinæ linguæ ignari erant) intelligebant Epiſcopum Cæſaris electionem dubiam & incertam æſtimaſſe, vixque manus abſtinebant, quin in os illi inuolaſſent. Epiſcopus admiſſæ loquendi veniæ eos admonebat: nam facultatem dicendi anteà conceſſerant. Veritus tamen eſt iſtic diutiùs hærere, ac cum dedecore diſceſſit. Cùm iam Rudolphus animaduerteret rem ſeriò agi, vnumquemque ab ſe deficere, iurare alteri inaugurareque indies magis ac magis, profectus eſt aduerſus Pſeudofredericum VVetzflaer. Litteras enim acceperat, niſi maturaret, fore vt tota breuî Germania ad impoſtorem illum eſſet defectura. Pſeudofredericus hic etiam Rudolpho ſignificabat, vti ad ſe veniret,

niret, feudumque ſuarum poſſeſſionum acceptaret. Vt verò iam Rudolphus obſidione oppidulum VVetzflaer cinxiſſet, Principes, qui defecerant, eius gratiam implorabant, tradebantque ei Pſeudofredericum in manus. Tum Rudolphus tormentis ac quæſtionibus verum ex eo extorſit exſculpſitque, ac faſſus eſt aliquando ſe in aulâ Frederici II. inſeruijſſe, atque inde ſecreta illa didiciſſe. Tandem iuſſu Rudolphi Pſeudofredericus cum duobus ſuis ſocijs in cinerem combuſti ſunt. Et quoniam Colmaria vrbs impoſtorem hunc Cæſarem inaugurаſſet, ab Rudolpho obſeſſa eſt. Verùm Cæſaris gratiam redemerunt marcarum auri quatuor millibus. Non deprehendo alios prætereà defectionis & perfidiæ ſuæ pœnas dediſſe. Illo autem anno, quo Herbipoli magnâ cum ſolemnitate Concilium celebrabatur, Hertmannus Cæſaris filius Rhenum traijcere volens cum ſuis ſubmerſus eſt. Huic nupta erat Anglorum Regis filia. Cùm iam Rudolphum vt Principem prudentem minimè latebat, quàm infeliciter cum maioribus ſuis in Italiâ actum fuiſſet, quàm potuit ſtudioſiſſimè ſibi cauit, ne quo modo in Pontificis indignationem incurreret; reſtituitque Eccleſiæ Romandiolam ac Rauennenſem Exarchatum. Quâ re motus Pontifex, illi reddidit Hetruriæ Regnum, quod Imperio per VVelphos detractum fuerat. Tum Vicarium ſuum in Italiam miſit Rudolphus, vt Hetruriam adminiſtraret. Ceterùm VVelphi fœdus renouantes, Vicarium Cæſaris recipere haudquaquam voluerunt. Adeò vexabant Florentinos & Lucenſes, atque ita pariter reſiſtebant, vt Vicarius redire in Germaniam debuerit. Nam VVelphorum factio erat magna, qui Cæſarianos Gibelinos venire haud permittebant. Iam ex Hiſtorijs facilè Rudolphus ſciebat, in Italiâ plus detrimenti, quàm emolumenti, maiores ſuos pugnando accepiſſe: quare decreuit apud Germanos ſuos permanere, eoſque tueri, ac velut Pater Patriæ ab omni iniuriâ defendere. Reperio hac tempeſtate ita Rempublicam Germanorum floruiſſe, vt tritici heminam viginti duobus Argentoratenſium denarijs comparauerint, ſiliginis verò denarijs ſexdecim; item oua quatuordecim denario vno, gallinam duobus, haleces octo vno, &c. Anno CHRISTI milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſecundo, profectionem parabat Rudolphus Francofordiam, vti Imperium auctoritate Electorum filio ſuo Alberto Duci Auſtriæ traderet. Verùm morbo correptus, Argentoratum ex itinere reuerſus eſt; Magiſtratui ciuibuſque valedixit: atque inde Spiram ad ſepulchrum ſuum profectus, obijt vnicum virtutis ſpeculum, æquitatis paciſque amator conſtantiſſimus, qui in conſilijs ac rebus aggrediendis ſuſpiciendus, in verbis verus, & in iudicijs æquus fuit. Ab hoc RVDOLPHO (qui ex progenie Regum Galliæ prognatus erat) Duces Auſtriæ originem huc vſque ad laudatiſſimum Cæſarem CAROLVM V. ac FERDINANDVM Regem Romanorum eius fratrem, & horum filios PHILIPPVM Hiſpaniæ, Angliæ, Galliæ, & Neapolis, &c. Regem, ac MAXIMILIANVM Regem Bohemiæ ducunt; quemadmodum in hac Genealogiâ videre licet.

GENEA-

GENEALOGIA SEV PROGENIES PRINCIPVM AVSTRIÆ

Generis RVDOLPHI II. *Cæsaris, Comitis Habspurgij, in nostram vsque ætatem, anno* M. D. LVII.

- Rudolphus Cæsar, Comes Habs.
  - Hartmannus Rheno submersus est.
  - Albertus Cæs. Dux Austriæ.
    - Fridericus III. cognomento Pulcher Ro.R.
      - Fridericus ex Iacobi Regis Aragoniæ filiâ prognatus.
    - Henricus Dux Austriæ.
    - Albertus Sapiens Dux Austriæ.
      - Albertus Archidux Austriæ.
        - Albertus Archidux Austriæ.
          - Albertus II. Cæsar, Rex Hungariæ & Bohem.
            - Laszle Rex Hungariæ & Bohem.
            - Georgius.
      - Fridericus Archidux Austriæ.
      - Leopoldus.
        - Guihelmus Archidux Aust.
        - Ernestus Archidux Austriæ.
          - Ernestus.
          - Leopoldus.
          - Rudolphus.
          - Fridericus IIII. Cæsar Archidux Austriæ.
            - Christoph.
            - Maximilianus Cæs. Archidux Austriæ.
              - Philippus Hispaniæ Rex, Archidux Austriæ.
                - Carolus V. Cæsar, Hispaniæ Rex, Archidux Austriæ.
                  - Philippus Hisp. &c. Rex.
                    - Carolus. Pr. Hisp.
                  - Maximilianus puer moritur.
                - Ferdinandus Romanorum Rex, item Hungariæ & Bohēmiæ, Archidux Austriæ.
                  - Maximilianus Rex Bohemiæ.
                    - Maximilianus.
                  - Ferdinād.
                  - Carolus.
              - Franciscus admodum puer moritur.
            - Ioannes.
          - Albertus.
        - Leopoldus cognomento Superb.
        - Fridericus cognomento Vetus Archidux Austriæ, Comes Tirol.
          - VVolffgāgus, pater pauperum & pupillorum.
          - Sigismundus.
      - Rudolph. Archidux Austriæ, Co.Tirol.
    - Leopoldus Dux Sueuiæ.
    - Rudolph. Rex Bohem.
    - Otho Dux Austriæ.
      - Fridericus Dux Austriæ.
      - Leopoldus Dux Austriæ.
  - Carolus. Rudolphus Dux Sueuiæ.
    - Ioannes.

DOLPHVS Comes à Nassou post obitum Rudolphi Francofordiæ ab Electoribus Cæsar creatus est, anno CHRISTI millesimo ducentesimo nonagesimo secundo. Huic se opposuit Albertus Dux Austriæ filius Rudolphi: qui asserebat, Imperium debere ad demortui Cæsaris genus proximum deuolui, præsertim si probus quispiam nec inidoneus etiamnum superesset, quemadmodum patet in Caroli Magni, & Othonis, &c. genere. Electores contrà aiebant, Cæsarem posse ex alio genere creari maximè, ne si alterum in consuetudinem veniret, Imperium foret hereditarium. Adolphus autem hic vix memorabile aliquid in historijs fecisse legitur. Inuenio eum ab Rege Angliæ accepisse centena argenti marcarum millia, ac promisisse se illi aduersus Regem Galliæ præsidio fore cum vniuersâ Imperij facultate. Atqui eam ob rem ingens nata est controuersia inter Adolphum & Albertum Ducem Austriæ. Albertus enim dicebat hinc Germaniæ probitatem maximo affectam dedecore. Adolphus opponebat se Alberto grauiter, atque id maximopere studuit, vt Albertum ex possessione suâ pelleret. Præterea & insignes tyrannos Alsatiæ præsides statuebat, quæ ad Alberti dominium pertinebat. Hi enim Prouinciam eam nimis quàm deuastabant, dilaniabant atque aggrauabant. Tum Argentoratenses, cum optimis quibusque Principibus, aduersus Adolphum coniurarunt, ob tyrannidem ac sæuitiam quam in suos exercebat. In hac rerum perturbatione Electores accerserunt Albertum: qui vt Moguntiam venit, legitimo suffragio Cæsar designatus est; & Adolphus Imperio motus, velut patriæ dissipator reiectus est. Id verò ita gestum est anno millesimo ducentesimo nonagesimo octauo. Proinde Adolphus cùm Regis Angliæ argentum etiamnum haberet, Imperium vi retinere cogitabat, ideoque armatis copijs contra Albertum profectus est. Electores alijque Germaniæ Principes omnes Alberto opem ac præsidia præstabant. Tum Albertus Moguntiâ cum suo exercitu profectus est, & infestis vtrimque signis pugnatum est prope VVormatiam acerrimè; in quo conflictu multi ab vtrâque parte interierunt. Adolphus ipse manu suâ fortiter pugnauit: & quamquam ad Adolphum victoria declinare videbatur, eius tamen milites fugam ceperunt; adeò vt in eâ ipse confossus, ac filius eius captus sit. In eâ pugnâ plusquam sexaginta Duces, Comites, atque alij ceciderunt. Post hæc verò mox Albertus Legatos suos Romam ad Pontificem Bonifacium misit, significans ei voluntatem atque electionem in se Principum Electorum, petens ab eodem insuper pro more confirmari. Tum indignabundus Pontifex electionem planè reiecit, factam eam esse inquiens absque suo consensu, ideoque ratam minimè habendam, cùm vtriusque gladij potestas penes ipsum esset. Quod vbi Alberto erat nuntiatum, plurimùm sanè fuit sollicitus; ac ne diceretur vi Imperium possidere, electionem integram Electoribus restituit. Hi alium eligere noluerunt: erat enim ob singularem probitatem atque humanitatem cunctis Principibus admodum gratus. quare iterùm anno perpetuo Imperium vacabat. Anno millesimo tricentesimo, cùm Iubileus annus Romæ celebrabatur, atque huc ingens hominum multitudo confluxerat, primo die Pontifex habitu Pontificio in publicum processit, populumque benedictione consecrauit. Postero autem die populum, veste indutus Imperatoriâ, ac Diademate redimitus Imperiali, antegressus est, iussitque ante se nudum portari gladium. Atque in suo throno residens, magnâ voce exclamauit: *Ecce duo gladij hîc.* Id autem contigit anno post Vrbem conditam bis millesimo quinquagesimo quarto. Proinde anno sequenti Electorum designationem, ac Cæsarem Albertum confirmauit his legibus, vti Philippum Regem Galliæ pelleret, atque ipse Gallici Regni titulum vsurparet. Ad hæc Pontifex Galliæ Regem excommunicauit; cuius rei caussâ hæc erat: Honor censusque Pontificis annuus in Galliâ diminuebantur; ex quâ re multa grauiaque bella in Italiâ exoriebantur. Verùm inter Cæsarem & Regem Galliæ omnis facilè controuersia in nuptijs consopita est. Nam Philippus filiam suam in matrimonium dedit; ac nuptiæ celebratæ sunt honorificè Parisijs.

CXLII.

PRÆSTAT VIR SINE PECVNIA, QVAM PECVNIA SINE VIRO.



Poſtquam Imperium VI. annis malè adminiſtraſſet; dominio deiectus, in ciuili bello occiſus eſt.

LBERTVS Dux Auſtriæ filius Rudolphi II. Cæſaris, Imperator deſignatus eſt anno, vt ſuprà diximus, poſt natum CHRISTVM milleſimo ducenteſimo nonageſimo octauo: & à Pontifice confirmatus eſt anno milleſimo tricenteſimo primo. Aquiſgrani vnctus coronatuſque eſt. Dietherus à Naſſou frater Adolphi Cæſaris neque electus erat, neque poſtulatus, ſed in odium Alberti à Pontifice Archiepiſcopus Treuirenſis conſtitutus. Huic ſe adiungebat Henricus Archiepiſcopus Colonienſis, qui ad bellum potiùs, quàm ad pacem natus videbatur, itemque & Gerardus Archiepiſcopus Moguntinenſis, Rudolphus Comes Palatinus ad Rhenum, ac denique Dux Bauariæ, qui omnes cum Diethero aduerſus Cæſarem conſpirabant. Ex quâ quidem occaſione ingens Chriſtiani ſanguinis profuſio ac clades ſubſecuta eſt. Cæſar hac coniuratione plurimùm ſollicitus, improuisò cum ingenti hominum multitudine primùm in Comitis Palatini poſſeſſiones profectus eſt, quas miſerè depopulatas ſibi ſubiecit. Hinc Moguntinenſem Epiſcopum petijt, ac præter ceteras clades oppidum Bingium obſedit, idque hoſtiliter cepit. Vbi iam Epiſcopus Moguntinus animaduerteret ſe haudquaquam poſſe reſiſtere Cæſari, gratiam precatus impetrauit. Interim tamen Cæſari debuit polliceri, traditurum ſe illi oppida caſtraque hæc, Lonſteyn, Bingium, Klopp, Erenfels, & Scherpenſteyn, cum quibuſdam conditionibus alijs. Deinde aduerſus Epiſcopum Treuirenſem & Colonienſem Cæſar profectus eſt, atque vtrumque ſibi multo ſanguine ſubiugem reddidit, vt cum ſuo magno incommodo Cæſaris gratiam flagitarint. Ceterùm Treuirenſis Epiſcopus dum vixit, Cæſaris aduerſarius permanſit: verùm imbecillior erat, quàm vt potuiſſet quidpiam in illum moliri; quare & ab omnibus Germaniæ Principibus odio habitus eſt. Albertus graues expeditiones in rebelles Bohemos mouit: tandem eos Imperio ſubiecit, atque eorum Reginam filio ſuo in matrimonium dedit: quâ occaſione factus eſt Bohemiæ Rex, ac ſine herede aliquo obijt. Anno CHRISTI milleſimo tricenteſimo ſexto, Iudæi omnes è Galliâ pulſi ſunt. Herbipoli, Norim-

CXLIII.

ELIGENDA EST OPTIMÆ VITÆ RATIO: HANC CONSVETVDO SVAVISSIMAM REDDET.



Imperij faſces cùm X. annis feliciter tenuiſſet, ſceleratâ manu miſerè interfectus eſt.

Norimbergæ, ac Rottenburgi Cæſar multa Iudæorum millia ob ſua indigna flagitia comburi iuſſit. Hæc item tempeſtate adeò ſeuerè luxuria punita eſt, vt his, qui in adulterio erant deprehenſi, pudenda ſint amputata; itaque grauiter caſtrati, vt inde vitâ deceſſerint. Rudolphus Dux Sueuiæ, Alberti Cæſaris frater, præmaturâ morte obijt, atque vnicum reliquit filium nomine Ioannem. Hic nutriebatur in aulâ Imperatoris, namque eius patruus erat ac tutor, poſſeſſioneſque eius paternas adminiſtrabat. Cùm adoleſcens hic decimum tertium eſſet ingreſſus annum, à conſiliarijs ſuis & Principibus inſtigatus eſt vt hereditatem paternam à Cæſare flagitaret, vt eam ipſe poſſideret. Quod quidem factum eſt; ſed ei Imperator reſpondebat: *Tuq; & bona tua, poſſeßiones & ſubditi tui meæ fidei commißi ſunt; atque vbi tempus poſtulabit, iſtorum omnium exactam rationem reddemus.* Id verò adoleſcenti minimè placuit. Et cùm aliàs Cæſari adequitabat, rurſum poſſeſſiones ſuas atque hereditatem poſtulabat. Tum Cæſar cuidam ex miniſtris ſuis præcepit, ſertum viridi fronde pararet, quod Duci adoleſcenti Ioanni impoſuit, inquiens: *In hoc te ſerto adhuc fili oblectabis, verùm terras populoſq; adminiſtrare etiam ſuo tempore tibi concedetur.* Id autem adoleſcens in contumeliam ſibi factum ratus, ſertum dentibus mandit atque in fruſta corroſit; queſtuſque grauiter eſt apud ſuos inſtigatores, qui eam contumeliam aut vindicaturos ſe, aut interituros iurabant. Cùm iam manè quodam Cæſar ex Baden Reynueldium iter adornaret, cum eo vnà profectus eſt Ioannes: cumque Vindoniſſæ flumen Ruſz traijcerent, primò nauim ingreſſus Cæſar eſt; hunc ſubſecutus deinde Ioannes cum ſuis inſtigatoribus, atque ita ante alios traiecerunt. Iam verò cùm è naui aſcendiſſent, & ad Rhenum aduerſo amne equitarent cum exiguâ equorum copiâ (ceteri enim ab aliâ parte fluminis etiamnum redeuntem nauim exſpectabant) nec quid mali Cæſar ſuſpicaretur, primùm Ioannes equo deſilijt, ac prehenſo Cæſariani equi freno, *Iam experiar*, inquit, *num hereditate tandem paternâ fruar? iam vlciſcar contumeliam olim mihi factam.* His verbis alij, nominatim autem Vlricus à Blam ac Rudolphus à VVart ſuos
eduxêre

eduxêre enſes : alter Cæſarem confodit, caputque ferro ſecat alter; adeò vt equo decidens, in ſinu cuiuſdam meretricis, quæ aulam ſequebatur, eo in loco vbi poſteà altare ſummum monaſterij Conincfeldij exſtructum eſt, exſpirarit : quâ de cauſsâ cœnobium iſtud ita eſt appellatum. Cæſariani ab alterâ parte fluminis indignam hanc cædem, parricidiumque intelligentes, properè cum Leopoldo Cæſaris filio Baden reuerſi ſunt, ne quid etiam hic mali pateretur. Cæſaris corpus Spiras vectum, in Imperialibus ſepulturis conditum eſt. Ioannes Abſolutione Pontificis in Auguſtini Ordinis cœnobio in Italiâ vitam deinceps tranſegit ſuam. Alberti Cæſaris liberi poſſeſſiones eius occupabant : percuſſores verò grauibus bellis poſſeſſionibus ſuis pulſi, tandem etiam ſunt interempti.


ENRICVS VII. Comes Lucemburgensis, Princeps ob sapientiam cum summâ grauitate coniunctam clarissimus, post Alberti obitum legitimo Electorum suffragio Cæsar designatus est, anno CHRISTI millesimo tricentesimo octauo. Hic ad se accersiuit Leopoldum Ducem Sueuiæ, ac Cæsaris Alberti filium, & Rudolphum Comitem Palatinum, cum multis Principibus alijs, seque ingenti cum exercitu parauit, vt in Italiam proficisceretur, ac Diademate Imperiali insigniretur. Cùm verò ex Alpibus Italiam primò aspiciebat, sublatis in cælum manibus gemebundus Deum precatus est, vt ne sibi perniciosissimæ illæ Italicæ factiones VVelphorum ac Gibelinorum perinde exitio futuræ essent, atque olim suis fuêre maioribus. Sed in id quod veritus erat, incidit: nam seditionibus plena erant omnia. Porrò duæ illæ partes nomina mutarant sua: appellabantur enim modò Columnenses atque Vrsini. Columnenses etiam nunc hodie pro Cæsare sentiunt, Vrsini autem pro Pontifice. In itinere multas ciuitates, quæ ei resistebant, ferro flammâque domuit. Vt iam ab vrbe Româ haud longè abesset, Romani ipsi obuiàm armis expediti ad pontem Miluium processerunt. Pons hic supra Tiberim proiectus erat, modò autem defractus est, vt nisi fragmenta quædam supersint. Hîc in conflictu quodam multos fudit Romanos. Rex Neapolitanus ab Romanis stabat. Post illum conflictum, Henricus cum suis vi Romam ingressus est; vbi à Cardinalibus ad hoc à Pontifice selectis, Diademate est insignitus. Nam eâ tempestate Pontifices, ob factiones perturbationesque pænè infinitas, Pontificiam Sedem ab vrbe Româ Auinionem Galliæ oppidum transtulerant. Intereà dum biennio in Italiâ agebat, ipsius exercitus alter in Germaniâ relictus aduersus rebellem Comitem VVirtenbergensem eductus est, cui multa castra oppidaque detraxerunt. Henricus hic vir sanè erat iustus, gratusque omnibus, Christianæ fidei defensor insignis, consilijs prouidus, animo hilaris, ac proborum Sacerdotum tutor optimus. Nullas hic amabat factiones aut coniurationes; sed modis omnibus id operam dedit, quò Columnensium atque Vrsinorum factionem tolleret ac pacaret, vt Ecclesia semel ad concordiam redire posset: quod re ipsâ tandem effecit, quamlibet non diu admodum durauerit; quod herclè dolendum est maximè. Post hanc conciliatam pacem duo edicta promulgauit. Prius ad eos spectabat, qui in suam Maiestatem committerent: posterius autem ad eos, qui Imperio rebelles deprehenderentur. Hæc edicta Roma velut mundi caput accepit, subscripsit ac confirmauit. Verba autem confirmationis sunt hæc: *Ego Roma ceterarum Regina potentissima Principi robur ac facultatem addo & confirmo, ciuitates ac nationes illi subijcio: Nobilitas meam gloriam honoremq́ tutabitur.* Posteà Brixienses sibi subiuges reddidit, itemque Longobardos, Pisanos, Papienses, Taurinenses, Astenses, Veronenses, Placentinos, Senenses, Ianuenses, Florentinos, cum populis adhuc quibusdam Italiæ alijs, qui rebelles ei exstiterant. Anno CHRISTI millesimo tricentesimo decimo tertio, cùm Cæsar Pisis copias colligebat, quibus aduersus Robertum Apuliæ Regem esset profecturus, illum Monachus quidam Prædicatorij Ordinis à VVelphis subornatus veneno perdidit, quod Eucharistiæ illitum ei dederat. Cæsar verò vt venenum sentit, finito Sacro ita clàm Monachum allocutus est: *Calicem vitæ, mi Domine, in mortem mihi subministrasti; quare hinc te ocyùs confer, ne à ministris ac famulis meis comprehensus truculentâ morte interficiaris. Resipisce, ac peccati tui veniam à Deo precare Non enim vult Deus mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Hic finis est optimi ac fortissimi huius Principis.

Gibelini in Columnenses & VVelphi in Vrsinos mutati.

Pontificatus Auinionem translatus.

CXLIIII.

CALICEM VITÆ DEDISTI MIHI IN MORTEM.



Quinto Imperij anno venenatâ Euchariſtiæ hoſtiâ ſublatus eſt.

REDERICVS III. cognomento PVLCHER, Dux Auſtriæ, filius Alberti Cæſaris, ac Ludouicus V. Bauariæ Dux ſimul Francofordiæ Cæſares deſignati ſunt anno CHRISTI milleſimo tricenteſimo decimo tertio. Ludouicus electus eſt à Moguntino & Treuirenſi Epiſcopis, Bohemiæ Rege, & Marchione Brandenburgenſi. Contra hunc autem eodem die delegerunt Fredericum Colonienſis Epiſcopus, Palatinus, & Saxoniæ Dux. Ludouicus Aquiſgrani, Fredericus Bonnæ Imperij inſignia accepit. Controuerſia hæc in eligendo, ingentis belli ciuilis occaſionem peperit in Germaniâ. Fredericus fautores habuit Pontificem Clementem V. qui ipſum vt Cæſarem legitimum confirmauit, Philippum Galliæ, Carolum Hungariæ Reges, Leopoldum Ducem Sueuiæ, Albertum Ducem Auſtriæ Cæſaris fratrem, ac Rudolphum Comitem Palatinum. Item Sueuos omnes, Argentoratenſes, Bafileenſes, Vlmenſes, & alias multas vrbes. Fredericum verò ſecuti ſunt Ioannes Bohemiæ Rex & Norinbergici caſtri Comes, & Principes plerique alij. Anno milleſimo tricenteſimo decimo quinto, collatis ſignis pugnatum eſt inter eos ad Necccharem fluuium, & multa vtrimque hominum millia in prælio occubuerunt. Ludouicus ſatis timebat, quòd erat imbecillior; tamen rurſum arma parabat, eorum præſidijs qui illi adhærebant, obſidebatque caſtrum VVisbadenſe ac Scherpenſteyn contra Fredericum. Verùm animaduertens nihil ſe poſſe efficere, hinc rurſum diſceſſit. Anno milleſimo tricenteſimo viceſimo primo, poſt multa bella, Electores Imperium vni Frederico addixerunt; qui cum fratre ſuo Leopoldo ingentem militum conſcripſit manum, profectuſque in Bauariam contra Ludouicum, cuncta ferro flammâque deuaſtauit. Ceterùm Ludouicus ſeſe in locis probè munitis continuit. Intereà Columnenſium atque Vrſinorum factio rurſum exorta eſt, & vtrimque ſe funditus exſtirparunt. Columnenſes Ludouico fauebant in odium Pontificis, perſequebanturque vel ad necem vſque quidquid Pontifici adhærebat. Tum Frederici opem Pontifex implorabat, promittens illi fratrem ſuum Henricum Archiepiſcopum effecturum ſe Moguntinum. Miſit itaque Cæſar cum dicto Henrico in Italiam virorum quinquaginta millia. Sed nihil hæc potuerunt

CXLV.

QVOD PVDEAT PALAM, CLAM NE FACITO.



Imperij anno x. Regno priuatur; ſeptimo deinde anno moritur.

tuerunt ad tam ingentem ac quotidianam contentionem & tumultum. Tum Pontifex Ludouicum excommunicabat, Crucemque vbiuis terrarum aduersus Ludouicum prædicari iubebat; atque indulgentias omnium peccatorum plenè concedebat his, qui contra Ludouicum & complices eius in Italiâ proficisci veluti aduersus hæreticum & insignem Ecclesiæ persecutorem vellent. Mox vndique ex omnibus pænè Prouincijs magna hominum multitudo in Italiam confluxit, qui omnes Cruce erant notati, adeò vt equitum numerus fuerit circiter viginti millia. Complures nobiles gratis aduersus Ludouicum profecti pugnarunt. Atqui verò quantum hîc cruoris fusum sit, facilè apud se quisque perpenderit. Longum sanè foret enumerare crudelitatem ac sæuitiam, quæ hac tempestate in Italiâ contigit. Vix vlla fuit ciuitas, in quâ non hæ partes sese propemodum radicitus exstirparunt. Præterea hîc ita in alterum alter enses suos acuit, vt neuter alteri cedere voluerit. Fridericus reuocabat fratrem suum Henricum in Germaniam, mittebatque oratores suos ad Pontificem Auinionem, excusans se quantum potuit, atque ingentem vndecumque conscripsit exercitum, quem contra Ludouicum eduxit; aduersus quem item Ludouicus multis copijs instructus profectus est. Fredericus equitum habebat viginti millia, Hungarorum quadraginta millia, Austriacorum item quadraginta millia. Frater eius Leopoldus ex Sueuiâ adducebat octingentos equites cum ingenti multitudine Sueuorum, Francorum, atque Heluetiorum, qui omnes erant pedites; sed cunctatus est, vt amnem traijcere non potuerit. Ludouicus viribus ac potentiâ Frederico haudquaquam par, præsidio Regis Bohemiæ & sibi adhærentium bellum aduersus Fredericum aggressus est. Pugnatum est à manè vsque vesperem, vt hominum ceciderint supra quadraginta millia. Ludouicus victoriâ potitus est, Austriacos atque Hungaros summis viribus in fugam egit. Atqui verò vbi vidit Leopoldus opem ferre se non posse fratri, tantâ animi indignatione ac furore percitus est, quòd se ipsum interfecisset, nisi sui ipsum cohibuissent; qui & consuluerunt vt recederet, nec suâ sponte se in periculum deijceret. Cùm iam Fredericus turbatis suis copijs auxilio esse non poterat, & ipse fugam petijt; in quâ captus,

ptus, ad Burgrauium Norinbergensem perductus est, & ab hoc deinde ad Ludouicum missus ijs legibus, ne ipsum occideret. Ludouicus confestim abduxit eum in castrum Triszneck. Actum autem id ita est anno millesimo tricentesimo vicesimo tertio. Ad Leopoldum Magus quispiam venit, qui ei pollicebatur se spatio vnius horæ dictum Fredericum suis artibus liberaturum, atque in Austriam incolumem restituturum. Leopoldus fidem verbis adhibens, daturum se vicissim pollicebatur quidquid optaret, si quod promisisset, perficere potuerit. Hîc vterque in circulum ingressi sunt. Nocte Magus spiritum quem coniurauerat, iussit, vt ad Cæsarem se sumpto ignoti cuiusdam vultu conferret; fecitque vt erat iussus. Itaque noctu ad captum Fredericum spiritus accessit, inquiens: Huc ad te frater tuus me misit, vt te liberarem, quare hunc properè conscende equum. Tum quæsijt Fredericus quisnam esset. Ne hoc (inquit spiritus) percontare; sed si te liberatum velis, hunc, inquam, festinanter conscende equum. Tum Cæsar mali quidpiam metuens, Deum piè precatus est; adeoque extemplò spiritus ille euanuit. Posteà Leopoldus ita Ludouicum ferro ac flammâ infestauit, vt Fredericum dimittere debuerit hac lege, vt Imperio cederet. Quapropter Fredericus numquam deinceps Imperiale nomen vsurpauit.

VDOVICVS V. Dux Bauariæ adminiſtrationem Imperij, cùm ob eam decennio pugnauerat, ſolus adeptus eſt anno CHRISTI milleſimo tricenteſimo viceſimo tertio. Cùm iam Pontifex victoriam Ludouici accepiſſet, cenſuris Pontificijs animaduertit ſuorum iudicio in Cæſarem Ludouicum, iubens interim vt ſpatio trium menſium Imperio decederet, electionemque Principibus in manus reſtitueret, eò quòd hæreticus eſſet, hoc eſt, Eccleſiæ rebellis exſtitiſſet, quòd Imperiali etiam auctoritate adeoque ipſo Imperio vſus fuiſſet, nec illud ab ſuâ Sanctitate accepiſſet, aut confirmatus in eo fuiſſet: atque adeò necdum anathemate erat abſolutus, habebatque commercium cum Eccleſiæ aduerſarijs, omni ſe dedens perſecutioni. Quare adhæc Pontifex omnes depoſuit Eccleſiaſticos, qui Ludouicum re aut conſilijs iuuerant. Citabat item Ludouicum ad ſe Auinionem in Galliam. Ludouicus à Pontifice appellabat ad Concilium generale, ſi quando Romæ in Diui Petri Sede reſideret. Tum Pontifex illum Satanæ omnino tradebat, barathroque cum ijs omnibus, qui id ei ſuggeſſiſſent, adiudicabat. Ludouicus appellare minimè ceſſabat. Hac tempeſtate occeptum eſt diſputare ac dubitare de facultate Pontificis. Hac de re conſule Marſilium Patauinum. Ludouicus Comitia coëgit Francofordiæ, vt hîc de pace publicâ ac patriæ tranquillitate tractaretur. Huc conuenêre Principes Germaniæ omnes, quibus gratum ac familiarem ſe præbuit; adeò, vt qui anteà infenſiſſimi fuerant hoſtes, mortemque eius iurarant, modò id contrà iuramento aſſeruerint, morituros ſe potiùs, ni opem illi quocumque tempore & loco præſtarent. Reynoldum Geldriæ Comitem, cuius ſororem Fredericus in vxorem duxerat, Ducem fecit, atque ex Comitatu Geldriæ Ducatum. Cum titulo ac nomine Ducatus, etiam titulum Comitatus Zutphaniæ retinuit, qui ad Geldriæ Ducatum etiam pertinebat. Ad hunc modum cum multis Principibus alijs egit, vt eorum ſibi fauorem conciliaret. Id verò ita actum eſt anno milleſimo tricenteſimo viceſimo ſexto. Vbi iam Ludouicus aliquanto fieri cœpit potentior, atque in Italiâ etiam multos haberet fautores, nonnihil Pontifex timuit, ciuitates ſuas milite muniuit; nec dubitauit, quin Ludouicus etiam Italiam

Geldriæ Comitatus fit Ducatus.

CXLVI.

HVIVSMODI COMPARANDÆ SVNT OPES, QVÆ SIMVL CVM NAVFRAGO ENATENT.



Cum Frederico Imperij collegâ X. ſolus XVIII. rerum potitus eſt; deinde VI. anathematizatus priuatè vixit.

liam inuiſeret. Nam ſtatim miſſis Comitijs Ludouicus parauit ſe cum ingenti militum manu in Italiam, vbi Romam magnis Columnenſium atque Vrſinorum factionibus concuſſam offendit; ac Columnenſes qui pro eo ſentiebant, ſuperiores erant, mirumque in modum inſequebantur Vrſinos, qui pro Pontifice ſentiebant. Ludouicus vi Romam ingreſſus, Cardinalem quemdam Columnenſem Pontificem fecit, quem Nicolaum V. appellauit. Hic creabat Epiſcopos ac Cardinales, coronabatque Ludouicum cum ſuâ coniuge. Biennio autem pòſt errorem ſuum agnouit Ludouicus; ideoque Romam iterùm profectus, Pontificem ſuum abduxit Piſas. Hîc eum deſeruit, inquiens haud legitimum eum eſſe Pontificem. Tum Piſarum Dux Vrſinus, ipſum ad Pontificem Auinionem miſit, qui eum perpetuo carcere macerauit. Anno milleſimo tricenteſimo trigeſimo quinto, Pontifex creatus eſt Benedictus XII. à quo abſolutionem Cæſar flagitauit. Pontifex reſpondebat, velle ſe videre amputatum ramum, & qui ita ab arbore eſſet præſectus, iterùm implantari: addens etiam, oblectari ſe cum Germaniâ ac Frederico, quem mundi ramum appellabat nobilem. Rex Galliæ atque item Apuliæ Rex oratores ſuos ad Pontificem legarunt, eum obſecrantes, ne Eccleſiæ aduerſarijs fauere vellet. Interrogabat contrà Pontifex, num Imperatorem vellent. Reſpondebant, nihil ſe aduerſus Imperium loqui, ſed dumtaxat aduerſus eum qui illud poſſidet, quique Eccleſiæ eſt aduerſarius. Atque ita quidem Legati Ludouici ſine abſolutione redire debuerunt. Tum omnes Imperij Epiſcopi ad impetrandam Cæſari abſolutionem ad Pontificem varios miſerunt, & quidem fruſtrà: impetrare enim non potuerunt. Cæſar Gallorum Regem obſecrauit, ne in hac re illi vellet eſſe impedimento; ac perpetuum fœdus cum ipſo inijt. Verùm Pontifex in ſuâ manſit ſententiâ, nec Cæſarem abſoluere voluit. Tum Ludouicus Comitia Francofordiæ iterùm habuit, vbi Mandatum aureum confecit & publicauit, proclamarique curauit per vniuerſum Imperium aduerſus Pontificis execrationem. Hinc concionatores omnes, qui contrà Pontificis aduerſus illum excommunicationem proclamabant, grauiter inſecutus eſt; adeò vt Sacerdotes ac Monachi omnes per totum ſuum Imperium fuerint

rint pulsi, atque huc illucque profligati: quæ res posteà non sine insigni clade fuit. Deinde moritur Pontifex: succedit Clemens VI. qui execrationem aduersus Cæsarem confirmabat, præcipiebatque Electoribus, vti alium eligerent Imperatorem, Ludouicum autem sub pœnâ extremæ condemnationis deponerent: quod si recusarent, ipse suo arbitrio alium se designaturum significabat, ne quid Ecclesia detrimenti pateretur. Archiepiscopus Moguntinus territos conuocat Electores; huic illi parent, veniunt, vnoque ore Carolum Regis Bohemiæ filium Cæsarem designant; & Bonnæ insignia Imperialia accipit. Noua hæc electio Ludouico nuntiabatur; verùm haudquaquam credere potuit, donec res ipsa comprobasset.


AROLVS IIII. Rex Bohemiæ anno CHRISTI millesimo tricentesimo quadragesimo primo Cæsar electus est; sed & alij eâ tempestate sunt designati, non autem omnium Electorum suffragijs, nec ad Imperium peruenerunt. Romæ erat qui se Ti. Augustum nominabat, significabatque per litteras Pontifici, nisi eo anno Sedem suam Auinione Romam transferre vellet, tum se alium creaturum Pontificem. Vocabat Ludouicum & Carolum, vt coram se in iudicio comparerent, & caussam suam ipsius arbitrio committerent. Similem stultitiam crebrò exercuit, donec miser Augustus Regno pulsus sit. Anno millesimo tricentesimo quadragesimo septimo vbi Ludouicus obijsset, ex Bohemiâ cum ingentibus copijs Ratisponam venit Carolus: tum primùm Imperator agnitus est; inde & à Norinbergensibus receptus est. Hic Principes ac ciuitates solabatur, promittebatque publicam se absolutionem Româ relaturum ijs qui anathemati, dum Ludouico adhæsissent, erant obnoxij. In Italiam igitur profectus, diu in itinere cunctatus est, vt Italiæ perturbationes omnes componeret. Tandem anno millesimo tricentesimo quinquagesimo quinto Romam venit, vbi à duobus Cardinalibus, ad hoc à Pontifice designatis, coronatus est. Mox in gratiam Pontificis Columnenses omnes vrbe expulit, atque Vrsinos in eam restituit. In itinere, dum in Germaniam rediret, Longobardos sibi subiecit; & quos aduersus Ecclesiam quidquam molitos cognouisset, eos omnes tradidit Pontifici. In Germaniam verò reuersus, Comitia Moguntiæ habuit: quò Principes omnes conuenêre. Item & Legatus Pontificius his aderat, cum Principibus aliquot Galliæ. Hîc publicata est absolutio illa, cuius forma hæc est: *Cùm multi contra processus Pontificis hæretico Ludouico Bauaro adhærentes grauibus peccatis se obnoxios fecerint, & modò ad Ecclesiæ vnitatem redire cupiant; mandamus, absoluimusque omnes qui peccatum suum agnouerint, iurauerintque se fidem Christianam integrè deinceps seruaturos, nec vmquam adhæsuros hæretico cuipiam, aut qui ab Ecclesiâ Romanâ desciuerit. Item qui certò crediderint, penes Cæsarem non esse Pontificem aut creare aut deponere, eam hæresin perpetuò esse damnatam: & qui addixerint, nullum se deinceps Imperatorem accepturos, nisi quem Pontifex approbauerit*

CXLVII.

POSSIM QVIDEM COPIAS IN TVRCAM EDVCERE; VERVM QVAM NON CITRA CHRISTIANI SANGVINIS EFFVSIONEM, SATIS EX AVORVM HISTORIIS INTELLIGO.



Postquam Imperium administrasset annis XXXVIII. vitam cum morte mutauit.

bauerit & confirmauerit. Præterea qui Ludouici liberis fauorem nullum exhibuerint, donec ad Ecclesiam fuerint reuersi. Item postremò qui Carolo in omnibus obsequium præstiterint. Qui autem contrà hæc recusauerint, aut non ita fecerint, in eamdem illi recasuri sunt excommunicationem. In his Comitijs Carolus Bullam auream conſcripſit, in quâ Cærimoniæ Romanorum Regum creandorum continentur & confirmantur. Ad hæc leges quaſdam pro ſalute Reipublicæ tulit, quæ etiamnum hodie Carolinæ appellantur. Hac tempeſtate tumultus item in Angliâ exortus eſt. Nam Rex Pontifici aduerſarius effectus, Eccleſiaſticos omnes Regno ſuo eiecit. Hi numero fuerunt ſexies mille, ac per vniuerſam Galliam atque Hiſpaniam profecti ſunt; quorum Princeps Archipresbyterum ſeſe appellabat. Cumque indies magis ac magis adeò augmentarentur, vt cuncta paſſim deuaſtarent, Principes laici ingentem hominum multitudinem hos contra miſêre. Quod vt intellexerunt, in Germaniam ſeſe contulerunt. Hîc in Alſatiâ atque Argentorati incredibilem ſæuitiam, cædibus, rapinis, incendijſque exercuerunt. Tum ſe Carolus cum multis copijs parauit, vt pernicioſam hanc multitudinem armis compeſceret: ſed Presbyterini fugam cepêre, & vno die tantum itineris confecêre, vt eos Carolus haud facilè præuertere potuiſſet. Tum Presbyterini hi ſeſe diuiſerunt, ac mirum in modum vltrò ſe caſtigarunt, ad veniam peccatorum ſuorum conſequendam. In compitis ſeſe virgis flagellabant, cruces veſtibus annexas habebant, in oppidis modeſtè Proceſſiones cum alijs ſequebantur, obuelata habebant capita ad oculos vſque, ſemperque humi proſtrati iacebant. Flagra eorum ex tribus conſtabant funibus, atque in vnoquoque tres erant nodi, & horum quiſque ſuam habebat crucem: his ſeſe flagellabant, dorſaque & humeros ſuos ad cruorem vſque vulnerabant. In templis veſtes ſuas deponebant, ſupparoque linteo ventri obducto in cœmeteria exibant, atque hîc ſe humi proſternebant: non autem in genua, vt nos, ſed perinde atque lignum in terram proiectum; extendebantque brachia ſua, peccata grauiter deplorantes. Poſteà ex his vnus ſurgebat, atque vnumquemque virgis flagellabat, inquiens, Deus tua tibi peccata ignoſcat, ſurge. Deinde iſtinc ordine diſcedebant; atque

que eorum duo præcinebant, alij autem ſuccinebant. Cumque in eorum cantu alicubi paſſionis Chriſti mentio fiebat, tum inter eos tantus vlulatus auditus eſt, vt qui aderant, ab ijs prorſus diſcedere debuerint. Nec pecuniam, nec eleëmoſynam accipiebant, ſed inuitati cum ciuibus prandebant. Raro loquebantur, & apud mulieres numquam. Non amplius quàm nocte vnâ in oppidis pernoctabant. Quiſque flagrum ſuum in latere habebat. Poſtremò Auinionem ad Pontificem profecti ſunt, vt ipſi pœnitentiam ſuam indicarent. Sed eos excommunicauit omnes; edictumque promulgatum eſt, ne quis illis, dum eſſent excommunicati, aut opem aut hoſpitia præberet. Atque ita quidem ſecta hæc damnata interijt. Doctis autem appellati ſunt Acephali, vulgò Flagellatores. Anno milleſimo tricenteſimo ſeptuageſimo Carolus filium ſuum VVenceſlaum iuxta ſe Regem Romanorum fecit. Hic vnicuique Electorum pro electione promiſit aureorum centena millia. Emit item filio ſuo Sigiſmundo Marchionatum Brandenburgenſem.

ENCESLAVS Rex Bohemiæ imperauit cum patre Carolo annis octo; sed anno CHRISTI millesimo tricentesimo septuagesimo octauo, post mortem patris, Imperium solus adeptus est. Hac tempestate incredibile dictu quàm malè Romæ actum sit. Ciues planè Pontificem Italum requirebant, Sedemque Pontificiam occuparet Romæ. Cuius rei gratiâ Conclaue sancti Petri præparatum est, milites que in Vaticanum sunt educti, ne quis tumultus electionem forsan impediret. Cùm iam suffragia colligerentur, controuersia subitò aliqua exorta est. Nam ex Vrsinis aut VVelphis quispiam Pontificatum maximoperè affectabat. Verùm electus est Episcopus Neapolitanus, dictusque Vrbanus VI. qui Sedem diui Petri iterùm Romæ statuit. Is Gallicum Pontificem Clementem VII. qui Auinione se continebat, excommunicauit; contraque Clemens in Vrbanum censuris sæuijt. Durauit hoc schisma annos nouem & triginta; & tam diu duo semper fuerunt Pontifices, alter Romæ, alterque Auinione. Vt autem VVenceslaus dubitabat, vtrum pro Pontifice, Domino ac Patre suo, coleret ac veneraretur (vterque enim eius amicitiam æquè ambiebat) selegit sibi Vrbanum VI. ac Clementem in Galliâ reiecit. Id verò ita molestè hic tulit, vt Cæsaris Legatos comprehensos magnis cruciatibus interfecerit. Tum primùm VVenceslaus verè se Vrbano adiungebat, qui ipsum Romam ad coronationem accersibat. Porrò VVenceslaus respondebat, sibi id quidem placere, sed per sumptus minimè licere; neque enim velle se ita rusticè in Italiam venire, ne quam iniuriam faceret Imperio. Quapropter Pontificem orabat, vt semel censum suum Ecclesiasticum in vniuerso Imperio recipere liceret. Quod vt impetrauit, tantum quidem pecuniæ census iste attulit, vt rumor Romæ fuerit, ipsum adeò potenter venturum, vt Imperator vmquam aliàs. Plurima in eius aduentum apparabantur, cuncta empta Romam perferebantur. Tandem verò haudquaquam venit, fefellitque hac in re Pontificem: quod maxima posteà peperit dissidia. Anno millesimo tricentesimo nonagesimo tertio, VVenceslaus fra-

tres

CXLVIII.

MOROSOPHI MORIS OMNIBVS PRÆCELLVNT.



Ob tyrannidem ignauiamq́ue XXII. Imperij anno ſolio deiectus:
morbo comitiali tactus obijt ætatis LVII.

tres Germanici Ordinis, candidis indutos pallijs nigrâ cruce notatis, Bohemiâ expulit; atque nulli eos rei vtiles esse dixit, abstulitque his omnia sua bona ac possessiones. Quinto anno pòst, sine voluntate atque auctoritate Pontificis & Electorum, Galeatium Vicecomitem Mediolanensem Ducem fecit. Cœpit item plurimùm sæuire in Ecclesiasticos. Academiam Pragensem numquam satis laudatam funditus exstirpauit. Doctores plerosque interemit, plerosque Regno exegit. Iam verò vbi Pontifex Indulgentias publicauit, Pragæ in Bohemiâ exortus est Ioannes Hus. Hic horrenda in Pontificem scripta edidit; ideoque ingens in Bohemiâ calamitas inter Sacerdotes ac Monachos nata est. Mox adhærentes sibi complures nactus est, vt vniuersam Bohemiam à Pontifice deficere fecerit. Hoc venenum cùm latiùs sese diffundebat, etiam Germania eo infecta esse cœpit. Vrbs Herbipolis confestim ab Episcopo suo desciuit; ipsum oppido cum omnibus suis adhærentibus expulerunt, ac VVenceslao adhæserunt. Verùm hic vir erat insignis socordiæ, qui in periculo suos deserebat; adeò vt Episcopus cum ingenti exercitu vrbem obsederit. Ciues egressi cum Episcopo pugnarunt; verùm succubuerunt, & in conflictu illo multi interierunt, reliqui in vrbem redire cogebantur. Atque ita quidem Episcopus in pristinam sedem ac dignitatem redijt. At cuncta istius viri doctrinâ ita in Germaniâ mutabantur, quòd Ecclesiasticos laici iam flocci fecerint, nec quidquam curauerint. Vbique perturbatio circa fidem; nec minor in ciuili administratione, vt nusquam à prædonibus terrâ marique tutus quisquam esse potuerit. Prætereà is erat Cæsar, qui sine certo ordine cuncta administrabat, quique Imperium (excepto quod ad exactionem aut pecuniam pertineret) nihil penitus curabat. Sacerdos quidam Hussicus in concione publicâ ita ad populum inquit: *Fratres charissimi, tametsi stolidum ac socordem Regem habeamus, si tamen eum cum alijs conferamus, ac rem exactiùs perpendamus, non alius optari potest nobis accommodatior. Quietus est, beneuolus ac propensus nobis; vt hinc certi simus, dum viuet, vel pro arbitrio nostro posse nos viuere. Aequum igitur est vt pro ipso Deum*


Deum precemur, *quò illi vitam donet diuturnam*; *cuius ſocordia nobis felicitati ac bono eſt*. Quod vbi VVenceſlao nuntiabatur, non ægrè tulit, effectuſque è tepido eſt planè frigidus; vt hinc magis aduerſus Eccleſiaſticos ſuccenſus, tantam in diripiendo rabiem exercuerit, quòd à fratre ſuo Sigiſmundo tandem captus ſit, qui illum aſſeruandum dabat Alberto Duci Auſtriæ. Ceterùm vbi eum hic Viennæ non ſat diligenter obſeruabat, fugâ elapſus ad Imperium rediјt. Tum iuſſu Pontificis congregati ſunt Electores, ac Rupertum Comitem Palatinum Cæſarem deſignarunt.

RVPERTVS Comes Palatinus Rheni, poſt depoſitum Imperio VVenceſlaum, anno CHRISTI milleſimo quadringenteſimo, ab Electoribus legitimo ſuffragio Cæſar creatus eſt, quem Colonienſis Epiſcopus inunxit. Hic Princeps ſanè fuit verè Chriſtianus, amator æquitatis, ac pauperum defenſor vnicus. Hanc electionem Pontifex Bonifacius IX. confirmauit. Cùm verò poſteà Romam Imperiale Diadema accepturus proficiſceretur, illi reſtitit Galeatius Mediolanenſium Dux VVenceſlai amicus, qui eum Ducem fecerat, viamque Romam verſus impediuit. Igitur in Germaniam nondum coronatus rediit, atque Imperium prudenter adminiſtrauit. Anno milleſimo quadringenteſimo tertio, iterùm in Italiam profectus eſt. Nam Florentini bella gerebant contra Mediolanenſes. Florentini magnam illi argenti vim promiſerunt, ſi eos adiutaret, pecuniaque numeraretur vbi Alpes tranſſcendiſſet, Mediolanum vidiſſet, atque exercitum Mediolanenſem contigiſſet. Cùm iam magnis inſtructus copiis ac facultate Mediolanum maturaret, cuiuſmodi vmquam Germanicum fuiſſe Cæſarem dubitabatur; pecunia mox Florentinorum, vt promiſſum erat, illi annumerata fuit. Hinc pugnam aggreſſus eſt (vti promiſerat) cum Galeatio Duce Mediolanenſi; verùm ſuccubuit, eiuſque exercitus diſſipatus eſt, & in fugam actus. Vt iam Tarentum rediret, deſtitutus eſt Leopoldi Ducis Auſtriaci & Colonienſis Epiſcopi præſidio, nec eius rei quidquam curare voluerunt. Proinde iterùm Rupertus in Italiam ſe Paduam contulit, indeque Venetias: nam nec huic ampliùs confligere libebat. Hinc magnâ affectus clade, in Germaniam reuerſus eſt. Hac tempeſtate ſæuiſſimè in Oriente actum eſt. Quamquam enim ea hiſtoria nihil ad Imperium Romanum ſpectet, non poſſum tamen eam ſubticere. Exortus enim eſt ex humili genere natus quidam Tamerlanes nomine. *Tamerlanes tyrannus.* Hic primùm ſtipendia meruit apud Turcam, deinde ob animi virtutem & fortitudinem militum Dux ac Tribunus effectus eſt: quo nomine, partim vi partim fraude, Parthorum Regna inuaſit; ac deinde quidquid aggrederetur, facilè ſubegit, vt erant Perſæ, Medi, Arabes, & poſt hos Indi. Poſteà ad Septemtrionem ſe recipiens, per Moſcouiam in Aſſyriam profectus

eſt,

CXLIX.

MISERICORDIA NON CAVSSAM SED FORTVNAM SPECTAT.



Decennalis Imperator LVIII. ætatis anno occubuit.

est, ac Tigrim in Mesopotamiam traijciens, nauigauit per Euphraten in Babyloniam & Chaldæam. Postremò exercitum suum, qui equitum constabat quadraginta millibus, ac peditum sexies centenis millibus, per Armeniam in Asiam minorem siue Natoliam duxit, vbi Turcicum Cæsarem Pazaiten bello aggressus, ducenta virorum millia fudit, Pazaiten ipsum cepit, eumque perinde ac auem caueâ inclusum secum spectaculi & ludibrij loco circumuexit. Ad hæc versus meridiem etiam copias suas in Ægyptum atque vniuersam Asiam eduxit. Eius castra saxis vbique erant pauimentata, perinde atque oppidum quoddam; in quibus & cuncta reperiebantur venalia, vt in emporijs: nam & quæque mercimonia suis hîc locis erant assignata. Vbi autem oppidum aliquod obsideret, primo die tentorium fixit candidum, quod gratiam ijs significabat, qui se vltrò dedere vellent; altero verò rubrum, quod sanguinem portendebat; tertio denique nigrum, quod vrbis præsagiebat euersionem. Contigit semel, quòd cùm deditionem oppidum quoddam in diem posterum differret, ciues pueros suos ac puellas ad illum albis vestibus indutos atque oliuæ ramusculos præ se ferentes emiserint, sperantes eorum innocentiâ se tyranni iram placaturos. Sed hos ille omnes equis conculcandos tradidit, vrbemque cum vniuersis ciuibus incendio absumpsit. Cùm ex consiliarijs suis quidam secretò ex ipso sciscitaretur, cur eam tyrannidem in teneros pueros ac puellas exercuisset, respondit transuersis ipsum intuens hirquis oculisque flammantibus; Quid, inquiens, arbitraris? méne hominem esse? non. Erras, si id putes: equidem Dei sum flagellum, ac terræ vastatio. Caue sis me istiusmodi interrogationibus in posterum fatiges. Tyrannus hic immani deuastatione totum ferè Orientem peragrauit, optimas quasque vrbes euertit. Tot huic se ex omnibus nationibus adiungebant, vt exercitum tandem habuerit duodecies centenorum millium. Eius verò nomen auditu omnibus erat horrendum: sicubi pulsabat, ei statim aperiebatur; sin recusabatur, cogebat. Iam autem vbi versus Occidentem se pararet, atque in Europam per mare Mediterraneum traijceret, morte execrabili interemptus est. His temporibus Hussiana hæresis potentior vbique facta, ingentes aduersus Sacerdotes concita-
bat

bat tumultus. Vrbs Herbipolis iterùm ab Epiſcopo ſuo defecit; ſed cùm hic opem accepiſſet, multi rurſum ciues ſunt interfecti. Anno milleſimo quadringenteſimo quinto, Eccleſiaſtici ad ſuam conſeruandam libertatem VVormatiâ egreſſi, biennij ſpatio in vrbem non redierunt, donec controuerſia per Rupertum Cæſarem eſſet conſopita. Huſſiani multis in Bohemiâ victorijs potiti, præſtantiores ſe alijs eſſe arbitrabantur; atque hinc elati animis, ſuam quoque hæreſin hac ratione excuſabant. Horum denique inſania ad eam factionem paullatim proceſſit, vt auctor eorum hæreſis Ioannes Hus poſteà Conſtantiæ (vt dicetur paulò pòſt) combuſtus ſit: quâ re Huſſiani adeò fuère œſtro perciti, vt Germaniam multis calamitatibus oppleuerint.

IGISMVNDVS Hungariæ ac Bohemiæ Rex, Caroli IIII. filius & VVenceſlai frater, ab Electoribus poſt mortem Ruperti Cæſar electus eſt anno CHRISTI milleſimo quadringenteſimo decimo. Sapientiâ, eruditione, & probitate Princeps fuit clariſſimus; ſtaturâ talis, qualis tantum Principem decebat; pacis belliq́ue artibus perinde inſignis, ſed ad pacem quàm ad bellum procliuior. Confeſtim autem poſt adeptum Imperium cum ingenti exercitu Romam profectus, ab Ioanne XXIII. Pontifice coronatus eſt, & conſultauit cum eo de publico Concilio cogendo ſchiſmatis tollendi cauſsâ. Ipſe quoque ad Gallorum Regem profectus eſt, & cum eo egit, vt in conuocandâ Synodo conſentiret. Proinde ſuffragatione Pontificis, Cæſaris, Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ Regum, & Principum Germanorum Conſtantienſe Concilium inchoatum anno milleſimo quadringenteſimo decimoquarto: ad quod etiam ipſe Pontifex venit. Sigiſmundus colligebat ex omnibus nationibus doctiſſimos quoſque, quòd in Germaniâ circa Religionem ita omnes diſſentirent, ſperans depoſito hoc ſchiſmate Rempublicam Chriſtianam facilè in priſtinum ſtatum reſtitutum iri. Verùm Pontifex primò de Huſſianis tractari voluit. Igitur Ioannes Hus cum diſcipulo ſuo Hieronymo Pragenſi ad Concilium vocati fuêre: illiſq́ue acceſſum liberum conceſſit Cæſar; quo nomine etiam venerunt. Vterque ingenio erant acutiſſimi, atque eloquentiâ promptiſſimi. Quare cùm auditi fuiſſent, eos admonuerunt, ne prudentiores haberi velint Eccleſiâ Romanâ, ac peruerſas illas opiniones miſſas facerent, quin potiùs ſuam illam eloquentiam vſurparent ad conſeruandas Chriſtianæ fidei cærimonias, non autem contrà. Sed in ſuis illi propoſitis perſiſtebant, ac Chriſti ſe Euangelium imitari aiebant, Romanamq́ue Eccleſiam longè à Chriſti doctrinâ aberraſſe. Cùm hæc Concilij Præſides audijſſent, ſententiam tulerunt huiuſmodi; vt, veluti membra corrupta quæ nullis iuuari medicamentis poſſunt, exurerentur, ne totum corpus deinceps inficeretur. Itaque primò Ioannes Hus, præter voluntatem Cæſaris, viris armatis octingentis ad ſupplicij locum deductus eſt. Infulam ei chartaceam impoſuerunt, cui duo adpicti erant cacodæmones cum ſubſcriptione huiuſmodi: Hæreſiarcha.

C L.

MALA VLTRO ADSVNT.



Imperio præfuit XXVIII. annis, Ecclesiam tranquillauit, septuagenarius animam efflauit.

cha. Cumque iam exureretur, flammam obstinato animo pertulit. Id verò contigit anno millesimo quadringentesimo decimo sexto: & post dies centum quadraginta discipulus eius Hieronymus cùm resipiscere nollet, etiam exustus est. Cineres horum in mare proiecti sunt, ne si à Bohemis collecti forent, pro Diuorum reliquijs colerentur. Proinde ipsorum discipuli terram eius loci, quo fuerant combusti, abraserunt, eamque in Bohemiam detulerunt. Tum Bohemi omni crudelitate in Sacerdotes sæuierunt, templa, cœnobia, atque imagines deuastarunt. His verò omnibus ita gestis, vt Ecclesia ad pristinum statum à schismate reduceretur, conclusum est, vt vterque Pontifex Benedictus & Ioannes Pontificatu abdicarentur, controuersiæ omnis componendæ gratiâ. Vt ergo vlteriùs noui Pontificis electio concluderetur, & Concilij Decreta maioris essent auctoritatis, ex omni natione viri sex selecti fuêre, qui cum Cardinalibus Conclaue ingressi, Pontificem vnà crearent. Quare contigit anno millesimo quadringentesimo decimo septimo, octauo Nouembris die, circiter horam tertiam, quòd Otho Columnus, Princeps Romanus, Diaconus, Cardinalis S. Georgij ad Vellus aureum, cum omnium lætitiâ Pontifex sit creatus. Hic se Martinum V. appellauit, atque eâ occasione Ecclesiæ tranquillitas est restituta. Pœnituit Ioannem quòd vltrò consensisset in abdicationem Pontificatus, & clàm fugam meditabatur. Sed per Cæsarem inter fugiendum retractus, Comiti Palatino traditus est. Celebrato Concilio, expeditionem Cæsar cum Principibus Germanis in Bohemiam adornauit aduersus malè feriatos Hussianos. Quod vt hi acceperunt, propria sua oppida ac vicos incendio euerterunt, ducemque ipsi sibi statuerunt Ioannem Ziscam, virum strenuum ac fortem. Hic bella grauia aduersus Cæsarem atque Imperium mouit; nec vmquam succubuit, sed victorijs clarus semper in Bohemiam reuersus est. Pontifex plenas concedebat Indulgentias aduersus hos hæreticos; quâ occasione ingens equitum peditumque multitudo collecta est; his ratus Bohemos funditus exstipare, Regnumque Germanis atque alijs Christianis possidendum dare. Principes consultabant quâ viâ rem aggrederentur: nec mora, flamma ingens in tentorijs visa est, nec vnde orta esset quisquam homo sciebat.

sciebat. Intereà dum hîc territi stabant, armaque & equos castris extrahebant, Hussiani impetu in eos facto multa hominum millia in fumo inter laborandum interemerunt. Atque ita quidem periit exercitus ille potentissimus, à quo incredibilia conficienda putabant. Post hanc expeditionem res quò diuturnior, eò efficiebatur deterior. Hussiani magnis copiis in Germaniam educti, expugnabant oppida castraque: interficiebant sine vllâ commiseratione quidquid particeps vitæ erat. Multi in templa confugiebant, sed ea incendio absumebant hostes, oppidaq; radicitus euertebant. Et post multas cruentas pugnas, postque infinitos homines miserè vtrimque trucidatos, etiam Principes pugnare ampliùs detrectabant, ac Pontifici suos committebant Ecclesiasticos, vt is rem ad finem quemdam perduceret. Verùm Deus tandem isti rei finem imponere voluit: nam Bohemi inter se effecti seditiosi, propemodum se mutuò deleuerunt. Quod vt Cæsar audiit, cogitauit semel adhuc Bohemiam, Regnum suum, videre; atque adeò venit anno M. CCCC. XXXVI. Pragam: quæ vrbs Bohemiæ caput est. Hîc operam dedit, vti Regnum suum, quoad eius fieri posset, placaret. Quos autem timebat, ablegauit magnis copiis aduersus Turcas, vt ab iis esset tutus. Itaque ope Hungarorum apud Turcas vnius pugnæ victoriam adepti sunt. Ac tametsi quidem pauci redierunt, ita altè tamen hæresis ea radices egerat, vt etiamnum hodie in istis locis perduret.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

HACTENVS *Goltzius. Quæ sequuntur deinceps serie continuâ* CÆSARVM AVSTRIACORVM *Vitæ & Elogia adusque* FERDINANDVM III. AVG. *nunc Orbi feliciter imperantem, stylo* Casperij Geuartij, IC^ti^ *& Archigrammatæi Antuerpiani, sunt adornata. Hoc volui, Lector, nescius ne esses.*

ALBERTVS II.

Ex Pompâ Introitus FERDINANDI AVSTRIACI, *Hispaniar. Infantis, in Vrbem Antuerpiam*, C. Geuartio *Auctore descriptâ. Vbi & præcedentium Impp. Austriacorum*, RODOLPHI I. ALBERTI I. & FREDERICI III. *Augg. Elogia videre est.*

FORTVNAM olim duplici nomine, Primigeniam & Reuertentem, coluit antiquitas. Illam sic dixere, quæ à primo cuiusque ortu, inoffenso felicitatis cursu, alumnos suos foueret; hanc verò, quæ solito eius fauore destitutis, benignam sese denuò fidamque comitem adiungeret.

Et sanè Primigenia Austriacorum Archiducum fortuna, post Imp. Cæs. Fredericum III. cognomento Pulchrum, Bauaris & Luxemburgicis toto sæculo Imperium obtinentibus, paulisper defecisse visa est.

At mox Reuertens, benigniori oculo eosdem Principes respexit, dum ALBERTVM Austriæ Archiducem, Imp. Cæs. Sigismundi Augusti generum, velut errorem suum confessa, festinatis cumulatisque honoribus, ad Hungariæ Bohemiæque sceptra, ipsumq; Romani Imperij fastigium, vnius anni spatio euexit: inusitato felicitatis exemplo.

ALBERTVS Patrem, Auum, Proauum, Abauumque, Austriæ ex ordine Archiduces, sibi cognomines habuit, Atauumque item, Albertum I. Rodolphi I. Augusti Filium; Matrem, Ioannam, Alberti Bauari, Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ Principis, filiam.

Puer annum ætatis x. agens, Patrem in obsidione Znoymæ, Morauiæ oppidi, amisit. ideoque de eius tutelâ digladiantibus inter se Patruis, Austria grauissimis cladibus afflicta est.

Pubertatem egressus, Principatus gubernacula ipse adijt,

ac

CLI.

AMORE CIVIVM TVTOS ESSE PRINCIPES OPORTET. IDQVE SOLA PRÆSTAT INNOCENTIA. *Æn. Syl.*



Vir Imperio vtilis, longiorique vitâ dignus, ſecundo anno Regni ſui moritur.

ac prouinciam, inteſtinis motibus & latrociniis diu vexatam, priſtinæ ſecuritati reſtituit.

Bello deinde aduerſus Huſſitas, Ziſcâ duce in Bohemiâ tumultuantes, exorto, cum IV. equitum millibus egregiam Sigiſmundo Cæſari operam nauauit. Vnde factum, vt ſpectatâ ALBERTI virtute, eiuſque in ſe meritis prouocatus Cæſar, filiam ſuam vnicam Eliſabetham illi in matrimonium dederit.

Mortuo paulò pòſt Sigiſmundo, ALBERTVS Hungariæ primùm, mox Bohemiæ Rex declaratus eſt; tùm ex ſupremâ ſoceri voluntate, tùm ex priſco Bohemicæ gentis cum Auſtriacis fœdere, Procerum conſenſu & Cæſareâ auctoritate firmato, vt nempe deficientibus in alterâ Domo maſculis heredibus, altera in Regnum ſuccederet.

Æn. Syl. Picolomineus Pont. Max. Hiſtor. Bohem. cap. LV. *Lazius* Geneal. Auſtr. lib. II.

Septemuiri quoque Principes Electores, Francofurti ad Mœnum congregati, vnanimi ſententiâ ALBERTVM Romanorum Imperatorem renuntiarunt XIII. Kalend. Aprilis anno ſalutis M. CCCC. XXXVIII.

Atque ab eâ electione, Auſtriacæ gentis Principes, Romani Imperij faſtigium, maieſtatemque quaſi per manus traditam, in hæc vſque tempora, non interruptâ ſerie, per annos iam ducentos, cum ſummâ rerum geſtarum gloriâ ac Reipublicæ Chriſtianæ commodo, feliciter tuentur.

Poſt ſolemnem Imperij inaugurationem Aquiſgrani factam, Cæſar collecto per Auſtriam milite in Bohemiam mouens, Ptaſconem, Podiebradium, aliaque Huſſiticæ factionis capita, qui Caſimirum, Vladiſlai Poloniæ Regis Fratrem, in ſpem Regni euocarant, oppreſſit: ipſumque Vladiſlaum, maximo exercitu Bohemiæ appropinquantem,

tem, retrò quà venerat, cedere, atque intra ſuos fines quieſcere coëgit: totamque Sileſiam à Polonis, qui agros depopulabantur, ſecuram reddidit.

Aduerſus Amurathem Turcarum tyrannum, qui ſuperiorem Mœſiam inuaſerat, ac Pannoniam ingenti terrore perculerat, cum maximis copiis profectus, caſtra inter Tibiſcum & Danubium amnes munit, eoque auxilia vndique properare iubet.

Turca, eius aduentu cognito, Synderouiâ arce atque oppido ad Danubij ripam expugnato, retroceſſit.

Cæſar de Turcarum abitu certior, dimiſſo exercitu, Budam reuertitur. Sed inſolito ardentis Sirij calore vexatus, dum immoderato melopeponum eſu æſtum leuare conatur, in dyſenteriam incidit.

Quare in Auſtriam properans, ingraueſcente malo, Princeps religioſiſſimus & longiore vitâ digniſſimus, prope Strigonium moritur VI. Kalendas Nouembris, anno M. CCCC. XXXIX.

Atque ita, amorem & delicias generis humani, vt olim Titum, infeſta mortalibus numina, intra biennium ſuſtulere, ætatis ſuæ anno XLIV.

Natus illi fuit poſthumus Ladiſlaus, Hungariæ & Bohemiæ Rex atque Archidux Auſtriæ.

Imperauit annum I. menſes VII.

FREDERICVS IV.

Ex Pompâ Introitus FERDINANDI AVSTRIACI, *Hispaniar. Infantis, in Vrbem Antuerpiam*, C. Geuartio *Auctore descriptâ.*

FREDERICVS IV. cognomento Pacificus, Ernesti Austriæ Archiducis & Cimburgæ Mazouiæ filius, natus est Æniponti apud Tirolenses anno M. CCCC. XV. ad IX. Kalendas Octobris.

Hierosolymam, ætatis suæ anno XXI. Pietatis ergô profectus, loca sacris CHRISTI Seruatoris calcata vestigiis, eiusque sepulchrum est veneratus.

Alberto II. Augusto Patruele suo, ante diem vitâ functo, conspirantibus Electorum suffragiis, Francofurti in eius locum suffectus est III. Kal. Aprilis anno M. CCCC. XL. & deinde Aquisgrani coronatus.

Ladislao Alberti II. Augusti filio posthumo tutor datus, eumdem vel adhuc in cunis vagientem, in hereditaria Hungariæ & Bohemiæ Regna, Austriæque Archiducatum inaugurari curauit: eodemque vsque ad pubertatis annos sanctè apud se educato, maximis eam ob rem difficultatibus bellisque conflictatus, Austriam, communibus cum Elisabethâ Augustâ pupilli matre auspiciis, administrauit.

Schismate in Ecclesiâ exorto, FREDERICI operâ Amedeus Allobrox Pontificatu se abdicauit.

Rebus in Austriâ ac Bohemiâ compositis, in Italiam profectus, Heleonoram, Eduardi Lusitaniæ Regis filiam, Romæ in vxorem duxit, Nicolao V. Pontifice Maximo solemni ritu dextras iungente, beneque ipsis ac posteritati ominante.

Tertio pòst die, Cæsar ingenti pompâ in Rom. Impera-

CLII.

NESCIS PRINCIPES IACVLATORVM ESSE SCOPOS? ALTA FVLMEN FERIT, NON CASAS HVMILES. PVLCHRE NOBISCVM AGITVR, SIQVANDO VERBIS OPPVGNAMVR.



Poſtquam annos XLVI. imperaſſet, Maximilianum Filium conſortem Imperij fecit, imperauitque cum eo annos VII. atque obiit ætatis ſuæ anno LXXVIII.

peratorem conſecratus, coronam & alia Romani Imperij inſignia accepit, acclamante populo Romano: FREDERICO PACIFICO, A DEO CORONATO IMP. VITA ET VICTORIA.

Hinc ab Alphonſo Arragonio Neapolitanorum Rege, Heleonoræ Auguſtæ Auunculo, inuitatus, Neapolim ad illum diuertit, maximiſque honoribus exceptus eſt.

Ferrariam digreſſus, Borſium Eſtenſem, Mutinæ Rhegijque Ducem, & Rouigij Comitem creauit.

Ex Italiâ in Germaniam redux, cùm plena omnia tumultuum ibi reperiſſet, Hungaris Bohemiſque Ladiſlaum Regem, iam pubertatis annos egreſſum, ſibi tradi certatim flagitantibus, ſeditiones naſcentes prouidè compoſuit.

Auſtriacos quoſdam perduelles, qui Duce Eitzingero, accitiſque Bohemis, Cæſarem Neapoli Auſtriæ obſidere auſi erant, eò adegit, vt pacem ſupplices petere, atque in eam rem auri ſex mill. nummûm quotannis pendere coacti fuerint.

Cilienſem Comitatum, in poteſtatem ſuam redactum, ditionibus auitis adiecit, & Stiriæ partem eſſe iuſſit.

Henricum Goritiæ Comitem, qui in Carnis tumultus excitauerat, in ordinem redegit.

Ladiſlao, Hungariæ & Bohemiæ Rege, immaturâ morte prærepto, Archiducatum Auſtriæ ſolus obtinuit, & in Hungariæ Regem, à magnâ Procerum eius Regni parte, electus eſt.

Comitiis Ratisbonæ, atque alibi ſæpiùs, indictis, Principes Imperij ad bellum Turcicum cohortatus eſt; quòd Mahometes II. poſt Orientis Imperium, Conſtantinopoli

captâ,

captâ, à ſe occupatum, Germaniæ vniuerſæ formidabilis immineret.

Carolum, Belgarum Burgundionumque Principem, imperatis vndique auxiliis, ducto in illum LXXX. mill. armatorum exercitu, à Nouesij obſidione recedere coëgit: amicitiâ denique & affinitate ſibi copulauit, Mariâ Caroli Filiâ & herede vnicâ, Maxæmiliano, Cęſaris Filio, deſponsâ.

Eidem quoque Maxæmiliano, Brugis Flandrorum à ſeditiosâ plebe indignè detento, & liberæ cuſtodiæ tradito, cum ingentibus copiis in Germaniam Inferiorem deſcendens, ſuccurrit: eodemque in libertatem aſſerto, paucorum pœnâ contentus, diſcordiarum fomitem ſuſtulit.

Germaniam bellis perpetuis fatigatam longâ pace recreauit: quam eodem tenore, quoaduſque rerum potitus eſt, ſummâ moderatione coluit.

Obijt Lintzij in Auſtriâ XIII. Kalend. Septemb. anno M.CCCC.XCIII. Vixit annis LXXVIII.

Imperauit ann. LIII. menſ. IV.

MAXÆMILIANVS I.

Ex Pompâ Introitus FERDINANDI AVSTRIACI, *Hispaniar. Infantis, in Vrbem Antuerpiam*, C. Geuartio *Auctore descriptâ.*

AXÆMILIANVS, Frederici IV. Imp. & Heleonoræ Lusitanæ Filius, nascitur Neapoli Austriæ, XII. Kal. April. anno M. CCCC. LIX. Ad militiam, armorumque munia animum à naturâ factum habere videbatur. Adeoq; eâ ætate, quâ vix alij prima militiæ tirocinia faciunt, maxima bella suo ductu & auspiciis administrauit.

Duodevigesimo ætatis anno, Mariam, Caroli Burgundiæ Ducis Belgarumq; Principis, ad Nancæum cæsi, Filiam, amplissimarum ditionum heredem vnicam, Gandaui, Flandriæ metropoli, in vxorem duxit. Et ab ipsis statim nuptiis, ad constituendum Belgicæ Reip. statum, à Ludouico XI. Galliarum Rege pænè conuulsum, seriò se conuertit.

Ad Guynegatam in Morinis ingentes Gallorum copias deleuit, & non exiguam Hannoniæ partem, vnà cum Cameraco, recepit.

Mariâ Coniuge inter venandum ex equo lapsâ, ac paulò pòst fato functâ, Flandricas factiones, ob Philippi Filij tutelam ortas, compescuit.

Vigesimumoctauum ætatis annum agens, Francofurti Rex Romanorum declaratus, Aquisgrani inauguratur; & deinde, Patre Frederico Aug. mortuo, pleno iure in Imperium succedit.

A morte Matthiæ Coruini, Hungarorum Regis, qui magnam Austriæ partem, eiusque metropolim Viennam occuparat, non solùm auitum patriumque Principatum recuperauit; sed & Albam Regalem, ciuitatem nobilissimam, aliasque in Pannoniâ vrbes expugnauit.

Atre-

CLIII.

PER TOT DISCRIMINA RERVM.



In Imperio, Patre viuente, VII. posteà solus XXVI. annis sedit: LIX. verò ætatis anno naturæ legibus satisfecit.

Atrebatum, Artesiæ caput, insigni stratagemate, deceptis hostium custodiis, in potestatem redegit.

Turcarum innumerabiles copias, qui Carnioliam, Ciliam, Carinthiam, Stiriam ferro flammaque depopulabantur, fudit fugauitque.

Carolum Egmondæ Regulum, qui, Gallorum opibus fretus, multa turbauerat, Geldriæ ditione ac titulo, ex Electorum Principum decreto, abstinere iussit.

Philippum Rheni Palatinum, Septemuirum, arrogantiùs se gerentem, ac magnis Bohemorum copiis instructum, ingenti clade affecit, supplicemque fieri coëgit: omnisque mox iniuriæ oblitus, nullo non beneuolentiæ genere illum prosecutus est. Præclaram eam victoriam ducens, in quâ plus esset Clementiæ quàm Seueritatis.

Cum Venetis ancipiti Marte primùm congressus, mox amplissimas eius Reipub. vrbes, Veronam, Patauium, Vincentiam, Feltrium, aliasque occupauit.

Mediolanum Gallis ereptum, Sfortiæ Duci restituit.

Germaniam latrociniis liberam reddidit: eadem sub eius felici Imperio tam armis quàm litterarum studiis efflorescere, caputque supra alias nationes extollere cœpit.

Multa in re militari partim noua attulit, partim meliora fecit. Phalangem ex hastatis peditibus compositam, Romanæque legionis æmulam, restituit: militiamque pedestrem inter Germanos iam obsolescentem, in pristinum ordinem & splendorem redegit.

Æniponti apud Tirolenses instructissimum armamentarium instituit: altera, quæ Viennæ, Brisiaci & Mechliniæ moliebatur, morte præuentus, non absoluit.

Antuer-

Antuerpiam, traductis eò omnium gentium commerciis, in celeberrimum Emporium erexit: Brugarum gratiâ, quòd ibidem à factiosâ plebe in custodiam datus fuisset, apud illum senescente.

Liberalitatis eius & magnificentiæ argumento hoc sit, quòd in memorabili illo Principum Christianorum congressu, anno M. D. XV. Viennæ celebrato, tres Reges, Vladislaum Hungariæ, Ludouicum Bohemiæ, & Sigismundum Poloniæ, impendiis suis exceperit.

Philippi Filij sui Austriæ Archiducis, Belgarum & Burgundionum Principis, matrimonio cum Ioannâ Ferdinandi & Isabellæ Catholicorum Castellæ & Arragoniæ Regum Filiâ contracto, Hispaniarum Indiarumque Imperia in Augustam Austriæ Domum intulit.

De mutuo item Liberorum & Nepotum coniugio, & iure successionis in Regnis Hungariæ & Bohemiæ cum Vladislao Rege, Viennæ transegit. Adeoque stirpe suâ splendidissimis connubiis stabilitâ, alter quasi Austriæ Familiæ Conditor dici meruit.

Excessit è vitâ apud Velsium, superioris Austriæ oppidum, Prid. Eid. Ianuar. anno salutis M. D. XIX.

Vixit annos LIX. menses IX. dies XXI. Imperauit annis XXXII. mensibus XI.

CAROLVS V.

Ex Pompâ Introitus FERDINANDI AVSTRIACI, *Hispaniar. Infantis, in Vrbem Antuerpiam*, C. Geuartio *Auctore descriptâ.*



ONSPIRAVERE Virtus & Fortuna, vt CAROLVM Aug. ad ſupremum Felicitatis & Potentiæ faſtigium extollerent.

Quin & ipſa rerum Natura, velut dignum tanto Heroï metaretur hoſpitium, nouo Orbe, paulò ante illius natiuitatem, Aui eius auſpiciis inuento, latiùs ſeſe aperuit ac detexit: quaſi maiori ſpatio opus eſſe iudicaret, quo illæ naſcituri Principis, poſt omnia ſæcula maximi, Virtutes reciperentur.

Natus eſt in ampliſſimâ Flandriæ metropoli Gandâ, anno ipſo Sæculari, Milleſimo & quingenteſimo ineunte. Tamquam & nouum Sæculum, à tanti Principis ortu, condente Naturâ.

Pater illi Philippus, Imp. Cæſ. Maxæmiliani Aug. Fil. Primus eius nominis Hiſpaniarum Rex: Mater Ioanna, Ferdinandi & Iſabellæ, Catholicorum Caſtellæ & Arragoniæ Regum Filia.

Pueritiæ eius, Pietate, litteris, morumque diſciplinâ imbuendæ, præfecti fuere Gulielmus Croyius, Ceuriæ Regulus, & Hadrianus Florentius, Vltraiectinus, Theologus eximius: qui deinde, CAROLO iam Imperium tenente, ad ſummum Pontificatum euectus eſt.

Annum agens XV. ab Auo Cæſare emancipatus, Belgicis Prouinciis; ac triennio pòſt, Hiſpaniarum Regnis, incredibili pompâ ac ſplendore inauguratur.

Vndevigeſimo ætatis ſuæ anno, Romanorum Imperator Francofurti renuntiatus eſt, & ſequenti anno M. IϽ. XX. Aquiſgrani, Imperiali diademate inſignitus. Quò tempore & Solymannus Turcici Imperij gubernaculis admotus eſt. Vt nemini dubium eſſet, CAROLVM Auguſtum Ottomannicæ potentiæ cœlitus obiectum eſſe.

Sub ipſis Imperij initiis, Mexicanum Regnum opulentiſſimum, Duce Ferdinando Corteſio, vt & paulò pòſt, Perua-

CLIV.

VT SOL IN SVMMO FASTIGIO TARDISSIME MOVETVR, NEC ALIVS INOPI QVAM LOCVPLETI SPLENDET; ITA PRINCIPES IN SVMMVM IMPERII FASTIGIVM EVECTOS, NON PRÆCIPITARE CONSILIA, SED CIRCVMSPECTE AGERE, ET LVCEM IVSTITIÆ AC CLEMENTIÆ SVÆ SVMMIS AC INFIMIS PARITER PRÆBERE DECET.



Vbi XXXVIII. annis Imperio ſummâ cum laude præfuiſſet, ætatis ſuæ anno LVIII. in Hiſpaniis obiit.

Peruanum, Franciſci Pizarri operâ ſubegit: Chriſtique cultu illato, Orbem nouum, immenſis Oceani Atlantici ſpatiis ab Europâ diuiſum, Religione armiſque Hiſpaniarum Imperio iunxit atque connexuit. Triumphum, quàm omnes ante ſe Imperatores, tantò promeritus maiorem, quantò plus eſt, Chriſtianæ Pietatis, verique cultus Diuini, quàm Imperij terminos propagaſſe.

Gallorum Regem Franciſcum I. perpetuum fortunæ ſuæ & magnitudinis æmulum, ductu Caroli Lanoij, Belgæ, in Inſubribus acie victum, cum præcipuâ Gallicâ Nobilitate, ad Ticinum, die natali ſuo, cepit: eumdemque, poſt annum in liberiori cuſtodiâ exactum, libertati reddidit, Heleonorâ, Sorore ſuâ, illi in vxorem datâ: ac viciſſim ius omne, quod Gallis in Flandriam, Arteſiam, Neapolim, Mediolanum ac Genuam competebat, Franciſco Rege Victori Cæſari cedente.

Franciſcum Sfortiam in Ducatum Mediolanenſem reſtituit: & Venetis pace datâ, vniuerſæ Italiæ otium & tranquillitatem procurauit. Vltraiectinam & Tranſiſalanam Ditionem Belgicis Prouinciis adiunxit.

Florentiam diuturnâ obſidione preſſam in poteſtatem recepit: eidemque Alexandrum, Medicææ Familiæ Principem, Ducem dedit.

Solymannum Ottomannum, Turcarum Imperatorem, cum CCC. equitum peditumque mill. Pannonias vaſtantem, bis ab obſidione Viennæ repulit, ac ingenti clade illatâ in Thraciam recedere compulit, ſeruatâ Germaniâ.

Claſſe inſtructiſſimâ in Peloponeſum, ductu And. Auriæ, Liguris, miſsâ, Methonem & Coronem, vrbes celeberrimas, aliaque loca munitiſſima, Turcis eiectis, occupauit.

Tunetanum Africæ Regnum Hariadeno Ænobarbo, tyranno, eripuit, ac Muleaſſi, legitimo Regi reſtituit, eumdemque ſibi vectigalem reddidit; Goletâ arce retentâ, validoque præſidio firmatâ. Quo bello ſupra duode-
viginti

viginti Christianorum captiuorum millia è seruitute durissimâ vindicauit, & in patriam reduxit.

Mare Mediterraneum, assiduis piratarum rapinis infestum, nauigantibus tutum & securum præstitit.

Ad intestinos motus in Flandriæ metropoli excitatos maturè componendos, ex Hispaniis per medias Gallias, summâ hieme, paucis comitibus aduolauit: nullis acceptis obsidibus, solâ fide publicâ, Regisque verbo securus. Pulchro (me Dius fidius) inter maximos Principes certamine! Iureque dubites, magísne Cæsaris de Regis Francisci in se animo securitatem ac fiduciam; an Regis fidem admireris.

In Africam denuò expeditione susceptâ, quamquam vi tempestatis cælique iniuriâ, maximis cladibus ad Iuliam Cæsaream obrutus, inuictæ & heroïcæ cuiusdam virtutis ac constantiæ monumenta reliquit.

Gulielmum, Cliuiæ Ducem, qui profecto ad bellum Africanum Cæsare, Gallorum promissis & auxiliis subnixus, Brabantiam inuaserat, debellauit: ac Prouincias, Geldriam ac Zutphaniam ab illo recuperauit.

Ioannem Fredericum, Saxoniæ Ducem, perduellem, Albi flumine transmisso, incredibili celeritate vsus, ductu suo, cruentâ pugnâ vicit, cepitque: quâ clade territus Philippus, Hassiæ Regulus, supplex se suaque omnia voluntati & clementiæ Cæsaris dedidit, ac captiuum vltrò se stitit.

Tumultuantis Germaniæ motibus sedatis, PAVLVS III. Pont. ex Cardinalium Senatusconsulto, Maximi cognomentum CAROLO attribuit: tamquam omnes retrò Principes, adeoque ipsum Carolum Magnum, Imperij magnitudine, & rerum gestarum gloriâ longè supergresso. Ille siquidem Saxoniæ domandæ annos ampliùs triginta; hic vix trimestre impendit.

Aphrodisium, munitissimum Africæ oppidum, ductu Ioannis Vegæ, Proregis Siciliæ, Draguthe piratâ pulso, expugnauit.

Post Metensis vrbis, à Gallis interceptæ, obsidionem, inusitatâ hiemis inclementiâ sæuiente, ac lue in exercitum

grassante, maturè solutam, Morinorum oppidum Teruanam, Flandriæ infestissimam, à se expugnatam, solo æquauit: Hesdinum recuperauit.

Corsicam Genuensibus asserüit: Senarum vrbem cepit, pulsis inde & ferè omni Etruriâ Gallicis armis.

Difficillimis expeditionibus & profectionibus susceptis, nouies in Germaniam Superiorem, sexies in Hispaniam, septies in Italiam, decies ad Belgas, quater, tam pacis quàm belli tempore, in Franciam, bis in Angliam, bis in Africam est profectus.

Mare Mediterraneum octies, Oceanum Hispanicum quater nauigauit.

Orthodoxæ Religionis propugnandæ ac propagandæ zelo incredibili inflammatus, Gentibus à Christianâ Pietate alienis, vltrò; Christianis Principibus numquam, nisi lacessitus, bellum intulit.

Demum rebus maximis, quà ductu, quà auspiciis suis, terrâ marique gestis; Indicis, Africanis, Turcicis, Gallicis, Italicis, Germanicis, Saxonicis, Sicambricis victoriis clarus, cùm Augustæ Domus suæ Imperium Orbis terrarum finibus terminasset, corpore laboribus pro Repub. Christianâ susceptis iam exhausto, qui omnibus vixerat, Deo sibique quod vitæ supererat viuere decreuit.

Itaque eius Diuina mens, contemptorque ambitionis, & infinitæ potestatis domitor ac frænator animus, post tot gentes subactas, postremò (quo nullus homini triumphus obtingere maior potest) suiipsius victor exstitit.

Quocirca, rarissimo Principum exemplo, Regnis Imperioque sese exuens, Belgicas Prouincias, Hispaniarum Indiarumque Regna, Philippo Filio; Romani autem Imperij gubernacula, Ferdinando Fratri vltrò cessit: dubium relinquens, maiorémne laudem in Imperio, totque Regnis administrandis, an in iis simul omnibus abdicandis, promeritus sit.

Hinc, cum duabus Sororibus viduis, Heleonorâ Galliarum, & Mariâ Pannoniarum, Reginis, in Hispaniam profectus, in D. Iusti Cœnobio, haud procul à Placentiâ ciuitate

ciuitate ſito, cum paucis familiaribus, rebus Diuinis vacans, vix anno vno & menſibus aliquot ſuperfuit; animamque Cælo, vnde venerat, reddidit. Id nempe agentibus Superis, ne poſt illud Diuinum factum quippiam mortale ageret.

Libet ſupremæ Galliarum Curiæ Præſidis ſententiâ Elogium hoc obſignare. eius iſtud eſt de CAROLO Aug. teſtimonium & iudicium: *Nullum perfecti magis, & ad omnem virtutem expreſſi Principis exemplar, noſtrâ & retrò ſæculorum memoriâ reperiri poſſe, quod iis, qui ad Imperium virtutis viâ graſſantur, ad imitandum proponi queat.* Iac. Aug. Thuan. *Hiſtor.* *lib.* 21.

Deceſſit XI. Kal. Octob. ann. ſalutis CIↃ. IↃ. LVIII.

Vixit annos LVIII. menſ. VI. dies XXV.

Imperauit ann. XXXVIII.

FERDINANDVS I.

Ex Pompâ Introitus FERDINANDI AVSTRIACI, *Hispaniar. Infantis, in Vrbem Antuerpiam*, C. Geuartio *Auctore descriptâ.*

PTIMVM ac laudatissimum Principem Hispania Germanis meritò imputet: & in quo Pacis artes tantum effloruere, quantum in Fratre eius Carolo Aug. bellica gloria sese extulit.

Natus Compluti, apud Carpetanos, in Regno Castellæ, VI. Idus Mart. anno CIↃ. IↃ. III. atque apud Ferdinandum Castellę & Arragoniæ Regem, maternum Auum, educatus, Aluaro Osorio præceptore; Petro Nonio Gusmano, Calatrauæ Militiæ Præfecto supremo, morum & aulæ Magistro, vsus est.

Auo materno vitâ functo, & Carolo Fratre Hispaniarum Regnis inaugurato, adolescens ipse ex Hispaniâ in Belgium profectus, summæ rerum ibidem præfuit.

Decimo octauo ætatis suæ anno, in Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carnioliæ aliarumque Augustæ Domus Austriæ Ditionum possessionem, Fratre eius iam Cæsare vltrò cedente, missus est. Moxque Annam Iagellonicam, Vladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis Filiam vnicam, Lintzij Austriæ oppido vxorem duxit.

Ludouico Hungariæ & Bohemiæ Rege, Affine suo, ad Mohatium oppidum à Turcis cæso, vtrumque Regnum cum Silesiâ, Morauiâ, Lusatiâ aliisque prouinciis, iuxta pacta maiorum, & in primis Maxæmiliani Aug. cum Vladislao Rege, FERDINANDI Socero, inita, iure hereditario adiit.

Ioannem Zapolianum, Transyluaniæ Principem, factioso-

CLV.

PACIFICATIO HOMINVM STVDIIS NON CONSTITVITVR: NEGOTIVM EST CÆLESTE.



Cum Fratre CAROLO V. Imperio præfuit XXVII. annis: ſolus imperauit annis VI. obiit ætatis anno LXI.

ctiosorum quorumdam ope, contra ius & fas, Hungariæ sceptro inhiantem, aduentus sui terrore in fugam egit, Regnique finibus expulit; ac singulari felicitate, sine cæde & sanguine, Budâ metropoli potitus est.

Solymannum Turcarum tyrannum, qui, Zapoliano reducto, per Pannonias grassatus, vniuersæ Germaniæ iugum immanissimum minabatur, ac Viennam CCC. hominum millib. cinxerat, obsidionem soluere compulit: cùm Turcæ vicies muros vrbis subiissent; vicies à mœnibus, virtute propugnatorum, cum ingenti clade repulsi essent.

Spectatâ inde eius industriâ, quam, absente & Hispanicis Italicisque negotiis Carolo Cæsare distracto, tum alibi, tum in Imperij Comitiis sæpenumerò probauerat; eiusdem Cæsaris voluntate, necnon communi Electorum ac Statuum Imperij consensu, Rex Romanorum, Fratrisque in Imperio successor renuntiatus est Coloniæ, anno CIↃ. IↃ. XXXI. Nonis Ianuar. & mox III. Idus eiusdem mensis Aquisgrani, more solito, coronâ donatus.

Bellum Saxonicum cum Fratre Cæsare feliciter gessit; atque in conflictu Milburgico animum inuictum vereque regium ostendit.

Bohemorum quorumdam contra ipsum seditiones, paucorum pœnâ contentus, sapienter compescuit: sanatisque Principum animis exulceratis, pacem Imperio donauit.

Wirtembergicam Ditionem Vdalrico restituit, titulo, necnon successionis & clientelæ iure, sibi suisque reseruato.

Imperij diadema, sceptrumque, Carolo Aug. Fratre suo

ſuo illud abdicante, principio anni CIↃ. IↃ. LVIII. pleno iure ſuſcepit.

Germaniam nefariis opinionibus ac diſſidiis diſcordem ad Catholicæ Religionis vnitatem reducere aſſiduè laborauit.

Manſuetudo, comitas, affabilitas, erga homines religioſos ac litteratos amor tantus in eo enituit, planè vt Imp. Cæſ. Ferdinandi II. Auum, ac Ferdinandi III. Aug. nunc feliciter Orbi imperantis, Proauum fuiſſe agnoſcas.

Obijt, magno ſui relicto deſiderio, Viennæ VIII. Kalend. Auguſt. anno Sal. CIↃ. IↃ. LXIV. Sepultus eſt Pragæ.

Vixit annos LXI. menſ. IV. dies XV.

Imperauit ann. VI.

MAXÆMILIANVS II.

Ex Pompâ Introitus FERDINANDI AVSTRIACI, *Hispaniar. Infantis, in Vrbem Antuerpiam*, C. Geuartio *Auctore descriptâ.*

VAM fausta felixque successio, optimis & clementissimis Cæsaribus, lætissimâ Imperij propagine, recensendis!

MAXÆMILIANVS II. Imper. Cæs. Ferdinandi I. Filius, natus est Viennæ ipsis Kalend. Augusti, anno CIↃ. IↃ. XXVII. Matre Annâ, Vladislai, Hungariæ & Bohemiæ Regis, Filiâ.

Primum in re militari tirocinium fecit sub Cæsare Carolo V. Aug. Patruo suo, bello Smalcaldico duobus equitum mill. præfectus: & iam tum non pauca excelsi animi ac virtutis heroïcæ documenta illustria edidit.

Alterum & vigesimum ætatis annum agens, Bohemiæ Rex designatus, in Hispaniam profectus est; vbi Mariam, primogenitam Imp. Cæs. Caroli V. Aug. Filiam, in vxorem duxit, Hispaniarumque Regnis, Soceri vice, præfuit: dum euocatus in Germaniam Inferiorem à Patre Cæsare Philippus Princeps, Belgicas prouincias sacramento fidelitatis sibi obstringit.

Triennio Hispaniarum Regnis moderandis exacto, cum Vxore ac Liberis, Barcinone Genuam appulit: atque inde per Mediolanum, Tridentum, ac Æniponțum, in Austriam est reuersus.

Intra anni vnius spatium, trium Regnorum diademate, Bohemici, Romani, & Hungarici, raro felicitatis exemplo, (quod Alberto II. Aug. etiam obtigit) donatus est.

Post Ferdinandi Parentis obitum, Imperij administrationem

CLVI.

DOMINVS PROVIDEBIT.



Vixit annos XLIX. menſ. II. dies XII. Imperauit ann. XII.

tionem ſuſcipiens, Duce Lazaro Suendio, in Ioannem Sigiſmundum, Tranſyluaniæ Principem, auxiliis Turcicis ſubnixum, arma conuertit; ac munitiſſimas vrbes, Tocaium, Veſprinium, Tatam, aliaque oppida illi ademit.

Solymanno Turcarum Imp. infinitis ex Aſiâ atque Europâ contractis copiis, anno CIƆ. IƆ. LXVI. in Pannoniam irruenti, ipſe XXV. Equitum & LXXX. Peditum millia ſecum ducens, obuiàm progreſſus eſt.

Et cauta potiùs conſilia cum ratione quàm proſpera ex caſu ſecutus, caſtris ad Iaurinum poſitis, in omnes Solymanni conatus inuigilabat; cùm binos exercitus, Ducibus Ferdinando & Carolo, Fratribus ſuis, Regni finibus tutandis prouidè miſiſſet.

Zigetum vrbem Sultanus obſedit: quam licet Nicol. Comes Zerinius acerrimè propugnaret, tandem tamen poſt menſis vnius obſidionem expugnata fuit; ipſo Comite Zerinio, cum inſigni nobilium Hungarorum manu, à Barbaris interempto; at non inulto.

Quippe non tantùm XX. hoſtium millia in eâ obſidione cæſa ſunt; ſed & ipſe Barbarorum Ductor Solymannus locum illum ſibi fatalem ſenſit. Triduo enim ante vrbis expugnationem, fremens frendenſque, maximâ ſpe ſuâ, quâ Viennam, ipſamque iam deuorarat Germaniam, ſe excidere, infelicem exhalauit animam.

A morte Sultani, in Thraciam regreſſus eſt eius exercitus: & Ioannes Sigiſmundus, ſolutâ Tocai oppidi obſidione, in Tranſyluaniam ſe recepit: atque ita liberatâ ingenti metu Germaniâ, certa ſalus cunctis oborta eſt: ipſeq; Cęſar, dimiſſis copiis, poſt luſtratum Comaronium, Viennam eſt reuerſus.

Ex

Ex Mariâ Coniuge IX. Filios & VI. Filias suscepit: è quibus Annam Philippo II. Hispaniarum; & Isabellam Carolo IX. Galliarum, Regibus elocauit.

Post Henrici Valesij Regis ex Poloniâ in Gallias discessum, in Regem Polonorum electus est MAXÆMILIANVS; sed præproperâ morte ereptus, Regnum non adiit.

Viros eruditos eâ humanitate ac munificentiâ fouit, vt eius Aula plures litteratos habuerit quàm aliorum tota Regna.

Multarum linguarum ita peritus fuit, vt cum Rege Mithridate certare potuisse videatur: nam præter idioma Germanicum, Latinè, Hispanicè, Italicè, Gallicè, Hungaricè, Bohemicè ac Belgicè disertè & expeditè loquebatur.

Plurimum curæ, solicitudinis atque sumptuum impendit, vt nascentes apud Belgas bellorum ciuilium motus componeret; sed meliori id consilio est conatus quàm euentu.

Multum illi vel hoc nomine debet Belgica, quòd duos eius Filios, Ernestum & Albertum, Archiduces; illum quidem pro Philippo II. Hispaniarum Rege harum prouinciarum Moderatorem; hunc verò, ductâ Isabellâ Clarâ Eugeniâ, Philippi Filiâ, etiam Principem ac Dominum, feliciter sortita fuerit.

In Comitiis Ratisbonensibus, præmissâ Rodolphi II. Filij sui inauguratione, vitâ excessit, anno sal. CIↃ.IↃ.LXXVI. IV. Idus Octob. Conditus est Pragæ in Basilicâ Cathedrali.

Vixit annos XLIX. mens. II. dies XII. Imperauit ann. XII.

RODOLPHVS II.

Ex Pompâ Introitus FERDINANDI AVSTRIACI, *Hispaniar. Infantis, in Vrbem Antuerpiam*, C. Geuartio *Auctore descriptâ.*



RODOLPHVS II. Imp. Cæſ. Maxæmiliani II. Aug. Filius, naſcitur Viennæ Auſtriæ, XV. Kalend. Sextil. anno CIↃ. IↃ. LII. Matre Mariâ, Imper. Cæſ. Caroli V. Aug. Filiâ.

Adoleſcens in Iberiam ad Philippum II. Hiſpaniarum Indiarumque Regem, Auunculum ſuum, vnà cum Fratre Erneſto Archiduce ſe contulit; vbi Regum Maximi ac Sagaciſſimi conſuetudine Ciuilem omnem Prudentiam imbibit.

In Germaniam poſt ſeptennium reuerſus, vigeſimo ætatis ſuæ anno, in Hungariæ; & triennio pòſt, in Bohemiæ ac Rom. Regem inungitur: moxque à morte Cæſaris Parentis ſui, eidem in Imperio, conſentientibus vtriuſque Ordinis Principum ſuffragiis, ſuccedit.

Sub ipſis Imperij primordiis Carolopolim, munimentum fortiſſimum, Turcarum incurſionibus coërcendis, in Illyrico excitauit.

Gebhardum Truchſeſium, Colonienſium Præſulem, quòd ab Orthodoxâ Religione palàm deſciuiſſet, dignitate priuauit, ac Semptemuirorum Principum Collegio eiectum proſcripſit.

Cum Amurate III. Turcarum Imper. nouennale induciarum fœdus iniit; ſed iis haud multò pòſt per ſummam Barbarorum perfidiam violatis, vix aliàs vmquam grauiora Pannoniis bella intulere Turcæ quàm hac tempeſtate. At id non impunè.

Anno ſiquidem CIↃ. IↃ. XCIII. ad Siſacum, Croatiæ arcem munitiſſimam, ab Hazane Purpurato Boznenſi obſidione arctiſſimè cinctam, Cæſarianus exercitus ſupra XX. Turcarum mill. ad internecionem deleuit. Præter Hazanem Ducem, rupti fœderis auctorem, & Mahemetem, Amuratis Sultani ex ſorore nepotem, XII. Prouinciarum Præfecti occubuere. Signa militaria omnia & caſtra cum tormentis impedimentiſque vniuerſis capta &

CLVII.

A. D. S. I. T.



Vixit annos LIX. menſ. VI. Imperauit ann. XXXVI.

& direpta; cùm ex Cæſarianis vix L. eſſent deſiderati.

Nec multò pòſt, ad Albam Regalem, Hungariæ vrbem, cum Turcis denuò atrox prælium commiſſum eſt; eo euentu, vt, cùm hoſtilis Equitatus proſterni à Cæſarianis ad vtrumque aciei latus Peditatum & Prætorianas cohortes conſpexiſſet, pauore ingenti correptus, nec primum noſtrorum impetum ferre potuerit, quin illicò relictis tormentis in effuſam fugam ſe dederit, Peditum VI. Equitum IV. millib. amiſſis. Atque ita de fœdifragis Barbaris vltores Superi non dubias pœnas exegerunt.

Zabatica item, Filecum, Deninia aliaque plurima Hungariæ Superioris oppida & arces, quas XXX. ampliùs annis hoſtes tenuerant, vnâ expeditione recuperata ſunt.

Cum Sigiſmundo Bathorio, Tranſyluaniæ & Walachiæ Principe, viciniſque Regulis fœdus de bello Turcis iunctis viribus inferendo Cæſar percuſſit: tantaque animorum contentione aduerſus immaniſſimum Chriſtianæ Religionis hoſtem tunc itum eſt, vt plurimis Byzantio proximis munitionibus feliciter occupatis, grauiſſimiſque cladibus illatis, ipſa barbari Imperij ſedes contremiſceret.

Strigonium, Hattuanum, Alba Regalis, Iaurinum, Veſprinium, aliæque non ignobiles Hungariæ, Dalmatiæ & Croatiæ arces à Cæſarianis ſunt expugnatæ.

Varadinum oppidum, à validiſſimo CXL. mil. Turcarum ac Tartarorum exercitu ſex & triginta diebus continuis acerrimè oppugnatum, à noſtris fortiter defenſum eſt.

Mahemetes Hodabendes, Perſarum Rex, præcellentium in RODOLPHO Aug. virtutum famâ prouocatus, ſplendidiſſimis legationibus non ſemel miſſis, eius amicitiam vltrò ambiit; vtque in communi hoſte armis perſequendo ſecum pergeret, hortatus eſt.

Poſt bellum totis annis XV. cum Ottomannis, Patre, Filio & Nepote geſtum, ad Pacis deſiderium compulſis Barbaris, inducias annorum XX. cum Achomate, Turcarum tyranno, V. Eid. Nouemb. anno CIↃ. IↃC. VI. ad Comaronium pepigit. Boſcainam factionem, & inteſtinos Procerum

Procerum motus oppressit: Transyluaniam Hungariæ Regno restituit.

Ioanne Gulielmo, Iuliæ ac Cliuiæ Duce, sine liberis mortuo, natísque de hereditatis iure Neoburgicum inter & Brandeburgicum aliosque Principes controuersiis, arbiter & sequester Cæsar Leopoldum Archiducem, Patruelem suum, cum iustis copiis in eas Prouincias delegauit; à quo Iuliacum aliaque oppida sunt occupata.

Ernestum, Matthiam, & Maxæmilianum Archiduces, Fratres suos, supremos militiæ aduersus Turcas Præfectos habuit; eorumque virtute Barbaris obiectâ, securus ipse remissiorque quibusdam visus est: ast vbi res postulabat, erectus & acer, ingentibus negotiis par erat. Et omnino nec bello felicitas, nec pace magnificentia illi defuit. Incredibilis rerum omnium peritia, iudicium elimatum, maturum consilium ei famam dabant: adeoque, sedendo vincere dictus est.

Omnium bonarum artium, & Matheseos in primis, fautor & patronus singularis exstitit; cùm & ipse suas Orbis terrarum sceptris assuetas manus ad eruditum illum puluerem demittere non dedignaretur.

Picturarum elegantiis ita est delectatus, vt quascumque Orbis haberet eximias nobilium Artificum tabulas, sumptibus & impensis maximis sibi compararet.

Demum Regnis & Prouinciis omnibus Matthiæ Archiduci, Fratri suo, resignatis, decessit Pragæ anno salutis CIↃ. IↃC. XII. Pridie Idus Ianuar.

Vixit annos LIX. mens. VI. Imperauit ann. XXXVI.

MAT-

MATTHIAS I.

Ex Pompâ Introitus FERDINANDI AVSTRIACI, *Hispaniar. Infantis, in Vrbem Antuerpiam*, C. Geuartio *Auctore descriptâ.*

MATTHIAS I. Imp. Cæſ. Rodolphi II. Aug. Frater, natus eſt Viennæ anno CIↃ. IↃ. LVII. die XXIV. Februar. D. Matthiæ ſacro; felici ſanè omine & nomine. Siquidem variis aduerſus Turcas conflictibus virtus eius toties ſpectata fuit, vt inuictum illum Matthiam Hunniadem Coruinum, Hungariæ Regem, Ottomannici nominis terrorem, in illo renatum crederes.

Adoleſcentia eius ab Augerio Giſleno Busbequio, Belgâ, Imp. Cæſ. Ferdinandi I. Aug. ad Solymannum Turcarum Imp. Exlegato, optimis moribus ac diſciplinis informata, & de re militari contra Turcas inſtituendâ copiosè inſtructa fuit.

Erneſto Archiduce, Fratre ſuo, ad Belgicarum Prouinciarum Gubernacula nomine Philippi II. Hiſpaniarum Regis profecto, Pannoniæ Prorex, ſupremuſque Cæſarei exercitus aduerſus communem Chriſtiani nominis hoſtem Ductor, in eius locum ſurrogatus eſt.

Præfecturæ ſuæ primordia feliciter auſpicatus, ductis in Turcas copiis, Nouogradum expugnat: Sinanin Purpuratum cum centum armatorum millibus à Comaronij obſidione fugat.

Strigonio & Vizegrado victor potitur: ipſamque Budam magnâ vi & conatu eſt adortus, vrbe inferiore occupatâ; ſed ob grauiſſimas cæli tempeſtates pluuiaſque inuſitatas obſidionem ſoluit; cùm eodem die Turcæ à Varadino obſeſſo caſtra mouere ob eadem incommoda coacti eſſent.

CLVIII.

FIRMATVM CÆLITVS OMEN.



Vixit annos LXII. dies XXIV. Imperauit annos VI. menf. IX.

Hazanem Bassam ad Albam Regalem magnâ clade fundit, v. millib. Turcarum & Tartarorum cæsis; atque inter alios, Murate Budensi, & Mahemete Quihaia, supremis castrorum Præfectis.

Et hæc quidem fortiter ab illo gesta; istud verò prudenter, quòd in diuersa tractos Procerum Hungarorum animos magnâ iudicij dexteritate conciliauerit, Pacemque Regno restituerit.

Post vicennales cum Achomate, Turcarum Sultano, pactas inducias, Austriam cum Morauiâ ex cessione Cæs. Fratris sui accepit.

Anno CIↃ. IↃC. VIII. Posonij in Regem Hungariæ, & triennio pòst, Pragæ in Regem Bohemiæ est inauguratus.

Mox Annam, Ferdinandi Archiducis, & Annæ Mariæ, Mantuanæ Principis Filiam, magnifico apparatu Viennæ in Vxorem duxit.

Rodolpho Aug. Fratre sub initium anni CIↃ. IↃC. XII. ad meliorem vitam translato, MATTHIAS promerito pridem virtute ac laboribus suis Romani Imperij diademate à Septemuiris Principibus Francofurti insignitus est III. Eid. Iul.

Aquasgrani & Vesaliam, aliaque oppida ad Rhenum sita, suis & Alberti Archiducis, Belgarum Principis, Fratris sui, auspiciis, ductu Ambrosij Spinulæ feliciter occupauit.

Cùm se prole destitutum cerneret, consentientibus Archiducibus Maxæmiliano & Alberto, Fratribus suis, Filium adoptauit Ferdinandum Austriacum, Stiriæ, Carinthiæ,

rinthiæ & Carnioliæ Ducem, Patruelem ſuum, eumdemque in Bohemiæ & Hungariæ Regna ſucceſſorem deſignauit.

Anno CIↃ. IↃC. XVIII. dum Cæſar Viennæ afflictiore valetudine languet, coniurati Bohemiæ Proceres, globo armatorum facto, Arcem Pragenſem cum Armamentario ac Aulâ Regiâ occupant: inque conclaue vi irrumpentes, è Regni Gubernatoribus, aliis è ſublimi Aulæ feneſtrâ in ſubiectum ſolum deturbatis, aliis proſcriptis, velut furore lymphati populum ad libertatem vocant.

Qui præcipites acti fuerant, Deo ſuos protegente, ſalui atque incolumes, magno omnium ſtupore, ſurrexere. Omen haud obſcurum, Auſtriacam Familiam è tempeſtate iſtâ, quâ vix vmquam grauior Auguſtæ illi Domui incubuit, non modò incolumem, ſed & auctis viribus valentiorem euaſuram.

Atque iſtud eius procellæ initium fuit, quæ Bohemiam & Hungariam, finitimaſque Prouincias non paucas, in rebellionem, velut ſcopulum, adegit; totamque Germaniam, annos iam XX. & quod excurrit, continuos, Europâ vniuersâ in partes ſecedente, velut diluuio quodam inuoluit.

Cæſar integrum ferè annum cum perduellibus vario euentu luctatus, è viuis Viennæ decedit XIII. Kalend. Aprilis anno CIↃ. IↃC. XIX.

Vixit annos LXII. dies XXIV. Imperauit ann. VI. menſ. IX.

FERDINANDVS. II.

Ex Pompâ Introitus FERDINANDI AVSTRIACI, *Hispaniar. Infantis, in Vrbem Antuerpiam, C. Geuartio Auctore descriptâ.*



QVÆ tria in laudatiſſimis Imperatoribus potiſſimùm commendantur, Sanctitas domi, in armis Fortitudo, vtrobique Prudentia; ita hæc in Imp. Cæſ. FERDINANDO II. Aug. pariter enituere, vt velut concentu ac temperamento quodam virtutes miſcuiſſe videretur.

Natus eſt Græti in Stiriâ VII. Eid. Iul. an. CIↃ.IↃ.LXXVIII. Patre Carolo Archiduce, Imp. Cæſ. Ferdinandi I. Aug. Filio, Stiriæ, Carinthiæ ac Carnioliæ Duce; Matre Mariâ, Alberti Bauariæ Ducis Filiâ.

Adoleſcens in Italiam profectus, Lauretanam Deiparæ Ædem inſigni Pietatis ſtudio adiens, omnem operam ſuam in reuocandis ad Orthodoxam Religionem ſubditis populis ſanctè vouit.

In patriam redux, Mariam Annam, Guliel. Bauariæ Ducis Filiam, anno Sæculari CIↃ. IↃC. ad IX. Kalend. Maij, Vxorem duxit.

Ad ſolemnia Imperij Comitia Ratisbonæ indicta, anno CIↃ. IↃC. VIII. à Rodolpho Cæſare eſt delegatus, eiuſque loco iis præſedit: vt iam tum, quod moderaturus olim erat, aptaretur Imperio.

Venetorum in Foro Iulij infeſta arma, per triennium illata, feliciter repulit.

In Bohemiæ Regem, anno CIↃ. IↃC. XVII. ad III. Kalend. Iul. Pragæ; & ſequenti anno, Poſonij, ipſis Kalend. Quintil. in Hungariæ Regem ſolemni pompâ coronatus eſt.

Imp. Cæſ. Matthiâ Aug. è viuis ſublato, FERDINANDVS à Septemuiris Principibus Francofurti Romanorum Imperator eius nominis II. eſt renuntiatus V. Kalend. Septemb. anno CIↃ. IↃC. XIX.

Tum verò, excitati paulò antè ab hæreticis rebellionis motus, in apertum ſcelus erupere. Bohemi, FERDINANDO contra ius & fas abdicato, Fredericum, Comitem

Pala-

CLIX.

LEGITIME CERTANTI.



Vixit annos LVIII. menſ. VII. dies VI. Imperauit ann. XVII. menſ. V. dies XVIII.

Palatinum Rheni, Regem Pragæ proclamarunt. Moraui, Silesij, Lusatij, & Austriaci superiores; nec non confœderati Principes, Wirtembergicus, Hessus, Anhaltinus, Ansbachius, Durlachius, aliique Germaniæ Reguli, & Ciuitates aliquot Imperiales, cum Batauis, Palatini partibus se adiunxerunt.

Hungari Gaborem Bethlenium, Transyluaniæ Principem, Ottomannicis Tartaricisque auxiliis fretum, itidem Posonij in Regem elegerunt.

Cæsar interim, Orbis propè vniuersi in ipsum conspirantis viribus vndique circumsessus; Boiohemicis, Marcomannicis, Germanicis, Pannonicis, Dacicis, Turcicis, Scythicis armis illum oppugnantibus, causæ suæ æquitati ita confidebat, vt frequenti sermone affirmare auditus sit: Vrbes, Prouincias, Regna, Imperia, vitam ipsam sibi priùs, quàm animum constantiamque ad propugnandam Dei & Religionis causam, defuturam.

Post tentatas à clementissimo Principe frustrà omnes cum perduellibus Pacis conditiones, ad arma ventum. Auxilia & suppetias validas Philippus III. Hispaniarum & Indiarum, Sigismundus Poloniæ, Reges; Albertus, Austriæ Archidux, Belgarum & Burgundionum Princeps, FERDINANDO submisere. Saxoniæ item & Bauariæ Duces, Cæsari fidi, cum Ecclesiasticis plerisque Germaniæ Principibus inito fœdere, exercitum haud modicum, Ductore Bauaro, conscripsere.

Austriâ superiore ad obsequium Cæsaris redactâ, in ipsam rebellionis arcem Pragam communibus armis animisque itum est.

Ad vrbis tergeminæ & copiosissimæ mœnia, in Albi montis vertice, iuxta Stellam (id palatio nomen est) hostilium copiarum Ductor Anhaltinus Princeps castra vallo munita collocarat: ea supra XXV. armatorum millia explebant. Cum his, ductu fortissimi Principis Maxæmiliani, Bauariæ Ducis, & Caroli, Comitis Bucquoij, Belgæ, loco licet iniquissimo, de Religione, de Imperio, collatis signis, certatum est.

Cæsa-

Cæſariani in accliuem collem eniti, feſſi hoſtem aut inuadere, aut excipere coacti. Nihilominùs, ſingulari diuini Numinis ope, fuſæ fugatæque hoſtiles copiæ: v. ampliùs millia cæſa: mille circiter Moldâ flumine abſorpti: ſupra quingentos capti: atque inter illos, Principis Anhaltini Filius natu maximus; Stirumius, Slichius, & Rhenanus, Comites. Centum plus minùs vexilla, & x. tormenta maiora, adempta. Caſtra denique omnis opulentiæ plena ſunt direpta. E Cæſarianis vix ducenti cecidere.

Palatinus cum vxore ac Proceribus aliquot in Sileſiam fugâ euaſit. Et qui pridem Romanum ſpe deuorarat Imperium, vix quo ſe tutò reciperet, reperit: errabundus in Batauiam paulò pòſt dilapſus.

Obtigit cæleſtis hæc victoria anno CIƆ. IƆC. XX. ſexto Idus Nouemb. Dominico die, quo Eccleſia vniuerſa iſtam Dei exercituum vocem, velut pugnæ teſſeram, & victoriæ auſpicem intonabat: REDDITE QVÆ SVNT CÆSARIS, CÆSARI; ET QVÆ SVNT DEI, DEO.

Praga altero poſt pugnam die Cæſarianis ſe dedidit: & præſidiariorum in eâ vrbe militum IV. millia victricibus caſtris ſe adiunxerunt.

Bis viciſſe Cæſar viſus eſt: primùm armis, mox clementiâ; quâ ipſius victoriæ victor id vnum ſpectauit, vt perduellibus poſſet parcere. Nemo damnatus eſt, niſi pertinax in iniuriâ. Periere, qui noluere optimo Principi vitam debere.

Fredericus Palatinus, cum Anhaltino, Iagerdorffio, Hohenloio, aliiſque hoſtibus, proſcriptus, non tantùm Regno quod inuaſerat, ſed & Proauito Principatu exutus eſt: Palatinatus ad Rhenum parte Inferiore, ductu Marchionis Spinulæ; parte Superiore, duce Tyllio, Belgâ, Bauari Legato, occupatâ.

Heidelberga, vetus Principum Palatinorum ſedes, operibus & præſidiis munitiſſima, expugnata & direpta eſt.

Inter ſpolia longè nobiliſſimum fuit, Bibliotheca Palatina, ingenti Principum Electorum, cum Ptolemæis Attaliſque Regibus magnificentiâ certantium, ſtudio & impenſis

pensis maximis vndique congesta, ac præcellentium in omni disciplinâ Auctorum veterum, Hebræorum, Græcorum & Latinorum monumentis membranaceis, & manu exaratis codicibus instructissima. Hæc partim Bauaricæ Bibliothecæ illata; partim Romam, velut in triumphi pompam, auecta, & Gregorio XV. Pont. Max. dono data, Vaticanæ Bibliothecæ, ornamentum illius non minimum futura, adiuncta est.

Septemuiratus quoque dignitas, Frederico erepta, in Maxæmilianum, Bauariæ Ducem, est translata: atque interim deleti non semel, variis locis, Durlachij, Halberstadij Nothique Mansfeldij, perduellium, numerosissimi exercitus: ac singuli anni singulis aut geminatis victoriis distincti. Gabor item Bethlenius, Daciæ Princeps, pacem cum Cæsare iniit.

Cùm tranquillitatis toti Imperio restituendæ spes esset, Danorum Rex iam pænè fracta confœderatorum Principum arma refouens, è Saxoniæ Inferioris Prouinciis bellum Cæsari intulit. Sed vberem gloriæ segetem, palmasque nouas illi peperit, dum antiquas frustrà conatur extirpare. Etenim, copiis eius ad Calembergam, Luteram atque alibi cæsis & profligatis, felices FERDINANDI Aquilæ, quidquid Visurgim & Albim interiacet, ad Oceanum vsque Germanicum, victoriis emensæ sunt. Mox & Holsatiâ, totaque quàm latissimè patet, Cimbricâ Chersoneso subactâ, Danus ad Pacem à Cæsare petendam compulsus est.

Accessit demum ex vltimo Septemtrione excitus Suecorum Rex, Gustauus Ataulphus, vt intima Germanici Imperij viscera nouæ & bellicosissimæ gentis irruptione denuò quaterentur.

Hic priscæ Gothorum Regum gloriæ æmulus, immania Sueonum, Finnorum, Lappionumque agmina, non magis indigenâ & cognato ferro, quàm cælo suo armata, secum trahens, velut Aquilonis aut fulminis alis subuectus, vniuersam à Baltico mari, adusque Rheni & Danubij fontes Alpesque Rhæticas penetrauit Germaniam.

Post

Post Stralosondiam à Cæsarianorum obsidione assertam, Rugiamque insulam occupatam, in Continentem exscensu facto, cum Vandalorum Principe Bogislao, Pomeraniæ Duce, fœdus init: ac Stetini, eius prouinciæ metropoli, belli sedem figit. Moxque Gallicæ, Britannicæ, Moscouiticæ, aliorumque Principum ac Rerumpublicarum legationes, militis ac stipendiorum subsidia pollicentes, illum excepêre.

Cæsarianos, qui post Danicum bellum in Pomerania ac Megapoli passim statiua habebant, aggressus, vrbes munitissimas, Vologastum, Gripsovaldiam, Garthium, Griffenhagam, Deminum, Colbergam, Lansbergam, aliaque oppida pænè innumera, aut armis aut deditione in potestatem suam redigit: ipsumque ad Viadrum Francofurtum, quod præsidiariorum millia septem insederant, vno eodemque die expugnat. Hinc Albim versus mouens, Tangermundam, Verbenam & Hauelbergam intercipit. Iamque palam Brandemburgicus Marchio Gustaui, affinis sui, partibus accesserat. Hunc secutus Saxoniæ Dux cum XXIV. armatorum millibus, eidem se adiungit.

Itaque cùm vires vndique illi accreuissent, ad Lipsiam (vbi paullò antè Protestantes Principes nouo fœdere se obstrinxerant) cum Cæsareo exercitu congressus, veteranum & inoffensis victoriarum cursibus assuetum Ducem, fractâque Magdeburgensium peruicaciâ nuper ouantem, ingenti clade afficit, castrisque exuit.

His successibus ferocior, cùm insuper Hamiltonius Marchio Britannorum VIII. millia, auspiciis Suecicis militatura, iam adduxisset, Merseburgo, Halâ & Erfordiâ præsidio firmatis, in florentissimas Principum Fœderis Catholici prouincias irrumpit: ac flammæ instar, quæ vicina quæque corripit, Franconiam vniuersam depopulatur. Herbipolis adequitantem portis stupet, quem multorum dierum itinere abesse credebat. Bamberga, quam magno auri pondere Antistes redemerat, mox contra

datam fidem inuaditur: Cæſarianorum militum ardore, poſt Lipſienſem cladem, haud parum remiſſo.

Francofurtum, Hanouia, aliaque ad Mœnum Rhenumque oppida ſeſe dedidere. Quod exemplum Norimberga, Argentoratum, Spira, pluresque ciuitates Imperiales ſecutæ ſunt. Haſſiæ item Lantgrauius, cum x. ſuorum millibus, Guſtaui caſtris ſe adiunxit.

Palatinatus exinde magnam partem expugnat: traiectoque Rheno, ac Oppenhemio ſubacto, Maguntiacum, poſt dierum aliquot obſidionem, ad deditionem compellit, ac Confluentes vſque cedentia omnia armis ſuis ſenſit. Congeſtos intereà ex Eccleſiaſticorum ſpoliis, Templorum opulentiſſimis donariis, Diuorum aureis argenteiſque ſignis, & deditarum fœderatarumque vrbium tributis ac ſubſidiis theſauros immenſos in Sueciam tranſmittit; prorſus quaſi gentile Regni ſui æs ferrumque in aurum Germanicum commutare niteretur.

Cæſar, ingraueſcentibus indies publicis malis, aliiſque alibi perduellibus, Hydræ inſtar, ſuccreſcentibus, de nouo exercitu conſcribendo ſeriò cogitabat: quod Tyllius Comes, Cæſareis ac Fœderis Catholici copiis ſolus iam Præfectus, tot hoſtibus, & præſertim per prouincias diſiunctiſſimas latè graſſantibus, par eſſe propulſandis non poſſet.

Itaque Albertum Valſteinium Fridlandium, pridem exercitus ſui Præfectum ſupremum, ac deinde ob querimonias Principum quorumdam, quibus eius Fortunæ ſplendor oculos præſtringebat, exauctoratum, rurſus ad ſummum militiæ Cæſareæ faſtigium vocat. Hic magnis illico delectibus habitis, vix trimeſtri ſpatio iuſtum exercitum comparat: Pragam à Saxone occupatam recipit, & vniuerſâ Bohemiâ eumdem pellit.

Sueci intereà, Hornij ductu, Alſatiam pænè totam in poteſtatem ſuam redegerant; Carolo, Lotharingiæ Duce, nequidquam obnitente, quòd Galli eius ditionem infeſtis ſignis inuaderent. Cùm deinde Palatinatus Inferioris oppida

pida

pida non pauca Hornius occupasset, paulò pòst ad Bambergam ingenti strage à Cæsarianis, Ductore Tyllio, profligatur, duobus Suecorum millibus cæsis.

Quare Gustauus ipse Francofurto ad Mœnum (illic Reginam, coniugem suam, Stetino; & Fredericum Palatinum è Batauiâ, ad se venientes exceperat) digressus, Cæsareos insequens, Donauerdâ potitur, ipsumque Tyllium ad Lycum amnem alterâ clade fundit.

Inde, Augustam Vindelicorum, vrbem longè splendidissimam, ac situs opportunitate Germaniæ opprimendæ Italiæque inuadendæ commodissimam sibi visam, in deditionem accipit: ibique scenâ iam detectâ, qui Germanicæ Libertatis à Cæsare (vt perduelles criminabantur) oppressæ vindicem se venisse credi voluerat; ipsam mox Libertatem aggressurus, ciues Augustanos, tamquam Suecico Sceptro subditos, in sua, vt legitimi Principis & Domini, verba adigit: vrbemque nouis, iisque validissimis propugnaculis muniri curat, ac Suecici Imperij sedem destinat.

Dehinc Ingolstadium, munitissimam ad Danubium vrbem, obsidione cingit: atque illic demum hærens quasi deprehensa Felicitas Gustauum vinci posse docuit. Quippe, vbi tentatâ sæpiùs expugnatione, suos fortiter repelli animaduertisset, atque ipse, equo, cui insidebat, grauioris tormenti pilâ interempto, humi stratus, grauissimum periculum adiisset, obsidionem maturè soluit: ac Bauariæ vniuersæ incumbens, Monachium, vbi Ducis Aula est, ad deditionem compulit; faces ciuitati pulcherrimæ subiicere comminatus, ni CCC. dalerorum millibus commune excidium ciues redemissent. Mox in Rhætiam conuersis armis, Vlmam & Memmingam, aliasque illius tractus vrbes deditione accipit; Lindauio (vnde propinquus in Insubriam aditus) frustrà tentato.

Nam, dum hæc geruntur, Fridlandius cum instructissimo XXX. millium exercitu ex Bohemiâ descendit, alteroque à Norimbergâ lapide castra ponit. Gustauus,

ne fœderatæ vrbi deeſſet, & ipſe copias ſuas è Rhætiâ traductas, trans Pegneſum amnem, cui Norimberga aſſidet, locat.

Bauariæ Dux Monachio, aliiſque ditionis ſuæ oppidis interim recuperatis, cum xx. ſuorum millibus ad Fridlandium properat, vt iunctis viribus Guſtauum opprimerent. Is Cæſarianorum caſtra noctu aggreſſus, iiſdem ſtrenuè fortiterque pugnantibus, ter mille circiter è ſuis amiſit.

Cùm deinde in Franconiam Guſtauus ſeceſſiſſet, & mox in Saxoniam, quò Cæſariani digreſſi erant, viribus auctior aduentaret; Fridlandius Papenhemium Comitem, qui Halam in proximo iam expugnarat, properè accerſit.

Ad Lutzenium oppidum, haud procul Lipſiâ, iiſdem pænè, quibus anno ſuperiore decertatum fuerat campis, Imperij Orbiſque terrarum fata commiſſa ſunt. Ac primo Suecorum impetu mediæ aciei frons læuumque Cæſarianorum cornu paulùm inclinare, donec à Fridlandio & Papenhemio, ſuis ſubſidio aduolantibus, reſtituta ſunt: cùm ecce Guſtauo Ataulpho, Cæſarianæ aciei frontem propiùs aggreſſo, maioris ſclopi glande ſiniſtrum brachium comminuitur. Vnde mox linquente animo, dum à ſuis extra aciem abducitur, in Cæſarianorum Equitum legionem incidit: à quibus vulneribus quinque confoſſus, vixdum ſiccum à Tyllianâ clade ſolum Regio ipſe ſanguine imbuit; ſimulque ab ignaris quem interemerant militibus ſpoliatus, longè à deſtinatione ſuâ iacuit.

Maiora etenim paulò antè meditatus, iamque Italiæ imminens, ad Europæ Imperium haud obſcurè adſpirabat. Sed iuſta Nemeſis profundam hominis Ambitionem & portentoſam dominandi libidinem in medio vt Iuuentæ, ita rerum gerendarum curſu extinxit.

Anno Christi cccc.xv. Pari pænè fato olim Ataulphus alter, & ipſe Gothorum Rex, poſt occupatam ab Alarico eius affine Romam,

mam, Italiamque vastatam, Barcinone, in Hispaniæ limine, cæsus est. De quo præstans æui illius Historicus refert (verba ipsius attuli) hoc eius fuisse votum, *Vt, obliterato Romano nomine, Romanorum omne solum Gothorum Imperium & faceret, & vocaret; essetq́ue* GOTHIA, *quod* ROMA *fuisset; ac fieret* ATAVLPHVS, *quod quondam* CÆSAR AVGVSTVS. Ast improba vota infelix exitus comitari semper solet. *Orosius* lib. VII. cap. vlt.

Incidit Lutzense prælium in diem XVI. Nouemb. anni CIƆ. IƆC. XXXII. cùm per biennium & menses aliquot, ex quo Holmiâ, Regni sui metropoli, digressus erat, Gustauus Ataulphus arma totâ circumtulisset Germaniâ. Ad XIV. millia vtrimque cecidisse fama est: maiori Suecorum clade, qui expectantes Cæsarianos iniquo loco adorti sunt. Vt autem illi Regem suum, ita hi præcipuè Papenhemium Comitem amissum lugebant; cuius eo die virtus in primis enituit.

Nec silendum hîc Excellentissimi Herois Octauij Comitis Picolominei inuictum robur ardorque; qui post Papenhemij cædem, Equitatu Cæsareo in fugam conuerso, solus cum suâ legione inter medios hostes intrepidè vsque ad prælij finem stetit; factaque septies irruptione, ac editâ latè strage, quinque equis sub se confossis, ac sex ictibus saucius, adhuc pugnans, optimi ibidem fortissimique militis ac ducis nomen, vt vbique, promeruit.

Dum de immani Catholicæ Religionis ac Imperij hoste cæso victrix FERDINANDI Pietas triumphat, alter Cæsaris ac priscæ Religionis hostis Fredericus, Comes Palatinus, prima Germanici belli fax, paucis post Gustaui mortem diebus Maguntiaci contagione grassante extinctus est. Ingens vterque mortalibus documentum, cæcâ humanæ mentis cupidine aliena & immodica cum exitio affectari, dum partâ auitaque ditione securè frui queant.

At verò externa arma felicissimis auspiciis suis propulsantem Cæsarem pænè infandum suorum scelus ac parricidium oppressit.

Albertus Valsteinius, Fridlandiæ ac Sagani Dux, è mo-

dicâ fortunâ ad ſupremam militiæ Præfecturam euectus, ac inſuper Megapolitano Principatu aliiſque maximis beneficiis à Cæſare donatus, maiores ſpes animo coquens, Bohemici Regni Sceptro inhiabat. Itaque (vt nihil ſanctum, vbi mentem ambitus occupauit) præcipuis belli Ducibus ad defectionem ſollicitatis, conſilioque vnà cum Suecis communicato, extremum Cæſari eiuſque florentiſſimæ Stirpi exitium moliebatur.

Sed nefariâ conſpiratione à Picolomineo Comite (cuius non minùs inconcuſſa Fides quàm inuicta Virtus pro Auguſtâ Auſtriæ Domo ſemper emicuit) aliiſque Ducibus maturè detectâ, proſcriptus Fridlandius, mox Egræ, Bohemiæ oppido, cum conſciis cæſus, dignas concepti ſceleris pœnas luit: velut noua ſubinde Inſtabilitatis ſuæ ludibria & piaculares inauſpicatæ Ambitionis victimas oſtentante Fortunâ.

Publico proditore ſublato, numquam aliàs clariùs ſeſe Martia Auſtriacæ Gentis Virtus & Auguſta Soboles exerüit, fortiùſve lacertos mouit.

E diſiunctiſſimis regionibus, hinc Ferdinandus III. Hungariæ & Bohemiæ Rex, poſt Ratisbonam & Donauerdam à ſe expugnatam, inde Ferdinandus alter, Hiſpaniarum Infans, geminæ illæ ſpes oculique Imperij, cum lectiſſimis copiis ad Norlingam conuenientes; ille Cæſaris, Parentis, hic Regis Catholici, Fratris ſui, auſpiciis, ductu ſuo, de Suecis & Imperij perduellibus, hoſtium Duce Hornio capto, Victoriam poſt natos homines nobiliſſimam reportarunt anno CIↃ. IↃC. XXXIV. ad VIII. Idus Septembris.

Exinde, cùm Ludouicus Francorum Rex pridem Suecis confœderatus infeſta in vtramque Germaniam arma palàm conuertiſſet, Cæſar cum Saxoniæ Duce pacem Pragæ iniit: quam & Brandemburgicus Marchio, Pomeraniæ, Luneburgi, Brunſuici, & Megapoleos Duces, aliique Imperij Principes; vrbes item, Norimberga, Vlma, Francofurtum atque aliæ amplexæ ſunt.

Fuit

Fuit omnino FERDINANDVS II. Principum benignissimus, clementissimus, liberalissimus: viuum Pietatis & Sanctitatis exemplar. Incredibili autem animi Æquabilitate semper sui similis, nec secundis efferri, nec aduersis deprimi vmquam visus est.

Ratisbonâ Viennam redux, obiit, vt vixerat, placidissimè, ad XV. Kal. Martij, anno Salutis CIↃ. IↃC. XXXVII. Ætatis suæ LVIII. mense VII. die VI. Imperij autem anno XVII. mense V. die XVIII.

Felicitatis præcipuâ in parte illud memorandum, quòd iam senior, Valetudine labente, bimestri ferè ante obitum suum spatio (Superis nempe vitam ad hoc eius votum prorogantibus) in Regem Romanorum, sibique in Imperio Successorem Ratisbonensibus Comitiis declaratum viderit Filium suum, FERDINANDVM III. Aug. annis armisque florentissimum: & in quo Virtutes simul omnes elucent, quæ singulæ in Maioribus eius prædicantur. A quo Principe vt nouam laudatissimorum Cæsarum, sæpiusque iteratam seriem Orbi Terrarum Superi indulgeant, & Augustissimæ Familiæ in Rempub. Christianam merita, & piorum vota flagitant.

Abstine à Diuinâ illâ Domo profanos oculos tuos, infelix Liuor. Quid solidis Imperij fundamentis, PIETATE ET IVSTITIA nixam frustrà lacessis? Patere illam Generi Humano, diu ægro & affecto, mederi. Perstet, perennetque Fortitudinis Arx, Clementiæ Ara, Iustitiæ Delubrum, Religionis Propugnaculum, Virtutum omnium Sacrarium.

Symbolum Imp. Cæs. FERDINANDI III. Aug. PIETATE ET IVSTITIA.

FER-

FERDINANDVS III.

Elogium hocſcribebat *Caſp. Geuartius* Iuriſc.



QVOD præclarè à Platone dictum eſt; tum demum Regnis ac Imperiis, adeoque Generi Humano Malorum calamitatumque finem afforc, cùm Potentia & Sapientia ſimul iunctæ in vnum coiiſſent; id ſanè Æuo noſtro, reipsâ palàm futurum, Spe certâ vt ominemur, animoque præcipiamus, licet. Is enim Orbi Chriſtiano Imperator cælitus obtigit, in quo tranſmiſſam ab Auguſtiſſimâ XII. Cæsarvm, Regumque Catholicorum, & Sereniſſimorum Avstriæ Archiducum Stirpe ac Magnitudine Potentiam, atque à Diuinâ Indole, ſingularique Naturæ prærogatiuâ inſitam Sapientiam pariter elucere ſuſpicimus. Lib.v. de Rep.

Imp. Cæs. Ferdinandvs III. Aug. Divi Ferdinandi II. & Mariæ-Annæ Bauaræ Aug. Fil. natus eſt in proauitâ Illyrici Prouinciâ, Styriâ, Grætziæ, quæ Ducatus eſt Metropolis, anno Salutis M. DC. VIII. tertio Nonas Iulij.

Pueritia eius Pietate & bonarum Litterarum ſtudiis ad miraculum exculta eſt. Matheſeos omnis, Reique & Architectonices Militaris, exactam ſibi notitiam comparauit. Nec minus ſolerter abdita Naturæ arcana perſcrutatus eſt incredibilis eius Ingenij vigor, omniumque quæ Cælo continentur capax Sublimitas. Priſca Sacræ ac profanæ Hiſtoriæ monumenta, mediique ac poſterioris Æui res geſtas ſedulò excuſſit. Clariſſimorum Ducum Exemplis, ac Sapientum Monitis animum imbuit.

In primis autem, C. Ivl. Cæsaris exemplo, in Chronologiâ, ac Temporum doctrinâ verſatiſſimus, (præeunte viro iis ſtudiis exercitatiſſimo, P. Henr. Philippio, Belgâ, ex eruditâ Societate Iesv, Theologo) ab ipſis Mundi Natalibus, omnis Æui ſeriem mente complexus eſt; nobiliſſimas ipſe Temporum Epochas, Aureaſque Æras,

CLX.

PIETATE ET IVSTITIA.



Æras, PIETATE & IVSTITIA Auſpicibus, mox conditurus.

Nam & Iuris ſcientiæ auidus, antiqua Cæſarum laudatiſſimorum Reſcripta ac Decreta accuratè euoluit, vt Sæculum ſuum optimis Legibus & ſanctiſſimis inſtitutis exornare queat: Spesque haud leuis affulgeat, bonas Artes ac Diſciplinas, Barbarorum irruptionibus è Germaniâ profugas, reuocante Cæſare, poſtliminiò reſtitutum iri.

Eloquentiam eius & Suadam, non minùs rerum ſententiarumque pondere grauem, quàm verborum flumine diſertam, in Reſponſis Legati, & in caſtrenſibus Allocutionibus Milites admirantur.

Denique, in omnibus tam Pacis quàm Belli Artibus ita Virtus eius eſt exercita, &, ad quod aſſumenda mox erat, aptata Imperio, vt nihil diſcendum haberet tempore Imperandi.

Nulli rei, niſi Rationi ac Honeſto auſcultare ſolitus, eâ Temperantiæ & Continentiæ laude Adoleſcentiam exegit, vt Heroica eius Indoles in Regiâ Fortunâ, nec illecebris Naturæ ad voluptatem flecti, nec Aulæ otio ad ſegnitiem & luxum detorqueri potuerit.

Nimirum, qui Orbi aliquando erat imperaturus, ſibi ipſi Imperare antè didicit; Cupiditates premere; Iram in poteſtate habere; in Admiſſionibus facilem ſeſe ac benignum accedentibus præbere; Laborum, negotiorumque alternantium vices ac mutationem, otij & remiſſionis inſtar cenſere. Atque vt verbo dicam; ita vitam omnem inſtituit, vt Virtutes eius nullo vitiorum confinio læderentur. Adeoque, ſi æuo noſtro reſtitutus Socraticus ille Xenophon, perfecti Principis ac Imperatoris Ideam ſibi concipiendam formandamque deligeret, Cyro illo Perſarum Rege neglecto, FERDINANDVM AVG. haud dubiè in Exemplar ſibi proponeret.

Quocircà mirum non eſt, quòd eximiis hiſce Virtutibus prouocati Hungariæ Proceres FERDINANDVM, tum Iuuentutis Principem, vel adhuc duodeuigeſimo ætatis ſuæ anno, in Regem ſibi ab Auguſto Parente dari, Comitiis Oedenburgi habitis, flagitarint.

Quorum

Quorum votis precibusque Cæsar, pro suo in Regnum nobilissimum, ac Filium primogenitum affectu, benignè annuit. Ac mox solemni Pompâ FERDINANDVS, eius nominis TERTIVS, sexto Idus Decemb. anno M.DC.XXV. in Pannoniæ; vt & biennio pòst, in Bohemiæ Regem feliciter inauguratus est.

Dumque Posteritatis memor, de thori Sceptrique consorte assumenda cogitaret, MARIA Aug. PHILIPPI III. Hispaniarum Indiarumque Regis Potentissimi Filia, Heroina omnibus Animi, Corporis ac Fortunæ dotibus cumulatissima, quam per Legatos suos antè ambierat, illi desponsa est.

Hæc cùm à Rege, Fratre suo, PHILIPPO IV. Monarchâ summo, Mantuâ Carpetanorum Barcinonem deducta esset, triremibus conscensis, Italiam petens, Genuam appulit. Neapolim inde & Campaniæ delicias lustrauit. Hinc Hadriatico emenso mari, per Histriam, insigni comitatu Austriam adiit.

FERDINANDVS Rex desideratissimæ Sponsæ suæ obuiàm profectus, eamdem VI. Nonas Maij, an. CIↃ.IↃC.XXXI. splendidissimâ Pompâ Viennam introduxit: eodemque die in Augustinianorum templo vxorem duxit; Cardinale Ditrichstenio Augustas dextras auspicatò iungente. Regina etenim, propitiâ Lucinâ, mox lætissimâ prole editâ, Regnatricem Domum fundauit.

Nec multo pòst tempore, nefariâ Alberti Valstenij, Fridlandiæ ac Sagani Ducis, in FERDINANDVM II. Cæsarem, eiusque Augustam Sobolem, conspiratione detectâ & extinctâ, FERDINANDVS III. à Patre Cæsare supremus exercitus Ductor renuntiatus est: ac grauissimâ Suecorum Gothorumque in Germaniam irruptione, pridem concussa, ac velut nutantia Romani Imperij fata suscepit.

Felicissimis certè auspiciis Viennâ digressus, ac supra quadraginta mille hominum exercitu stipatus, pridie Non. Iunij, anni M.DC.XXXIV. RATISBONAM, vrbem munitissimam, ad Danubium sitam, à Vinariensium Du-

ce perduelli interceptam, arctâ obſidione cingit: Caſtrenſibus ipſe turmis Regium puluerem ſudoremque miſcens, nec tam cultu & inſignibus, quàm Robore & Præſtantiâ à ceteris differens.

Atque hîc memorabile profectò Fortitudinis ac Conſtantiæ ſuæ experimentum dedit. Nam cùm Sueci, Imperijque perduelles, vt à Ratisbonæ oppugnatione Regem auocarent, ad Pragam, Bohemiæ Metropolim, caſtra fixiſſent; nihil iſto hoſtium conatu motus FERDINANDVS, cœptam obſidionem, vnà cum Bauariæ Duce, Affine ſuo, gnauiter porrò vrgere non deſtitit. Prouidè enim exercitus ſui parte, Gallaſſio Ductore, Pragam ſubſidio miſsâ, ipſe alterâ parte Ratisbonam premens, abſens ſimul præſenſque, diuisâ quidem nec tamen imminutâ Virtute pugnabat. Ducentis tormentorum curulium æneis machinis mœnia quotidie verberabantur, eâ vi ac fragore, vt hiſcere terram, ac miſceri elementa crederes. Neque vlla profectò Poliorceticæ Artis pars aut induſtria illic omiſſa fuit.

Poſt acerrimas aliquot impreſſiones, incredibili militum, vltrò ſeſe diſcrimini, Rege teſte, ingerentium ardore, per menſes duos continuos illatas, vrbem illam primis Militiæ tyrociniis FERDINANDVS recepit, quam auſpicatiſſimo Imperij ſui exortu, paucos deinde poſt annos, erat illuſtraturus. Vt nempe, Virtute ſuâ antè meruiſſe Imperium, quàm Electorum ſuffragiis in illud ſucceſſiſſe noſceretur.

Quod autem non ſine ſingulari Diuini Numinis beneficio factum crediderim; quo die Ratisbona eſt recepta, eodem etiam Praga à Suecorum ac perduellium obſidione eſt liberata, ſeruataque Bohemia.

DONAVERDA mox ad deditionem ſollicitata, cùm Regiæ Virtutis Fulmen exſpectare auſa eſſet, expugnata paullò pòſt, & direpta eſt.

Inde NORLINGAM, Rhætiæ vrbem, Rex caſtra mouit & obſedit. Quâ tempeſtate FERDINANDVS alter, Princeps Cardinalis, PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Indiarumque Regis, Fratris ſui Auſpiciis, ex Italiâ per Alpes Rhæticas,

ticas, cum lectissimis Hispanorum & Italorum Legionibus descendebat; ad Belgas (quibus à Rege Catholico Gubernator datus erat) iter muniens. Tum autem, rei in transcursu præclarè gerendæ occasione oblatâ, Castris FERDINANDI, Hungariæ Regis, Affinis sui, ad Norlingam obsessam, opportunè accessit: & velut Herculi iunctus Theseus, suppetias validas adduxit.

Bernardus Saxo-Vinariensis Dux, Suecici exercitus, ac Imperij perduellium supremus Præfectus, & cum eo Gustauus Hornius, Comesque Cratzius, vrbem obsidione liberare moliebantur. Cæsareus autem Regiusque exercitus, additis quibus Carolus, Lotharingiæ Dux, præerat Fœderis Catholici copiis, XIII. millia Equitum, & XX. Peditum numerabat. Hostes IX. mille & trecentos Equites; XVI. mille ac trecentos item Pedites sub Signis suis habebant.

Et quamuis exercitus Catholicus, vt caussâ, ita numero superior, hoc vnum timeret, ne timeretur, hostesque prælij aleam essent declinaturi; ea tamen Vinariensis Ducis confidentia & temeritas fuit, vt Hornio nequidquam dissuadente, Cæsarianos vltrò aggredi & lacessere decreuerit: non exspectatis quoque Othonis, Rhenani Comitis, suppetiis, qui quatuor Peditum, & duo Equitum millia perduellibus adducebat, vniusque diei itinere tantùm aberat.

Collis erat haud procul vrbe, ab Aquilis nomen sortitus, clementi iugo assurgens, vnde in proxima omnia loca patebat despectus, & in quo potissimum Victoriæ momentum versabatur. Eum sine morâ præoccupari, validisque Legionibus & tormentis curulibus, ductâque loricâ muniri protinùs mandarunt fortissimi Archistrategi FERDINANDI. Et singulari curâ ac prouidentiâ incredibili rebus omnibus ad pugnam necessariis prospicientes, summorum Imperatorum officia compleuerunt. Vltroque vitam suam, & cum eâ Spem Generis Humani, & vota periclitati sunt, certi aut vincere, aut mori. Adeò contemptores Salutis propriæ erant, dum publica Orbis & Religionis Salus periclitabatur. Neque vmquam alacres adeò visi

Vulgò *Arensberg.*

Eee 3 ferun-

feruntur Sereniſſimi Principes. Ita vt è vultu eorum interrito certam Victoriæ Spem augurarentur milites. Gallaſſio autem Comiti, ac Marchioni Leganezio, ſuprema, poſt Regem & Principem Cardinalem, exercitus Catholici adminiſtrandi & diſponendi poteſtas erat.

In Colle, pro temporis anguſtiis, iam munito ac aſſerto, media acies Octauio Comiti Picolominio, & Ioanni Comiti Serbellonio, commiſſa eſt. Dextrum cornu Carolus, Lotharingiæ Dux, in ſpatiosâ ſub Collis radicibus planicie, tuebatur. Siniſtrum latus Legiones aliquot Germanicæ, cum mille Equitibus, ſeruare iuſſæ.

Syluulam Colli proximam, ab Hiſpanis inſeſſam, de nocte hoſtes, ob defenſorum paucitatem, occuparant. Quo ſucceſſu elatiores, primo manè, VIII. Idus Septembris (qui dies S. Victori ſacer) Collem ipſum cominùs aſſultare aggreſſi ſunt. Hornius quinque millia Equitum, & quatuor lectiſſimorum Peditum millia ducens; Cratzius cum totidem millibus, in Cæſarianos inuecti ſunt. Vinarienſis cum reliquis copiis iuxta ſyluulam ſubſtitit, vt deficientibus ſuis ſubſidio eſſet.

Primus hoſtium impetus in exercitus Catholici cornu ſiniſtrum detonuit, quod Legiones pleræque è tyronibus conſcriptæ tuebantur: eædemque laxatis ordinibus, loco ceſsêre. At reſtituta extemplò acies à Legionibus veteranis, quæ rupium inſtar immotæ ſtabant: ſæpiusque iteratas in ſe hoſtium impreſſiones & inſultus, cum maximâ eorumdem ſtrage repulerunt. Nec minore Virtute, in mediâ acie à Picolominio & Serbellonio, aliisque Ductoribus alibi certatum eſt.

Lotharingiæ Dux, in planicie, Equeſtri pugnæ commodâ, cum Vinarienſi congreſſus, poſt anceps diu prælium, eumdem in latentes, poſt ruſticanas aliquot caſas & arbuſta, inſidias trahens, grauiſſimo detrimento illius Copias affecit; maioraque tormenta eius omnia, quæ in ſyluulâ erant collocata, occupauit.

Atque interim Auguſtiſſimi Bellatores, FERDINANDI ambo, quà res poſtulabat, feſſis ſigna recentia ſubmittere,

cuneos

cuneos densare, aciem instaurare, omniaque exercitatissimorum Ducum munia obire haud cessabant.

Dumque in Aquilino Colle pro Imperio, pro Religione Cæsarianorum Virtus fortiter deprædiatur; inuictissimi Archistrategi, rectis atque immotis oculis, non Solis tantùm radios (quod de genuinis Aquilis asserunt Physici) sed & Fulmen Aquilonium intuentes, haud degenerem sese tot fortissimorum Cæsarum, ac Victricium Augustæ Domus AVSTRIÆ Aquilarum, sobolem esse commonstrarunt.

Inter tormentorum curulium globos ferreæ grandinis instar vndique volitantes, nec vultum, nec locum mutarunt. Atque adeò, cùm ad latus ipsorum Ayassus, militum Tribunus, machinæ grauioris globo ictus, exanimatusque concidisset, ac Petrus Gyronius haud leui vulnere percussus, ex equo in terram lapsabundus nutaret, eumdem suis ipse manibus Princeps Cardinalis sustentauit.

Hostes, post sexdecim acerrimos in Collem assultus sex horarum spatio à Cæsarianis Regiisque copiis inuictâ Virtute & cum ingenti strage repressos, animum despondere, ac pedem referre cœpêre. Tum verò labantem illorum aciem Victor equitatus Cæsareus incursat; Ioanne Barone Wertano, & Croatis ad quatuor milliaria fugientium tergo instantibus.

Vinariensis Dux, qui paullò ante pugnam, exercitum Catholicum arroganter despiciens, vel ientaculi vice, illum se deuoraturum iactitauerat, vbi suos, proiectis armis signisque, fugam capessere animaduertit, & ipse cum sex aut septem comitibus se subducens, equi beneficio Vlmam euasit: sed vrbe exclusus, in Wirtembergensi Prouinciâ receptum inuenit.

Quanta Serenissimi Principis, Caroli Lotharingiæ Ducis, Comitis Gallassij, & Marchionis Leganezij, itemque Octauij Comitis Picolominij, Serbellonij, Spinulæ, Granæ, Hatzueldij, Gotzij, Ioan. Wertani, Gambacurti, Guasci, Idiaquij, Toralti, aliorumque clarissimorum Ducum, in hoc prælio Virtus enituerit, iustæ Historiæ, non breuis

Elogij res esset, enarrare. Id vnum dixisse sufficiat; non tantùm cum hostibus de Palmâ & Victoriâ, sed & inter se Duces Militesque de Virtute, de Gloriâ, de Fide in Cæsarem, Regemque ac Principem certare visos.

In loco Prælij octo hostium millia; & in fugâ totidem, aut plura, cæsa esse memorantur. Tres summi Vigilum Præfecti; Tribuni octo; Turmarum Cohortiumque Ductores plus quàm centum occubuêre. Cernere erat, per vias camposque, prostratas passim ac semianimes in sanguine suo volutari cateruas; quæ supremum spiritum in AVSTRIACÆ Virtutis admiratione, & profugi Ducis sui detestatione exhalabant.

Captiui ad quatuor millia fuêre: quos inter Gustauus Hornius, Suecorum Dux; & Comes Cratzius, transfuga, (qui deinde meritas perfidiæ suæ pœnas capite luit) Hoffkirchius, Rostochius, aliique Duces primarij, ac Tribuni quatuordecim.

Signa trecenta Hosti fuêre erepta: interque illa Ducis ipsius Vinariensis vexillum in primis erat visendum, quod e eius Signifero fortissimus Lotharingiæ Dux suis ipse manibus in pugnâ extorserat. Erat vexillum illud sericeum Damascenum, candidum, in quo artifici manu, auratis gemmatisque segmentis operosè visebatur intertextum eiusmodi Emblema: Auis non ita magna, passis alis desuper in Aquilam rostro incumbens. Aui adscriptum erat Symbolum: COACTVS. Quo innuere visus Vinariensis; Salutis sese defensionisque caussâ COACTVM Aquilæ Cæsareæ aduersari. Sed post memorabilem illam cladem, præcipiti fugâ COACTVS cedere Aquilis, haud obscurus ipse Symboli sui fuit Interpres.

Tormenta maiora LXXX. Currus bellici plus quàm ter mille, & reliqua demum omnia impedimenta Victoribus cessêre.

E Cæsarianis Regiisque, mille circiter & sexcenti desiderati. In his præcipui nominis & dignitatis; Salmæ & Panigerolæ Comites; Rapallæ Marchio, Aldobrandinus Prior, Syluius Picolominius, Wormesius, & Alphonsus Nogue-

Noguerolus, alijque, præter ſaucios plurimos, quos enumerare longum foret.

Clariſſimâ iſtâ poſt natos homines Victoriâ FERDINANDI inuictiſſimi anno ætatis ſuæ vigeſimoſexto potiti ſunt; velut feſtinata Laureæ incomparabilis inſignia Auguſtiſſimis Neoptolemis vltrò properante Fortunâ: vt ad ſummam rei Militaris Gloriam non alienis præceptis, ſed ſuis Imperiis; non dubiis Belli euentibus, ſed Victoriis ac Triumphis perueniſſe noſcerentur. Eiuſdem autem ætatis cùm eſſet ALEXANDER Macedo, celeberrimam illam de Dario ad Arbella Victoriam (cuius præmium erat Aſiæ Imperium) reportauit. At hoc diſcriminis eſt, quòd ALEXANDER in molles Aſiaticos & leues Perſas inciderit; FERDINANDI verò in gentes ferociſſimas, nec minùs ſoli cælique ſui inclementiâ, quàm armis validas; Moſchicisque pridem ac Sarmaticis expeditionibus & Victoriis, ſub Rege Bellatore GVSTAVO, exercitas & ouantes.

NORLINGANI obſeſſi, audito prælij euentu, mox ſeſe Victori Hungariæ Regi dediderunt. Eorum exemplum Lauginga, Guinga, aliaque ad Danubium loca ſecuta ſunt.

Quarto pòſt die, Rex vnà cum Lotharingiæ Duce alteram Nicri fluminis ripam; Princeps Cardinalis alterum latus, bipartitis agminibus, prementes, in VVirtembergicam ditionem caſtra mouerunt: vrbeſque plurimas, Heydenhemium, Geppingam, Eſlingam, Canſtadium, ac Stuckardiam, Prouinciæ Metropolim, occuparunt.

Interim in Franconiâ, Picolominij ductu, Dinkiſpola, Rotenburgum, Berthemium, Okzenfora, ad Mœnum, aliaque oppida ſunt recepta.

Et deſiderabat quidem Sereniſſimus Hungariæ Rex, vt hyemem iſtam in Germaniâ Princeps Cardinalis exigeret, ſecumque reliquias factionis nefariæ opprimeret; ſed ille præſentiam ſuam difficillimis Belgicæ temporibus neceſſariam aſſerens, poſt complexum Affectus & Amoris pleniſſimum, à Rege digreſſus eſt. Perque Palatinatum Inferiorem victricia arma circumferens, Mœno Rhenoque

transſitis, in Belgium eſt profectus: vbi à S.P.Q. Antuerpienſi, aliiſque vrbibus, Triumphali Introitus Pompâ, exſpectatiſſimus earum Prouinciarum Gubernator, honoratus eſt.

Rex, miſſo in hyberna milite, Viennam victor eſt reuerſus, fauſtiſque omnium acclamationibus exceptus. Is autem Norlinganæ victoriæ fructus vel in primis cenſendus eſt, quòd anno ſequenti, Saxoniæ Dux cum Cæſare, FERDINANDO II. Aug. Pacem Pragæ inierit; quam & præcipui Principes Imperij vrbeſque amplexæ ſunt.

M. DC. XXXV.

Franci porrò, qui Suecis pridem Imperiique perduellibus confœderati Bellum Auguſtæ Domui AVSTRIÆ palàm indixerant, Dolam, Burgundiæ Comitatus vrbem primariam, anno M. DC. XXXVI. obſederant, neglecto Immunitatis iure ſolemniter ſancito, quo Burgundiam vtramque, vel rupto Iberos inter Francoſque Pacis fœdere, hoſtilitatis omnis Belliqueexpertem fore declaratum fuerat.

Vide obſidionem DOLÆ à *Ioan. Boyuinio*, Senatus Dolani Præſide, deſcriptam, initio.

FERDINANDVS Rex miſſis eò ſuppetiis, ductu Caroli Lotharingiæ Ducis vrbem obſidione liberauit; Condæo Principe fugato, magnâque tormentorum ac impedimentorum caſtrenſium parte interceptâ. Dum intereà FERDINANDVS, Princeps Cardinalis, in Picardiam irrumpens, Corbeiam, aliaq; ad Somonam oppida, Francis eripuiſſet; ipſamque Pariſiorum Lutetiam ingenti metu perculiſſet.

Adultâ eiuſdem anni æſtate, Imp. Cæſ. FERDINANDVS II. Aug. iam ætate grauis, & valetudine labente, ſolemnia Ordinum Imperij Comitia Ratisbonæ indixit. In illis Filius eius, FERDINANDVS III. Hungariæ Bohemiæque Rex, maximis ipſius in Imperium meritis id vltrò flagitantibus, communi Electorum Principum ſuffragio, in Romanorum Regem electus, & Auguſto Parenti ſuo in Imperium ſucceſſor renuntiatus eſt: moxque III. Kalend. Ianuar. ſolemniter inauguratus. Quod ne fieret, ferro flammâque ab exteris, Imperij æmulis, alijſque perduellibus, euerſa propè, rapiniſque ac cædibus exhauſta eſt Germania: adeoque omnes pænè Europæ Principes

in

in Augustæ Domus AVSTRIÆ perniciem aut sollicitati artibus, tractíve in partes, aut armis fatigati. Sed nempe illam à RODOLPHI Magni Pietate ortam Cæsareæ Domus amplitudinem & splendorem frustrà exstinguere nititur Impietas.

Nam (vt sæpè aliàs) ita in hac Electione singularis Dei Opt. Max. de Augustissimâ illâ Familiâ, ac Germaniæ vniuersæ Salute, Cura & Prouidentia clarissimè eluxit. Etenim non toto post Electionem istam bimestri spatio elapso, FERDINANDVS II. Aug. Terris ereptus, Cælo redditus est. Ecquis verò Pragensem Pacem anno præcedenti Diuinitùs festinatam fuisse non censeat, quà plerique Principes Electores paullò antè diuisi, denuò Cæsari opportunè sunt conciliati? Nihil profectò ad extremam Germaniæ Imperiique perniciem certius esse poterat, quàm diuturnum Interregnum & Anarchia.

Primis autem aditi Imperij Auspiciis Hermæstenia Arx, in Treuirensi ditione, ad Confluentes, edito super Colle sita, naturâ loci operibusque munitissima, atque alterni per Germaniam commercij dudum scopulus, Francis eiectis, est expugnata: incredibili Germaniæ vtriusque gaudio, & negotiatorum commodo.

Cumque anno M. DC. XXXVIII. ineunte Carolus Ludouicus, Frederici olim Comitis Palatini Filius, ingenti exercitu comparato, ac Suecis Hessisque fœderato, Meppenæ ad Amisium, Westphaliæ flumen, Belli sedem constituisset; oppidum istud FERDINANDI III. Aug. inuictis armis cum vniuerso apparatu bellico est occupatum. Accessit deinde Lemgouiæ (est illa Comitatus Lippiæ Metropolis) ab eodem Carolo Ludouico infeliciter tentata obsidio, illamq; secuta copiarum eius ingens strages, Palatino ipso, per fugam præcipitatâ in Visurgim rhedâ, pænè submerso; ac fratre eius Ruperto à Cæsarianis capto, Lintziumque, ac deinde Viennam, in AVSTRIAM, adducto: vbi mox Cæsaream expertus Clementiam libertati restitutus est.

Missæ tum quoque à Cæsare in Belgium auxiliares co-

piæ, ductore Picolominio Comite, aduersus Francos, qui Audomaropolim, Artesiæ vrbem, in Morinis obsidebant.

Eum autem Nominis sui Virtutisque terrorem Picolominius circumferebat, vt solâ aduentus eius & in proximo transcursus famâ perculsi Batavi, qui tum Antuerpiæ imminentes Calloam aliaque ad Scaldim castella occuparant, grauissimam cladem passi fuerint. Illum namque Germanicas, quas adducebat copias Regio exercitui, cui FERDINANDVS Cardinalis, Belgij Gubernator præerat, iunxisse, atque in se cum Classe aduentare arbitrati; eo pauore afflati sunt, vt desertis Munimentis in præcipitem fugam sese dederint. Moxque à Regiis (qui & pridie antè magnam iis cladem intulerant) vndique circumuenti, ad septem millia ipsorum partim cæsa, mersa, aut capta sunt.

Vide LAVREAM CALLOANAM, quæ Pompæ Introitus FERDINANDI Hispaniarum Infantis in vrbem Antuerpiam est subnexa.

Picolominius porrò in Artesiam profectus, Bacquio, Nieurleto, aliisque validissimis propugnaculis expugnatis, Audomaropolim à Francorum obsidione cum ingenti eorumdem strage liberauit.

Vt autem variæ sunt Bellorum vices; sub eiusdem anni finem haud leuem profectò iacturam fecit Imperium. Vinariensis enim Dux in Alsatiâ Brisiacum Montem, Rheno adsitum, præcipuum Germaniæ propugnaculum, post longam obsidionem occupauit. Sed & mox ipse, paucis mensibus elapsis, in ipso æui flore extinctus, exiguum Victoriæ suæ fructum sensit. Postque eius obitum Mons Brisiacus auro Francico cessit.

Anno sequenti, cùm Theodonis-villam, Imp. Cæs. Caroli Magni olim Regiam, ad Mosellam flumen, Franci obsedissent, Picolominius è Germaniâ aduolans, Auspiciis Cæsareis nobilissimâ potitus Victoriâ, Francos castris exuit, obsidionemque soluere coëgit; sex millibus cæsis, ac Feuquerio Duce illorum inter alios capto.

Cùm autem grauissimâ Imperij mole domi Militiæque vrgeretur Cæsar, Serenissimum Principem LEOPOLDVM, Austriæ Archiducem, Fratrem suum vnicum, non Sangui-
ne

ne tantùm, ſed & Virtutibus ſibi coniunctiſſimum ac ſimillimum, in partem curarum aſſumpſit, ſupremumque exercitus ſui Præfectum declarauit.

Bannirius, Suecorum ductor, per id tempus Bohemiam latè depopulabatur: Pragæque vrbi Regiæ cum inſtructiſſimis copiis imminens, Brandiſium aliaque in propinquo oppida interceperat. Quocircà LEOPOLDVS Archidux cum ingenti Bohemiæ Optimatum Germaniæque Procerum comitatu ilicò Pragam profectus, ac fauſtis Ducum Ordinumque omnium congratulationibus votiſque eſt exceptus. Cæſareo exercitu luſtrato, vrbi aduerſus omnes hoſtium conatus & acceſſus cautè proſpexit: vnde Bannirius ſpe ſuâ deiectus, retrò ad Lytmaritium oppidum cedere coactus eſt.

Nec moratus Archidux, primo vere, anno M. DC. XL. in hoſtes mouens, Clumutzium Arcem, vnaque ciuitatem capit. Hinc Conixcratium, Brandiſium aliaſque vrbes expugnat. Quæ res ingentem in omnes Bannirij copias terrorem ſparſit.

Itaque Lytmaritio aliiſque quas in Bohemiâ occuparant vrbibus pulſos Suecos Cæſariani in Miſniam vſque perſecuti ſunt: ac decem ipſorum Legiones, quæ Voitlandiam infeſtabant, in fugam egère. At mox Bannirius contractis vndequaque gentis ſuæ viribus, ac inſuper Gallicis, Heſſicis ac Lunæburgicis auctus copiis, Cæſarianum exercitum ad Salafeldiam ſtatiua habentem circumuenire vndique & velut indagine clauſum opprimere moliebatur. Et ſanè maximo tunc diſcrimini res Cæſareæ fuere expoſitæ. Sed prouidâ Archiducis, eiuſque Legati Picolominij Virtute, caſtris confeſtim munitis, ac tormentis aliquot grauioribus opportuno loco diſpoſitis, hoſtes ita ſunt excepti, vt recipere ſe ilicò, non ſine graui ſuorum damno, coacti fuerint.

Cæſar de Pace Imperio reſtituendâ ſollicitus, circa idem tempus Comitia Ratisbonæ indixerat. Hanc vrbem Slangius, Suecorum Tribunus, cum tribus Equitum millibus propiùs accedere auſus, diſploſis in eamdem tormentis ali-

quot curulibus, Comitia ipsa, metu repentino omnibus iniecto, disturbare conatus est. Iamque pænè obsideri Cæsar eâ in vrbe visus, quam primis armorum auspiciis ductuque suo ante sexennium expugnarat. Atque hîc, cùm haud pauci è Proceribus, Principumque Legatis, pauore perculsi discessum meditarentur, incomparabilem animi sui magnitudinem & constantiam Imperator ostendit. Nam & se & Augustâ coniuge liberisque, Securitatis publicæ velut obsidibus datis, ac Milite ex Austriâ & hybernis properè euocato, Ordines Imperij Aulamque vniuersam ibidem continuit.

Interim Slangius Neoburgi, ad Hercyniæ syluæ caput, hærebat. Illuc Picolominius Comes (qui & nunc Dux Amalphitanus) cum expedito Equitatu euolat, insigni vsus stratagemate. Comparatis enim nauibus quibus mox Cæsarem in Hungariam profecturum esse rumor de industriâ sparsus erat, Danubium ponte iungit, & derepentè traiecto flumine hostes inopinatò opprimit: magnâque clade illatâ, Ducem ipsum, Bohemorum Germanorumque sanguine pastum * Colubrum (id nomen eius gentili voce sonat) cum copiis ipsius omnibus secum Ratisbonam adduxit, Cæsarique captiuum stitit. Credas illum monstrorum domitorem Herculem Argiuorum Regi iussa adferre trophæa, ac centicipiti Hydræ auulsum caput. Bannirius clade suorum auditâ, è Chambio, Palatinatus superioris oppido, in Misniam vsque se proripiens, ibidem paullò pòst, fugæ laboribus fractus, tædiisque exhaustus, fato functus est.

* Slang.

Porrò Ratisbonæ in Comitiis Cæsar, insigni Clementiæ suæ exemplo, de Amnistiâ, siue delictorum publicorum obliuione, Edictum Ordinibus Imperij traditum curauit promulgari. Ac deinde, solutis Comitiis, cum aulâ vniuersâ, prono Danubio, Viennam est reuersus.

Per id tempus & Gorlitium, præcipuum Lusatiæ superioris oppidum, à Cæsarianis est receptum, ac VVolpho-buttela à Suecorum obsidione per Picolominium asserta.

Intereà

Intereà in Bannirij locum ductor ſuffectus Torſtenſonius nouas è Sueciâ copias adduxerat: perque varias Imperij Prouincias, Sileſiam, Morauiam & Saxoniam graſſatus, Glogauiâ, Olomutzio, Lipſiâ, aliiſque vrbibus potitus eſt. Et ni Freybergam à Suecorum obſidione Picolominius opportunè ſoluiſſet, Saxoniæ Dux vndique preſſus deuotam Cæſari fidem ægrè ſeruare potuiſſet. Franci quoque Haſſis iuncti, paullò antè Rheno ad Veſaliam tranſito, Lamboyanas copias haud procul Coloniâ in Vbijs graui clade affecerunt, ac Noueſium aliáque ad Rhenum loca occuparunt.

Sed iſta Imperij vulnera ſequenti anno lætiores Cæſarianorum in Rhætiâ ſucceſſus mitigarunt. Sperauerat Gebrianus Comes, Gallici exercitus & Vinarienſium reliquiarum ſupremus Præfectus, labente Autumno in Bauariam Sueuiámque irrumpere, atque hyberna ſua ibidem firmare. Viam itaque illuc muniens, Roteuillam, Rhætiæ oppidum, obſidione cingit. Quod licet à præſidiariis ſtrenuè propugnaretur, paucos tamen poſt dies deditum eſt: ſed non ſine ingenti hoſtium ſtrage. Siquidem ſupra duo hominum millia eâ in obſidione cecidêre. Atque inter alios, ipſe Gebrianus Comes tormenti maioris globo ictus occubuit. Hærebat in proximo Carolus Lotharingiæ Dux cum Cæſareis Bauaricíſque copijs, quæ ad octodecim millia militum numerabant. Atque is, metu ſimulato, præuertere hoſtes, ac Bauariæ confinibus aduerſus eorumdem irruptionem tutandis inuigilare, præ ſe ferebat. Illi autem vrbe iam captâ elatiores, Lotharingum, quem obſidioni ſoluendæ imparem fuiſſe rebantur, multò minùs aperto campo cum ipſis congredi auſurum, prælijque aleam tentaturum ſibi perſuaſerant. Quocircà, Wirtembergico Duce iuniore cum duabus Legionibus Roteuillæ impoſito, Rantzouius Comes, Gebriani Optio, Danubium verſus caſtra mouit: ac prope Dudlingam oppidum ponte flumen iungere mirâ virium ſuarum præfidentiâ ac ſecuritate molitur.

Quâ re per exploratores cognitâ, Lotharingus VIII. Calend.

lend. Decembris, vijs licet densissimâ niuium mole pænè obstructis, in hostem est progressus; Hatzueldio Comite & VVertano primam aciem ducentibus. Nec mora: incredibili animi ardore castra hostilia vndique inuadunt, ac grauiorum tormentorum curules machinas omnes occupant. Neque verò pugna, sed cædes totis hostium castris per Danubij ripam sparsis est edita. Sanguineisque riuis passim decurrentibus, præaltæ niues, ipsiusque Danubij, ijs in locis orientis, fontes irrubuêre. Rantzouius ilicò Ducesque primarij cum duabus Legionibus in proximum oppidum Dudlingam se receperunt. Sed illud continuis tormentorum ictibus verberatum, post bihorium deditionem fecit. Atque interim Equitatus Cæsareus sex hostium Legiones oppressit fuditque, Duce Sporckio Tribuno, qui & paucos ante dies ad Gislingam tres eorumdem validissimas Legiones ceciderat, velut certas præsentis Victoriæ primitias.

Marchio Vitryacus, qui ad Meringam, vicinum oppidum, castra fixerat, cum Legionibus septem vltrò Cæsarianorum potestati & arbitrio se dedidit. Denique omnis Peditatus hostilis aut cæsus est aut captus, cum maximâ Equitatus parte. In vniuersum autem Legiones XVII. deletæ. Atque inter alias Mazarinia ad internecionem cæsa est, Legato solo superstite. Fugitiui plurimi aut ab agrestibus trucidati sunt, aut inter syluas niuesque frigore & fame confecti exspirarunt.

E Ducibus præcipui nominis, Rosa, cum tribus Equitum Legionibus ægrè in Brisiacum montem fugâ euasit, cladis suorum futurus nuntius. Rantzouius Comes, exercitus vniuersi post Gebriani cædem Ductor supremus, Dudlingâ deditâ captus est, & cum illo Castrorum Præfecti sex, Montozirius, Maugironius, Vitryacus, Noirmonterius, Marchiones; Sirous Baro ac Formillius: Tribuni item Ducesq; primarij, Scombergius, Sangermanus, Ohemius, Collassius, alijque. Vt de turmarum Cohortiumque Centurionibus Præfectisque minoribus sileam, qui propè ducenti fuêre. Vexilla signaque LXXIII. tor-

tormenta XVI. cum vniuerſo apparatu bellico & impedimentis omnibus intercepta ſunt. Præda incredibilis militibus ceſſit. Nempe multorum annorum rapinis detracta Germaniæ ſpolia vno die in Cæſarianorum manus deuenerunt. Ex illis autem vix triginta in pugnâ occubuêre. Tantillo impendio maxima ſtetit Victoria. Moxq; & Roteuilla obſeſſa intra paucos dies à Cæſarianis eſt recepta.

Ceterùm, cùm iamdudum Sereniſſimus Daniæ ac Norvegiæ Rex CHRISTIANVS QVARTVS ad Pacem Concordiamque Imperio atque Orbi Chriſtiano reſtituendam ſeriò allaboraſſet; iamque bonorum omnium animi in optimam Pacificationis ſpem erecti eſſent, longè profectò aliter res euenit. Geminâq; face adaucta funeſtiſſimi Belli incendia latiùs ſparſa & propagata ſunt.

Sueci ſiquidem ſub initium anni CIↃ.IↃC.XLIV. in Daniam Cimbricamq; Cherſoneſum; & Ragotskius Daciæ (nunc Tranſyluaniam vocant) Princeps, Francis Sueciſque fœderatus, in Hungariam infeſtis ſignis irruentes, grauiſſima vtrique Regno damna intulêre. Ac Sueci quidem à Danis haud ſemel terrâ marique fortiter repreſſi ſunt. Nec Cæſar Regi amico defuit: ſuppetiasq; haud modicas, Gallaſſio Duce, ad illum miſit.

Ragotskio autem Ottomannicis auxilijs Tartariciſque in Poloniam, Cæſari amicam, irruptionibus freto Gotzium Comitem cum inſtructiſſimo exercitu obiecit, qui ad Fillecum oppidum multa Dacorum millia cecîdit. Ad Tibiſcum quoque amnem à Buchemio & Serinio Comitibus, ſtrenuè rem gerentibus, magna Ragotskianis clades eſt illata.

Sed & medio tempore, ad Acronium lacum Vberlinga in Rhætiâ, Chemnitium in Saxoniâ; Oppelium, Wolauia & Sueinitzium in Sileſiâ, aliáque oppida Imperio recuperata ſunt. Friburgum item, Briſgouiæ ciuitas, à Cæſarianis Bauariſque eſt recepta.

Dum autem vires Cæſareæ Dacico pariter Cimbricoq; bello diuiſæ atque alibi aduerſus Imperij hoſtes ſparſæ diſtinentur; Franci occaſione vſi, nudatum præſidijs Rheni

latus Ludouico Borbonio Angiano Principe, Ductore inuadentes, in Palatinatum Inferiorem irruunt; ac Philippoburgum, Manhemium, Maguncíacum, Spiram, aliasque vrbes occupant. Sed Manhemio mox per Bauaros recepto ac validis præsidijs firmato, Francorum irruptio est repressa: ijdémque à Francodaliâ aliisque oppidis castra mouere coacti sunt.

Verùm enimuerò, dum tot iam lustris per vtramque Germaniam, adeóque Europam vniuersam, Mauors desæuit; Cæsar & Hispaniarum Rex (quibus pro innatâ Augustæ Domui AVSTRIÆ Clementiâ tantum Christiani sanguinis effundi peracerbum est) suos ad Pacem vniuersalem constituendam Legatos, plenâ potestate instructos, iampridem Coloniam Agrippinam, ac deinde Monasterium, Westphalorum oppidum, amandarunt. Iamque & Galliæ & Sueciæ Legati; hi Osnabrugam, illi Monasterium, loca Pacificationis colloquio constituta, aduenere.

Arbiter ac sequester vnà cum Venetæ Reipub. Legato accessit Apostolicus Nuntius S. D. N. INNOCENTII X. Pontificis Optimi Maximi, Diuinitùs nuper electi: cuius è Vaticano colle radiantia auspicatissimi ominis Insignia Gentilitia, PACIFERAM ALITEM cum OLIVÆ RAMO præferentia, Orbem vniuersum incredibili Tranquillitatis Publicæ spe votisque impleuêre. Nempe, post tot decumanos plusquam ciuilium bellorum fluctus, tot exteris Gentibus vtrique Germaniæ, aliisque Regnis & Prouincijs velut Diluuio quodam superfusis; istud vt haud dubium cælitusque ostensum secuturæ mox malaciæ ac Salutis Publicæ Signum boni omnes proni venerantur.


Et verò, quis internecinis odiis obliuione perpetuâ sepultis, sinceri Amoris & Amicitiæ nomina pridem terris exulantia potiùs reducat quàm PAMPHILIVS? Qui se non Gentis vnius, sed communem vniuersi Orbis Christiani Parentem esse meminit. Quis nocentia Humano Generi, totque Diuorum templis atque aris arma, stillantesque consanguineo cruore gladios condat, præter INNOCENTIVM?

Cum-

Cumque is felicibus Pontificatus ſui Auſpiciis, anno CIƆ. IƆC. XLV. (quo hæc ſcribimus) ineunte, indictis Sacri IVBILEI ſolemnibus, ad Pacem afflictæ paſſim oppreſſæque Reipub. Chriſtianæ reſtituendam, Diuinum præſidium communibus piorum omnium precibus implorandum ſanxerit; nos ad Cælum oculis animoque conuerſi, ſupremum Numen velut publicâ Orbis Chriſtiani voce obteſtemur:

Tu, ô Conditor Conſeruatorque Generis Humani, Sator & Auctor Chriſtiani Nominis, DEVS PACIS; Orbe terrarum tot iam bellis & calamitatibus expiato, Regum Principumq; Chriſtianorum animos adamantinis ſinceræ Pacis ac Concordiæ vinculis inter ſe conſtringe: & (quò laudatiſſimorum Heroum exempla vocant) in Gentes à Diuini Nominis Tui cultu alienas, eiuſdemque iuratos hoſtes, arma ciuilibus hebetata Diſcordiis, & Chriſtianâ cæde laſſos exercitus conuerte. Vt terra illa cæleſtibus Filij Tui, Seruatoris noſtri, ſacrata incunabulis, Diuinoque imbuta ſanguine, ab impiorum Tyrannide vindicata reſpiret: Genteſque omnes, pulſis nefariæ Superſtitionis tenebris, victricia Chriſtianæ PIETATIS & IVSTITIÆ Signa agnoſcant & adorent.

FINIS.



TYPOGRAPHVS LECTORI S.



MPERATORVM ROMANORVM *ſerie, rerúmque ab illis geſtarum breui narratione ad noſtra vſque Tempora iam deductâ; viſum eſt hîc ſubiungere* IMP. CÆS. FERDINANDI III. AVG. Diploma Auguſtale, *quo Principum ille ſummus, neque minùs Litterarum quàm Armorum gloriâ florentiſſimus,* V.C. CASPERIVM GEVARTIVM *Iuriſconſultum, Archigrammatæum Antuerpianum, in* CÆSAREVM HISTORIOGRAPHVM *ſuum deligit; editamq; ab ipſo* TRIVMPHALEM *Sereniſſimi Principis* FERDINANDI AVSTRIACI, *Hiſpaniarum Infantis Card. in vrbem Antuerpiam* INTROITVS POMPAM *(vnde Operi huic inſerta* IMPP. AVSTRIACORVM *Elogia, excepto poſtremo, ſunt deſumpta) Diuino Iudicio ſuo ornandam cenſuit, pronúmque in Litteras ac Diſciplinas Affectum Orbi teſtatum reddidit.*

IMP.

IMP. CÆS.
FERDINANDI III.
PII, FEL. AVG.
DIPLOMA AVGVSTALE,
QVO
CASP. GEVARTIVM I. C.
HISTORIOGRAPHVM CÆSAREVM
DECLARAT.



ERDINANDVS III. Divina favente Clementia electvs ROMANORVM IMPERATOR semper Avgvstvs, ac Germaniae, Hvngariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, etc. REX; ARCHIDVX Avstriae; DVX Bvrgvndiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, etc. MARCHIO Moraviae; DVX Lvcembvrgiae, ac Svperioris et Inferioris Silesiae, Wirtembergae et Teckae; PRINCEPS Sveviae; COMES Habsbvrgi, Tyrolis, Ferretis, Kybvrgi et Goritiae; LANTGRAVIVS Alsatiae; MARCHIO Sacri Romani Imperii, Bvrgoviae, ac Svperioris et Inferioris Lvsatiae; DOMINVS Marchiae Sclavonicae, Portvs Naonis et Salinarvm, etc.

Honorabili, Fideli, Nobis dilecto, Casp. Gevartio, Gratiam Nostram Cæsaream & omne Bonum.

QVVM in omni vitæ genere à supremâ omnium rerum Architectatrice Diuinitate mortalibus nihil præstantius Litteris Disciplinisq; datum ac concessum sit: tùm inter eas, quæ rerum gestarum Memoriam complectitur, quam HISTORIAM vocamus, quaquauersùs, siue Vtilitatem, siue Dignitatem, siue Delectationem spectemus, ad benè beatèque viuendum plurimùm confert; adeò vt ad eamdem ampliùs atque ampliùs excolendam expoliendamque, omni attentiori curâ excubare, non minùs publicè quàm priuatim intersit.

Quâ de caussâ sapienter sanè ac laudabiliter DIVOS Prædecessores Nostros, Romanorum Imperatores ac Reges, fecisse meritò arbitramur, qui Ingenia conscribendæ Historiæ idonea singulari quâdam diligentiâ perquirenda, & condignis Honorum præmiis fouenda putauerunt. Quibus vti in supremam, quæ in terris colitur, sæcularem potestatem, Deo Opt. Max. propitio volente, successimus; ita præclara eorumdem exempla Nobis sedulò proposuimus imitanda. Atque ita, cùm Imperatorij Nostri muneris partes à Nobis postulare visæ sunt, tùm ipsa etiam summa Respublica flagitare; vt posteaquam res quæpiam cùm ductu, tùm auspicio imperióve Nostro gestæ fuerint, quæ vel ad immortalis in primis Dei gloriam, vel ad Augusti Nominis Nostri splendorem, vel ad horum Temporum explanationem, vel ad secuturæ Posteritatis exemplum pertineant, eas viro alicui Ingenio atque Eruditione præstanti idoneis litterarum monumentis consignandas committeremus, eumque benigniori Cæsareæ Nostræ Indulgentiæ fauore tamquam stimulo, ad capessendam alacriùs prouinciam hanc & accuratiùs gerendam excitaremus, & Auctoritatis Nostræ præsidio contra quosuis obtrectantium muniremus insultus.

Quandoquidem igitur non modò luculentis eorum, quorum Nobis de hâcce Disciplinâ probatum est Iudicium, testimoniis edocti sumus, de eâ, quâ te, CASP. GEVARTI, ad conscribendam Historiam instructum esse perhibent facultate; sed etiam ex elimato isto tuo Opere, quo Reuerendissimi ac Serenissimi quondam D. FERDINANDI, Cardinalis Infantis Hispaniarum, Consobrini & Affinis Nostri charissimi, piissimæ recordationis, in vrbem Antuerpiensem INTROITVS POMPAM, Iconibus suis ad viuum expressis, Epigraphis Elogiisque eleganter perscriptis adornatam, publicis excusam typis, Augustoque Nomini Nostro consecratam, in publicum edidisti; cùm præclarum addictæ tuæ erga Nos & Augustam Domum Nostram Fidei, Deuotionis & Obsequij studium, tùm Ingenij quoque tui Amœnitatem, Iudicij Maturitatem, Venustatem Styli, multiplicem politioris Litteraturæ Peritiam, insigni veterum Elegantiarum memoriâ exornatam, cognouimus; dignum certè te iudicauimus, cui res Nostras, Nostrique temporis, litteris mandandas committeremus, adeoque HISTORIOGRAPHVM NOSTRVM declarandum, & tàm Reipublicæ quàm tuæ Securitatis caussâ (quo & maleuolorum hominum Calumnias tutiùs contemnere, & Veritatis sincerum præconem agere fidentiùs posses) Cæsareæ Nostræ Auctoritatis munimine tegendum susciperemus; prout adeò præsentium tenore, MOTV PROPRIO, maturâ ac deliberatâ accedente voluntate, & de Cæsareæ Nostræ potestatis plenitudine, te CASP. GEVARTIVM, CÆSAREVM Nostrum HISTORIOGRAPHVM declaramus, atque in Patrocinium Nostrum suscipimus. Auctoritate, quâ pollemus Cæsareâ, facultatem tibi dantes, vt Historiam Nostrarum præcipuè rerum, quæque his connexæ sunt, tibique memoriâ dignæ videbuntur, ex recto, vero, æquo ac bono perscribere, perscriptam in lucem emittere, ac iuris publici facere possis ac valeas, absque vllius impedimento, aut contradictione.

Ac mandamus proinde omnibus & singulis Nostris & Sacri Romani Imperij, ceterorumque Regnorum, Prouinciarum ac ditionum Nostrarum hereditariarum, fidelibus subditis, cuiuscumque Ordinis, status, gradus, dignitatis, conditionis ac fortunæ fuerint, tàm Ecclesiasticis quàm Sæcularibus,

bus, iis præcipuè, qui ſuo vel Superiorum ſuorum nomine Ius dicunt, ac Iuſtitiam exercent, ne te prædictum CASP. GEVARTIVM, in huius vſurpatione Priuilegij, conceſſionisque Noſtræ Cæſareæ, vllo pacto turbent, turbarive ab aliis patiantur, ſed defendant potiùs & tueantur; & contrafacientes conuenientibus mediis reprimant coërceantque, ſub indignationis Noſtræ Cæſareæ grauiſſimâ interminatione. Idque *Auguſtalis* huius Noſtri *Diplomatis* fide teſtatum publicè volumus. Quod manus Noſtræ ſubſcriptione & Sigilli Noſtri Cæſarei appenſione munitum dedimus in Ciuitate Noſtrâ VIENNÆ, die decimaquintâ Februarij, anno Domini M. DC. XLIV. Regnorum Noſtrorum, Romani octauo; Hungarici decimonono; Bohemici verò decimoſeptimo.

FERDINANDVS.

Subſignatum erat,

Vt Ferdinandus, Comes Curtius.

In plicaturâ:

Ad mandatum SAC. CÆS. MAIEST. *proprium,*

Ioannes Walderode.

Appenſum Sigillum SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS *in cerâ rubrâ, flauæ ceræ margine circumfuſo.*

SERIES IMPERATORVM QVI HOC OPERE CONTINENTVR.

I. C. IVLIVS CÆSAR. 2.
II. C. CÆSAR OCTAVIANVS AVGVSTVS. 4.
III. TIBERIVS. 6.
IIII. C. CÆSAR GERMANICVS CALIGVLA. 8.
V. TI. CLAVDIVS. 10.
VI. NERO CLAVDIVS. 12.
VII. SER. SVLPITIVS GALBA. 14.
VIII. M. SILVIVS OTHO. 16.
IX. A. VITELLIVS. 18.
X. VESPASIANVS. 20.
XI. TITVS VESPASIANVS. 22.
XII. DOMITIANVS. 24.
XIII. NERVA. 26.
XIIII. TRAIANVS. 28.
XV. HADRIANVS. 30.
XVI. ANTONINVS PIVS. 32.
XVII. L. AVRELIVS VERVS. 34.
XVIII. M. AVRELIVS ANTONINVS. 36.
XIX. M. ÆLIVS AVRELIVS COMMODVS. 38.
XX. P. HELVIVS PERTINAX. 40.
XXI. M. DIDIVS IVLIANVS. 42.
XXII. C. PESCENNIVS NIGERIVS. 44.
XXIII. L. SEPTIMIVS SEVERVS. 46.
XXIV. D. CLODIVS ALBINVS. 48.
XXV. M. AVRELIVS ANTONINVS, CARACALLA. 50.
XXVI. P. SEPTIMIVS GETA. 52.
XXVII. M. OPELIVS MACRINVS. 54.
XXVIII. M. OPEL. ANTONINVS DIADVMENIANVS. 56.
XXIX. M. AVRELIVS ANTONINVS HELIOGABALVS. 58.
XXX. M. AVRELIVS SEVERVS ALEXANDER. 60.
XXXI. MAXIMINVS. 62.
XXXII. IVLIVS VERVS MAXIMVS. 64.
XXXIII. M. ANTONIVS GORDIANVS AFRICANVS. 66.
XXXIV. CLODIVS PVPIENVS MAXIMVS. 68.
XXXV. D. CÆLIVS BALBINVS. 70.
XXXVI. M. ANTONIVS GORDIANVS. 72.
XXXVII. VAL. HOSTILIANVS MESIVS. 74.
XXXVIII. M. IVLIVS PHILIPPVS. 76.
XXXIX. M. IVLIVS PHILIPPVS FIL. 78.
XL. C. MESS. QVINT. DECIVS TRAIANVS. 80.
XLI. Q. HEREN. ETRVSCVS MESSIVS DECIVS. 82.
XLII. C. VIBIVS TREBONIANVS GALLVS. 84.
XLIII. C. VIBIVS VOLVSIANVS. 86.
XLIV. ÆMILIANVS. 88.
XLV. P. LICINIVS VALERIANVS. 90.
XLVI. P. LICINIVS GALLIENVS. 92.
XLVII. SALONINVS VALERIANVS. 94.


XLVIII.


XLVIII. M. CASSIVS LATIENVS POSTVMVS. 96.
XLIX. CLAVDIVS GOTHICVS. 98.
L. QVINTILLVS. 100.
LI. AVRELIANVS. 102.
LII. M. CLAVDIVS TACITVS. 104.
LIII. M. ANNIVS FLORIANVS. 106.
LIV. C. PROBVS. 108.
LV. CARVS. 110.
LVI. NVMERIANVS. 112.
LVII. CARINVS. 114.
LVIII. DIOCLETIANVS. 116.
LIX. MAXIMIANVS. 118.
LX. CONSTANTIVS. 120.
LXI. GAL. VALERIVS MAXIMIANVS. 122.
LXII. MAXIMINVS. 124.
LXIII. FL. VAL. SEVERVS. 126.
LXIIII. MAXENTIVS. 128.
LXV. LICINIVS. 130.
LXVI. M. MARTINIANVS. 132.
LXVII. CONSTANTINVS. 134.
LXVIII. IVLIVS CRISPVS. 136.
LXIX. CONSTANTIVS. 138.
LXX. CONSTANTINVS IVN. 140.
LXXI. CONSTANS. 142.
LXXII. MAGNENTIVS. 144.
LXXIII. DECENTIVS. 146.
LXXIV. FL. CLAVDIVS IVLIANVS. 148.
LXXV. IOVINIANVS. 150.
LXXVI. VALENTINIANVS. 152.
LXXVII. VALENS. 154.
LXXVIII. GRATIANVS. 156.
LXXIX. MAGNVS MAXIMVS. 158.
LXXX. VALENTINIANVS IVNIOR. 160.
LXXXI. THEODOSIVS. 162.
LXXXII. ARCADIVS. 164.
LXXXIII. HONORIVS. 166.
LXXXIIII. THEODOSIVS IVNIOR. 168.
LXXXV. VALENTINIANVS III. 170.
LXXXVI. MARTIANVS. 172.
LXXXVII. LXXXVIII. LEO AVVS, ET LEO NEPOS. 174.
LXXXIX. ZENO. 176.
XC. ANASTASIVS. 178.
XCI. IVSTINVS. 180.
XCII. IVSTINIANVS MAGNVS. 182.
XCIII. IVSTINVS II. 184.
XCIIII. TIBERIVS. II. 186.
XCV. MAVRITIVS. 188.
XCVI. FOCAS. 190.
XCVII. HERACLIVS. 192.
XCVIII. XCIX. HERACLIVS ET CONSTANTINVS. 194.
C. CI. CONSTANS ET CONSTANTINVS. 196.
CII. IVSTINIANVS II. 198.
CIII. LEONTIVS. 200.
CIV. TIBERIVS III. 202.
CV. PHILIPPICVS. 204.
CVI. ANASTASIVS II. 206.
CVII. THEODOSIVS III. 208.
CVIII. LEO III. ISAVRVS. 210.
CIX. CONSTANTINVS COPRONYMVS. 212.
CX. LEO IIII. 214.
CXI. CXII. CONSTANTINVS ET IRENE. 216.
CXIII. CAROLVS MAGNVS. 218.
CXIIII. HLVDOVICVS PIVS. 222.
CXV. HLOTARIVS. 224.
CXVI. CXVII. HLVDOVICVS SECVNDVS. 226.
CXVIII. CXIX. CAROLVS II. CALVVS ET HLVDOVICVS III. BALBVS. 228.
CXX. CAROLVS TERTIVS CRASSVS. 230.
CXXI. ARNOLPHVS. 234.
CXXII. LVDOVICVS IV. 236.
CXXIII. CONRADVS. 238.
CXXIIII. HENRICVS. 242.
CXXV. OTHO II. MAGNVS. 246.
CXXVI. OTHO III. 250.
CXXVII. OTHO IV. 254.
CXXVIII. HENRICVS SECVNDVS CLAVDIVS. 258.
CXXIX. CONRADVS II. 260.
CXXX. HENRICVS TERTIVS NERO. 264.
CXXXI. CXXXII. HENRICVS IV. 266.

CXXXIII.

CXXXIII.	HENRICVS V.	270.	CXLVI.	LVDOVICVS V.	334.
CXXXIV.	LOTHARIVS III.	274.	CXLVII.	CAROLVS IV.	338.
CXXXV.	CONRADVS III.	278.	CXLVIII.	WENCESLAVS.	342.
CXXXVI.	FREDERICVS BARBA-ROSSA.	282.	CXLIX.	RVPERTVS.	346.
			CL.	SIGISMVNDVS.	350.
CXXXVII.	HENRICVS VI.	286.	CLI.	ALBERTVS II.	354.
CXXXVIII.	PHILIPPVS III.	290.	CLII.	FREDERICVS IV.	358.
CXXXIX.	OTHO V.	294.	CLIII.	MAXÆMILIANVS I.	362.
CXL.	FREDERICVS II.	298.	CLIV.	CAROLVS V.	366.
CXLI.	RVDOLPHVS.	316.	CLV.	FERDINANDVS I.	372.
CXLII.	ADOLPHVS.	322.	CLVI.	MAXÆMILIANVS II.	376.
CXLIII.	ALBERTVS.	324.	CLVII.	RODOLPHVS II.	380.
CXLIV.	HENRICVS VII.	328.	CLVIII.	MATTHIAS I.	384.
CXLV.	FREDERICVS III. PVL-CHER.	330.	CLIX.	FERDINANDVS II.	388.
			CLX.	FERDINANDVS III.	400.

FINIS.




LABORE ET CONSTANTIA.
I.C.I.

b.7 sint cũ rege,& intrante &
8 viros qui sub se erant
d.16 vt esset populus Domini
24.a.1 septem annorũ erat Ioas
2 fec.quod bonũ est corãD.
b.6 quare tibi non fuit curæ
c.11 pecuniã,quæ erat in arca
e.11 quũ esset cętũ triginta an.
g.26 insidiati ve.sunt ei Zabad
25.a.1 vig.quinq. an.erat Amasi.
b.7 non est enim Do.cũ Isra.
c.8 Dei quippe est adiuuare
c.16 num consiliarius regis es?
18 carduus qui est in Libano
bestiæ quæ erãt in syluaL.
f.20 eo q Domini esset volun.
21 rex Iuda erat in Beth-sa.
26.a.3 sedecim annorũ erat Ozi.
4 fecit quod erat rectum
b.10 erat quippe homo agricul.
11 Hananiæ.qui erat de duc.
fuit autẽ exercitus bellat.
13 qui erant apti ad bella
c.18 non est tui officii.Ozia
d.21 fuit igitur Ozias r.lepros⁹
23 eo quod esset leprosus
27.a.1 vig.quinq. an erat Ioat'ã
2 fe quod rectũ erat corãD.
d.8 vigin.quinq. an.erat,quũ
28.a.1 viginti annorum erat Ac.
3 ipse est qui adoleuit incẽ.
b.9 erat ibi Propheta Domini
10 nequaquam facto opus est
13 grande quippe peccatũ est
c.15 captiuos o.qui nudi erant
erant imbecillo corpore
d.23 quũ ecõtr.ipsi fuerint rui.
29.a.1 quũ vigintiquin.esset ann.
2 quod erat placitum in cõs.
c.25 Domini præceptum fuit
f.28 qui tenebant tub.erant in
29 &omnes qui erant cum eo
g.32 numerus holo.&c.hic fuit
34 sacerdotes ve.pauci erant
35 fuerũt ergo holocausta pl.
30.b.9 clemens est Do.Deus ves.
c.14 altaria quæ erant in Ierus.
d.26 qual.&c.in ea vr.nõ fuerat
31.a.3 pars autẽ regis eorum erat
c.10 reliquiarũ au copia est ista
12 fuit autem præfectus eorũ
32.a.3 fontiũ qui erant extra vr.
b.7 multitudinem quæ est cũ
plures nobiscũ sunt,q̃ cũ-
8 cũ illo enim est brachiũ c.
9 ad o.populũ qui erat in v.
c.12 nunquid non est iste Ezec.
14 quis est de vniuersis diis
f.27 fuit autem Ezechias diues
g.30 ipse est Ezechias qui obth.
31 omnia quæ erant in corde
33.a.1 duodecim annorũ erat M.
4 in Ierusalẽ erit nomẽ meũ
c.13 q Dominus ipse esset De⁹
d.21 viginti duorum anno.erat
34.a.1 octo annorum erat Iosias
3 quum adhuc esset puer
c.12 erant autem præpositi op.
13 super eos,&c erant scribæ
g.33 qui residui erant in Israel
35.c.18 nõ fuit Phase simile huic
d.21 Deum,&c.qui mecum est
quid mihi & tibi est,rex I.
36.a.2 vigintitriũ annorũ erat I.
5 vig.quinq.annorũ erat Io.
b.9 octo annorũ erat Ioachin
11 vig.& vnius anni erat Se.
c.16 & esset nulla curatio
d.19 quicquid pretiosum fuerat
23 sit Do.Deus suus cum eo
Ierusalẽ,quæ est in Iudæa
1.Esdr. 1.a.2 Ierusalẽ quæ est in Iudæa
b.3 qui est in vobis de vniuer.
sit Dominus illius cũ ipso
ipse est Deus,qui est in Ie.
quæ est in Iudæa,vt ædifi.
b.4 templo Dei,quod est in Ier.
c.6 vniuersi qui erant in circ.
d.9 & hic est numerus eorum
2.a.1 hi sunt autẽ prouinciæ fil.
16 qui erant ex Ezechia
c.57 qui erant de Asebaim filii
59 vtrum ex Israel essent
d.65 qui erant septem millia
68 tẽplum Do.quod est in Ie.
3.a.1 erant filii Israel in ciuita.
4.a.3 non est vobis & nobis,vt
6 ipse est Artaxerxes
b.7 reliqui qui erant in cõsilio
11 hoc est exemplar epistolæ
viri qui sunt trans flu.um
12 notum sit regi quia Iudæi
e.15 vrbs illa,vrbs rebellis est
17 ad reliquos qui erãt in cõs.
d.20 regioni quæ trãsfluuiũ est
reges fortiss.fuerunt in Ie.
5.a.1 Iudæos qui erant in Iuda
3 Thathanai qui erat dux tr.
4 quæ essent nomina homi.
b.6 Arphasa.qui erãt trans fl.
c.10 nomina virorũ q sunt pr.
11 nos sumus serui Dei
d.14 de templo quod erat in Ie.
15 in tẽplo quod est in Ierus.
17 biblio.regis,quæ est in Ba.
6.a.2 Ecbatanis,quod est castrũ
3 domus D.&c.quæ est in I.
b.6 qui estis trans Flumen
dux regio.quæ est trans F.
9 sacerdotum qui sunt in Ie.
ne sit in aliquo querimon.
c.12 domũ Dei,illã quæ est in
15 qui est annus sextus regni
7.a.8 ipse est annus septimus r.
b.10 hoc est autem exemplar e.
11 hoc est autẽ exemplar epi.
8.d.36 qui erant de conspectu re.
9.a.2 magistratuum fuit in trãs.
c.9 quia serui sumus,& in ser.
d.13 salutem,sicut est hodie
15 Do.Deus Israel iust⁹ es tu
10.a.2 coram te sumus in delicto
nũc si est pœnitentia in I.
b.9 ipse est mensis nonus,vic.
13 quia populus multus est
d.44 fuerunt ex eis mulieres q.
2.Esdr. 1.a.1 &ego eram in Susis castro
2.a.2 quare vultus tuus tristis est
non est hoc frustra,sed m.
nescio quod in corde t.est
b.6 ad quod tẽpus erit iter tuũ
c.11 & eram ibi tribus diebus
d.17 nostis afflictio.in qua sum⁹
non sumus vltra opprobr.
18 manũ Dei m.q esset bona
20 & nos serui eius sumus
vobis autem non est pars
4.b.10 humus nimia est,&nos nõ
5.a.2 & filiæ nostræ multæ sunt
5 nũc si.&c.carnes nos.sunt
b.9 non est bona res quã faci.
c.14 vt essem dux in terra Iuda
15 qui fuerunt ante me,gra.
17 gẽtibus quæ in cir.n.sunt
6.b.7 dicentes,Rex in Iudæa est
d.18 multi enim erãt in Iudæa
7.a.4 ciuitas autem erat lata ni.
e.61 vtrum ex Israel essent
8.a.1 filii a.Israel erant in ciuit.
3 in platea quæ erat ante p.
c.10.11 quia sanctus dies Dom.est
gaudium etenim Do.est
9.a.6 & vniuersa quæ in ea sunt
b.8 imp.verba t.quo.iustus es
d.18 iste est Deus,qui eduxit te
g.36 nos ipsi serui sumus in ea
37 in tribulatione mag.sum⁹
10.d.39 ibi erunt vasa Do.sanctif.
12.a.1 hi sunt sacerdotes & Leu.
13.a.1 erant ante eum reponẽtes
c.17 quæ est hæc res mala
d.26 non erat rex similis ei
Tob. 4.b.9 si multum tibi fuerit
5.b.13 ait iuuen.Forti animo esto
in proximo est vt à Deo
6.d.18 per tres dies continẽs esto
7.d.20 forti animo esto,filia mea
8.a.5 in nostro erimus cõiugio
11.c.9 qui simul fuerat in via
Iudith 4.c.13 memores estote Moysi ser.
7.d.23 æquo animo estote fratres
11.a.1 æquo animo esto
14.a.2 & erit,quum exierit sol
Esther 4.c.13 quia in domo regis es
5.a.1 in atrio,&c.quod erat int.
3 quæ est petitio tua?
b.7 petitio m.& preces sunt i.
6.b.4 quis est, inquit,in atrio?
8 qui de sella regis est
c.11 hoc hon.condignus est q.
7.a.2 quæ est petitio t.Esther?
b.4 nunc aũt hostis noster est
esset tolerabile malum
5 quis est iste,& cuius pote.
6 pessimus iste est Aman
8.a.1 quod esset patruus suus
5 non ei videtur esse contr.
b.8 hæc enim cosuetud.erat
9 erat aũt tempus tertii mẽ.
d.13 summãque epistolæ h.fuit
9.a.1 superiores esse cœperunt
b.4 quem principem esse pal.
6 quorum ista sunt nomina
c.17 vnus apud o.interfec.fuit
d.17 quæ constituerãt esse sole.
c.22 essentque dies isti epularũ
f.26 epistolæ,id est libri huius
f.26.g.28 eo quod Phur,id est sors
g.28 isti sũt dies,quos nulla vn.
nec est vlla ciuitas quæ
10.a.3 secũ à rege Assuero fuerit
b.6 Esther est,quam rex acce.
& voluit esse reginam
c.7 duo a.draco.ego sum,&A.
8 hi sunt,qui conati sunt
9 gens autem mea,Israel est
10 duas sortes esse præcepit
11.b.4 erat autem de eo numero
c.5 & hoc eius somnium fuit
8 fuitque dies illa tenebra.
12.a.1 qui ianitores erant palatii
d.6 Bugæus erat gloriosissim⁹
13.a.3 & erat post regem secund⁹
c.9 & non est qui possit
11 Dominus omnium es
nec est qui resistat tuæ
14.a.3 qui Rex noster es solus
nullus est auxiliator aliu
4 in manibus meis est
b.7 iustus es,Domine
11 his qui non sunt
d.16 quod est super caput meũ
15.b.9 erãtque terribilis aspectu
c.12 ego sum frater tuus
d.15 valdè en.mirabilis es Do.
facies t.plena est gratiarũ
16.a.5 vt omniũ laude digni sint
c.18 huius vrbis,id est Susan
d.20 quibus debetis esse admin.
24 solen.huius esse particeps
sed etiam bestiis inuia sit
Iob 1.a.1 vir erat in terra Hus
& erat vir ille simplex
3 erãtque vir ille magnus
& fuit possessio eius
b.8,& 2.a.3 quòd non sit ei similis in
c.12 in manu tua sunt
d.21 sit nomen Domini bene.
2.b.6 ecce,in manu tua est
d.13 dolorem esse vehementem
3.b.7 sit nox illa solitaria
c.19 paruus & magnus ibi sunt
d.20 in amaritudi animæ sunt
4.b.6 vbi est timor tuus
d.17 aut factore s purior erit v.
18 qui ser.ei non sunt stabiles
21 qui autem reliqui fuerunt
5.a.1 voca ergo,si est qui tibi
4 & non erit qui eruat
c.16 & erit egeno spes
d.23 pacificæ erunt tibi
25 multiplex erit semen tuũ
27 hoc vt inuestigamus,ita est
6.a.3 verba m.dolore sũt plena
4 sagittæ Domi.in me sunt
b.6 amara dulcia esse vidẽtur
7 nũc præ angu.cibi m.sunt
10 & hæc mihi sit consolatio
11 quæ est en.fortitudo mea
12 nec caro mea ænea est
13 ecce,non est auxiliũ mihi
c.20 & pudore cooperti sunt
d.25 quũ è vobis nullus sit qui
29 & quod iustũ est,iudicate
7.a.1 militia est vita hominis
b.7 memento quia vẽtus est v.
c.12 nũquid mare ego sũ,aut ce.
16 parce mihi,nihil en.sũt di.
d.17 quid est homo,quia magni.
8.a.3 subuertit quod iustum est?
b.7 vt si priora tua fuerint par.
9 hesterni quippe sumus
velut vm di.nostri sũt sup
c.12 quum adhuc sit in flore
d.19 hæc est enim lætitia viæ e.
9.a.2 verè scio quòd ita sit
4 sapiens corde est,& fortis
b.10 mirabilia,qu.nõ est numer⁹
14 quantus ergo sum ego
c.19 si fortit.quæ.robustissi.est
21 etiam si simplex fuero
22 vnũ est quod loquutus sum
24 si nõ ille est,quis ergo est
quæ terra data est in manus
25 dies mei velociores fuerũt
d.29 si autem & sic impius sum
32 qui similis mei est,respõde.
33 nõ est qui vtrũq; valeat arg.
10.a.4 nũquid oculi carnei tibi sũt
5 sicut humana sũt tempora
b.7 quũ sit nemo qui de manu
c.14 mũdũ me esse non pateris?
15 & si impius fuero,væ mihi
d.18 qui vtinã cõsumptus essem
19 fuissem quasi non essem
11.a.4 mundus sum in cõspectu t.
dixisti en.Purus est sermo
b.6 &quod multiplex esset lex
8 excelsior cælo est
c.14 quæ est in manu tua
15 eris stabilis,& nõ timebis
d.19 requiesces,& nõ erit qui e.
12.a.2 ergo vos estis soli homines
3 nec inferior vestri sum
& mihi est cor sicut & vo.
b.12 in antiquis est sapientia
13 apud ipsũ est sapientia & f.
c.14 si destruxerit,nemo est qui
nullus est qui aperiat
16 apud ipsum est fortitudo
13.a.2 nec inferior vestri sum
5 vt putaremini esse sapiẽtes
c.16 & ipse erit saluator meus
19 quis est qui iudicetur mecũ?
14.a.4 nõnne tu qui solus es?
5 breues dies hominis sunt
nume.mẽsiũ ei⁹ apud te est
b.10 atq; cõsũpt⁹ vbi quæso est?
d.21 siue nobiles fuerint filii e.
15.a.3 qui non est æqualis tibi
4 quãtũ in te est,euacuasti ti.
8 & inferior te erit eius sapi.
b.10 & senes & antiqui sunt
11 nũquid grãde est,vt cõsole.
14 quid est homo,vt immacu.
c.21 qui pax sit,ille sẽper bellũ
d.28 quæ in tumulos sũt redactæ
16.a.2 onerosi omnes vos estis
3 aut aliquid tibi molestũ est
4 vtinam esset anima vestra
17.b.6 exemplum sum coram eis
d.13 infernus domus mea est
14 putredini dixi,Pater m.es
15 vbi est ergo nunc præstol.
16 ibi erit requies mihi
18.b.6 lucerna quæ su.eũ est,exti.
c.15 socii eius qui non est
d.19 non erit semen eius
21 hæc sunt ergo tabernacula
19.a.4 mecũ erit ignorantia mea
7 vociferabor,& nõ est qui i.
c.15 & quasi peregrinus fui
d.29 & scitote esse iudicium
quon.vltor iniq.gladi⁹ est
20.a.5 quòd laus impio.breuis sit
7 q cũ viderãt dicẽt,V bi est?
b.12 quum enim dulce fuerit
d.29 hæc est pars hominis impii
21.a.4 cõtra hom.disputa.mea est
b.9 domus eorum securæ sunt
& nõ est virga Dei super il.
15 quis est Omnipotens
16 cõsiliũ impio.lõgè sit à me
quia non sunt in manu eorũ
c.18 erunt sicut paleæ ante fac.
24 viscera eius plena sũt adipe
d.28 vbi est domus principis?
d.33 dulcis fuit glareis Cocyti
22.a.2 quũ perfectæ fuerit sciẽtiæ
3 quid pd Deo si iust⁹ fueris?
si immaculata fuerit via t.
b.12 quòd D.excelsior cælo sit
c.18 quorũ sẽtẽ.procul sit à me
d.25 eritque Omnipotẽs contra
29 qui enim,&c.erit in gloria
23.a.2 in amaritudine est sermo
d.13 ipse enim solus est
14 multa similia præsto sũt ei
24.b.7 quibus nõ est operimentũ
c.13 ipsi fuerunt rebelles lumi.
14 per noctẽ verò erit quasi f.
18 leuis est super faciẽ aquæ
d.20 non sit in recordatione
23 oculi en.eius sũt in viis il.
25 quòd si non est ita,quis
25.a.2 potestas & terr.apud eũ est
3 est numerus militum eius?
5 & stellæ nõ sũt mundæ in
26.a.2 cuius adiutor es?nunquid
brachiũ ei⁹ q nõ est fortis?
b.6 nud⁹ est infernus corã illo
& nullũ est operimentum
27.a.5 vt iustos vos esse iudicem
b.8 quæ est enim spes hypocri.
c.13 hæc est pars hominis
14 filii eius,in gladio erunt
28.a.1 & auro locus est in quo cõ.
b.12 & quis est locus intelligẽt.
c.14 abyssus dicit,Nõ est in me
mare loquitur,Nõ est me.
20 & quis est locus intelligẽt.
d.24 õnia quæ sub cælo sũt,resp.
28 timor Dom.ipsa est sapiẽt.
29.a.2 vt sim iuxta menses prist.
4 sicut fui in diebus adolesc.
quãdo secretò De⁹ erat in t,
5 quando erat Omnipotens
Odi.

